FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Joh. Henrici Hottingeri Henr. ex Henr. Nep. S. Theologiæ & Antiquitat. Jud. Acad. Marburg. Prof. Ord. Typus Doctrinæ Christianæ In Usum Institutionis ...

Hottinger, Johann Heinrich

Francofurti ad Moenum, Anno MDCCXIV.

VD18 12542598

Typi Doctrinae Christianae ...

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216057

Visual Library

TYPI DOCTRINÆ CHRISTIANÆ

CAPUT I. de THEOLOGIA.

Σύνοψις.

VOx Theologiæ origine & usu primùm Græca. §. I.
Postea ad Christianos transiit. §. II.
A quibus rectè retinetur. §. III.
Cognoscitur Deus ex natura & revelatione. §. IV.
Unde & Theologia naturalis §. V.
Insignis quidem usus. §. VI.
Attamen ad salutem insufficiens. §. VII.
Et revelata de salute peccatoris agens. §. VIII.
Quæ ratione fundamenti una semper. §. IX. X.
Ab omnibus cognoscenda, credenda, profitenda. §. XI.
Quæ fidei fundamentum; hinc veritas cum hac conjunctissima fundamentalis dicitur. §. XII.
Cui opponitur error

fundamentalis. §. *XIII.*

Sed ratione modi & gradus revelationis varia. §. *XIV.*

Qualiscunque sit in hac vita, tamen imperfecta. §. *XV.*

Cujus rationes sapientissimæ §. *XVI.*

Theologia rursum consideratur vel habitualis vel systematica. §. *XVII.*

Hæc, si rite instituitur, perutilis. §. *XVIII.*

Cujus Characteres. §. *XIX.*

Theologia Practica est §. *XX.*

Subjectum Theologiæ est homo ratione præditus. XXI.

Rationis facultates §. *XXII.*

Ejus usus circa veritates naturales. §. *XXIII. XXIV.*

Supernaturales. §. *XXV.*

Quarum divinitate cognita iis facilè assentitur. §. *XXVI. XXVII.*

Easque variis modis perspectas sibi reddit. §. *XXVIII.*

Unde rationis in Theologia usus vel Principalis vel Instrumentalis. §. *XXIX.*

Ex dictis fluunt 1. *Rationis in Theologia lumen non extinguendum esse.* 2. *Non tamen esse Judicem authenticum rerum revelatarū.* §. *XXX.*

§. I. THEO-

§. I.

THEOLOGIA sive λόγος περὶ τοῦ θεοῦ Græcis dicebatur doctrina *de diis & eorum cultu.* Erat autem *triplex*, 1. μυθικὴ Poëtarum, 2. φυσικὴ Philosophorum, 3. πολιτικὴ Juris Consultorum.

II. Postea usui Christianorum consecrabatur, quâ *strictè* sermo de divinitate J. Christi, *latè* omnis de rebus divinis nuncupabatur. Illo sensu maximè à veteribus Johannes θεόλογος appellatur.

III. Quod vocabulum hodienum in scholis commodè retinetur. Quippe antiquum, rem exprimit, atque ejus simplicia in sacris extant. Quamvis non minori ἐμφάσει vocibus origine sacris, quales maxime ὑποτύπωσις τῶν ὑγιαινόντων λόγων, διδασκαλία κατ' εὐσέβειαν &c. sunt, exprimatur.

IV. De Deo autem differimus, vel ex nobis ipsis tantum, aut simul ex revelatione, unde oritur THEOLOGIA Naturalis vel Revelata.

V. NATURALIS est *cognitio de Deo & rebus divinis ex sola ratione profecta.* Atque hæc tum ex lumine innato, tum attentâ rerum creatarum νοήσει ortum habet, cujus sedes Rom. I, 19. 20.

VI. Lumen hoc, quod Deus omni menti humanæ (licet non eâdem mensurâ) indidit,

insignem usum quoad Deum & quoad nos habet. *Quoad Deum*, ut à creaturis intelligentibus verum Numen agnoscatur, decenter colatur: Sin, inexcusabiles existant, Rom. I, 20. II, 14. 15. *Quoad nos*, illo mediante societates instituuntur, justæ leges conduntur vindicanturque. Multum quoque ad lumen supernaturale recipiendum tribuit.

VII. *INSUFFICIENS* tamen ad salutem consequendum, si sola. 1. Si enim splendet in cordibus nostris, miseriam tantùm detegit, non illam evitandi veram monstrat viam. 2. Hæc sola Christus Joh. XIV, 6. XVII, 3. Act. IV, 12. qui naturâ non patet, Matth. XVI, 17. Eph. I, 8. 9. Necessaria itaque

VIII. REVELATA, quæ est *doctrina divinitus revelata, de Deo hominem peccatorem in Christo sibi reconciliante, & cognocendo & colendo, ad ingentem Numinis gloriam, hominisque credentis salutem.* (1.) Est autem *doctrina divinitus revelata*, quod tum ex dictis patet, tum ex 2. Cor. II, 17. & tot formulis, כה אמר יהוה *ita inquit Adonai &c.* quas sacri scriptores præfixerunt. (2.) Maxime si consideramus primariò illam loqui non tam de Deo Creatore, quam *Redemptore Jesu Christo*, Apoc. XIX, 10. Luc. XXIV, 44. 1. Cor. II, 2. toto simul Trinitatis Mysterio, cujus opus Redemtionis. (3.) Comparata hinc ad *gloriam divinam*, nam præterquam quòd virtu-

virtutes Dei naturâ notas clarius & perfectius intuendas exhibet, alias summo fulgore conspicuas, sapientiam, justitiam, misericordiam in vocatione peccatorum ex tenebris admirabiles sistit, 1. Petr. II, 9. 2. Thess. I, 10. (4.) Nec non ad nostram *salutem*, ceu cujus gratia revelatio hæc obtigit, 2. Tim. III, 15. Rom. I, 16.

IX. Præcipuum ejus objectum, in quo salutis ratio consistit, constans & immotum est; Revelatio tamen de eo in modo & gradu variat. Unde surgit Theologia *Una & Varia.*

X. UNA sc. quoad fundamentum, quod Jesus Christus Jes. XXVIII, 16. 1. Cor. III, 12. unicum fidei omni tempore objectum, Hebr. XIII, 8. Eph. IV, 5. per quod salvabantur Judæi & Ethnici. Act. XV, 11.

XI. Hanc ergò omnes intelligere, fide recipere & publicè profiteri debent. (1.) ceu quæ salutem, ejus auctorem & medium ad eam veniendi tradit. (2.) Joh. XVII, 3. Rom. X, 9. 10. Matth. X, 32. adeò ut impium quorumdam assertum sit non referre, quam quis religionem profiteatur.

XII. Hinc cognoscitur quodnam fidei FUNDAMENTUM, & quæ *veritas FUNDAMENTALIS*, quæ sc. cum fundamento indissolubilem nexum habet. Non enim omnes veritates pariter fundamentum respiciunt, aliæ longius ab illo recedunt, Hebr. VI, 1. quæ veritates non FUNDAMENTALES

sunt. Præstat si utræque verè intelliguntur, illæ tamen ad salutem scitu absolutè necessariæ, hæ non item.

XIII. Quum verò oppositorum oppositа sit ratio, ex dictis ERRORUM FUNDAMENTALIUM quoque natura cognoscitur.

XIV. Varia autem *in modo & gradu revelationis* est. Olim revelabatur verbis & typis semen mulieris, quod caput serpentis contriturum. Jam, quod illud contrivit, prædicatur. Tum revelatio obscurior & accommodata ad naturam Ecclesiæ, nunc vero clarior Matth. XIII, 16. 17. Rom. XVI, 26. 2. Cor. III, 18.

XV. Sed clarior & perfectior licet nunc sit, Theologia tamen etiamnum, si in se aut comparatè cum illa in altera vita accipitur, IMPERFECTA. Nam homo in hac vita Deum, ejus consilia, opera, verbum, seipsum, felicitatem maximè futuram, aliaque imperfectè novit, 1. Cor. XIII, 9-12. 1. Joh. III, 1. Rom. XI, 33.

XVI. Cujus rei sapientissimas rationes sapientissimum Numen habet. Ita omnis sapientiæ gloria in eum redundat. Excitatur in nobis humilitas, studium precum, crebra verbi revelati lectio, si è tenebris emergere cupimus.

XVII. Eadem Theologia, si consideratur, ceu à mente humana apprehensa HABITUA-

TUALIS, si verò veritates per integram Scripturam sparsæ colliguntur, concinno ordine inter se nexæ libro consignantur, SYSTEMATICA appellari solet, atque pro scopo & modo tractandi, variè rursum subdividitur.

XVIII. Qualis si ritè instituitur, maximè utilis. Nam veritates sparsim reperiundas colligit, aptè inter se disponit, hinc perspicuitatem conciliat, & memoriam juvat. Unde à multo tempore ejus inter Christianos usus.

XIX. Dixi autem, si rectè instituitur, quod tum fit, quando (*a*) ex revelatione divina traditur. (*b*) & ea juxta regulas bonæ interpretationis intellecta, (*c*) quando dein præcipuè agit de Jesu Christo, nostrâque cum illo in fide & vita communione. Quæ nunc Theologia hisce characteribus destituta, vera Theologia dicenda non est, uti *Scholasticorum & Mysticorum* ingenio suo missa solida verbi divini explicatione abutentium.

XX. Quoniam verò omnis revelatio eò facit, ut cultum Dei, fidem in Jesum Christum & charitatem commendet, patet inde illam PRACTICAM esse, non quod veritatum revelatarum nulla requiratur notitia, quæ præsupponitur, sed quia illæ salutariter cognitæ pietatem ingenerant. Patet id (1.) ex disertis testimoniis Tit. I, 1. 1. Tim. I, 5. III, 16. VI, 3. Joh. XIII, 17. Prov. IX, 10. Jer. XXII, 15. 16. Jac. I, 22. &c. (2.) ex natura omnium veritatum,

de Deo Redemtore, proximo &c. quæ officia noſtra circa memoratas perſonas poſcunt. Unde Theologus ſine πράξει ſtulto aſſimilatur, Matth. VII, 26. qui plagas intendit, Luc. XII, 47.

XXI. SUBJECTUM Theologiæ, quam hactenus vario reſpectu contemplati ſumus, eſt homo φρόνιμος ratione præditus, 1. Cor. X, 15.

XXII. Ratio, quæ præcipua ejus pars, pollet facultate cogitandi, percipiendi, judicandi, eligendi, volendi, &c. quam nobis ſapientiſſimus Creator indidit, ut illa in cunctis actionibus ad gloriam ejus atque ſalutem noſtram uteremur, nosque ità à brutis diſtingueremus.

XXIII. Hunc in finem imbuit illam veritatibus primis, Theoreticis & Practicis, quæ omni menti communes ſunt. Unde illa vel ex ſe ratiocinatur, aut aliorum dicta factaque vera, falſa, bona, mala examinat, dignoſcit. Neque ſimpliciter aliorum hominum opinionibus credit, ſed propter veritates, quas in illis deprehendit, ſi verò nullas reperit, illis fidem habere rectè negat.

XXIV. Omne igitur, quod in natura revelatum, proprio ſtudio intuetur, in naturam ejus inquirit, de illis judicium fert, novit quippe ſuam mentem æque ac alius à Creatore factam & lumine ornatam, ut de iis judicet. Turpiter aliàs lumen, quod Deus in ipſo accen-

cendit, abſconderet, crederetque fallaci homini, qui nonniſi veraci Deo credere debet.

XXV. Si verò ipſi veritas *ſupernaturalis*, quæ captum tranſcendit, occurrit, primum de ejus divina revelatione ſollicita eſt, & eſſe debet, niſi periculo ſeductionis ſe exponere velit, 1. Joh. IV, 1. quam divino ortu perſpecto facile recipit.

XXVI. Nam (1.) ſe ipſam examinans plurima ignorare intelligit. (2.) Novit quoque illum, qui ſibi hoc lumen dedit, majus poſſidere. (3.) Adeoque illud ad ea, quæ jam ſcit, perficienda impertiri poſſe, imò pro benignitate ſua impertiri velle.

XXVII. Quare ad veritates ſupernaturales debitâ diligentiâ attendit, earum naturam & nexum ſine præjudicio conſiderat, & quando videt, illas lumen naturale confirmare, & ubi ejus acies deficit, illuſtrare, ad ſummam Dei gloriam, hominis ſanctitatem, felicitatem, ejus cum Deo communionem decenter facere, quando dein inter illas vaticinia penſitat, atque cuncta, quæ narrantur, verè geſta ex indubitatis criteriis colligit, divinas habet, eas diligit, æſtimat, admiratur, quamvis plures captum ſuum tranſcendant, perſuaſa quippe, plurima Deum ſcire, quæ ipſa ignorat.

XXVIII. Ex quo autem dogmata ſupernaturalia homo prudens recepit, illa beneficio rationis magis magisque ſibi explicat, genui-

num sensum ex litera ejusque virtute eruit, si quid concisum & obscurius dictum sibi videtur, ex prolixiori & clariori exponit, media, quæ ad solidam interpretationem ducunt, studio sibi acquirit, aliorum glossas attentè legit, & examine facto bonas ob insitam demonstrandi vim amplectitur, rejicit illas, quæ à revelationis veritate & scopo recedunt.

XXIX. Ex his constat insignis RATIONIS in Theologia USUS. *Principalis* est, quando ex proprio penu argumenta pro divinitate ac ἀξιοπιστία veritatum supernaturalium variè depromit. *Organicus* verò, quando divinitate earum agnitâ illas *recipit*, breviores & obscuriores cum prolixioribus & magis perspicuis *confert*, ex illis, quæ κατὰ λέξιν exstant, certas *consequentias nectit*, linguis Originalibus, dictionis naturâ, historiâ, rituali maximè, aliisque ad sensum eruendum commodis & necessariis mediis perspectis *illustrat*, bonas interpretationes à falsis *discernit*.

XXX. Unde nunc duo alia sequuntur. Primum; *rationis in Theologia lumen non extinguendum esse*. Nam (1.) à Deo est. (2.) illâ mediante de veritatibus judicandum, 2. Cor. X, 15. (3.) errores refutandi sunt. 1. Joh. IV, 1. 2. Tim. III, 16. (4.) litera, quæ incommodum & rei naturæ in sacris ostensæ contrarium sensum gignit, figuratè explicanda, Marc. VIII, 17. 18. Alterum; *rationem non esse Judicem Au-*

Authenticum, sive regulam revelationis, ac si id, quod supra captum hominis, falsum esset. Ratione quidem revelationis divinitas ex certis notis cognoscenda est. Sed illâ cognitâ veritatem revelatam recipit, & circa illa instrumentaliter se habet. (1.) Rationis lumen minus Revelationis: hoc itaque ad illud taniquam normam Authenticam examinari nequit. (2.) Principium cognoscendi ex natura & revelatione diversum. 1. Cor. II, 10. (3.) νόημα, quod se effert adversus cognitionem Dei, captivandum est, Gen. XXII, 11. 2. Cor. X, 5. (4.) Sequeretur aliàs, sapientes hujus mundi optimos Theologos esse, contrà id quod legimus Matth. XI, 25. 1. Cor. I, 13.24.

CAPUT II.
De
S. SCRIPTURA.

Σύνοψις.

Principium salutaris cognitionis Dei est revelatio. §. I.
Quæ mox post peccatum facta. §. II.
Primitus quidem ore ad os propagabatur. §. III.
Postea vero statu Ecclesiæ immutato literis conscribebatur. IV.
Cujus adducuntur nomina. V.

De-

Definitio. §. VI.
Divinitas, quæ cognoscitur ex materia. §. VII. VIII.
Modo tradendi, conservandi & propagandi. §. IX.
Efficacia §. X.
Scriptoribus sacris. §. XI.
Quamvis hæc argumenta dociles de divinitate convincant, attamen salutariter non agnoscitur absq; Spiritu S. §. XII. XIII.
Etiam Ecclesia variè prodest testimonium de Scripturæ divinitate perhibendo. §. XIV.
Attamen non propter hoc testimonium sed insitos characteres divina habetur. §. XV.
Hos characteres possident libri V. & N. Testam. §. XVI.
Non vero Apocryphi §. XVII.
Libri V. T. dispescuntur in Mosen, Prophetas, & Hagiographa. §. XVIII.
Sed N. in Historicos, Didascalicos, & unum Propheticum. §. XIX.
Illi plurimum Hebraicâ, si pauca Chaldaica exceperis; Hi vero Græcâ linguâ conscripti sunt. §. XX.
Vario quoque dicendi genere XXI.
Horum librorum Scriptores sunt, quorum nomina præferunt. §. XXII.
Θεοφορέμενοι XXIII.
Quoad rem & verba XXIV.
Unde infallibiles. XXV.
Libri eorum integri ad nos pervenerunt. XXVI.
Perfecti quoque sunt sive

sive omne ad salutem scitu necessarium continent. §. XXVII. XXVIII.

Adeo ut neq; traditionibus Ecclesiasticis. XXIX.

Neque verbo interno defectum supplente Ecclesia indigeat. §. XXX.

Iidem credenda & agenda dilucide proponunt. XXXI.

Alia tamen etiam intellectu difficiliora continent XXXII.

Ex perfectione & perspicuitate Scripturæ sequitur primo inesse ei sensum §. XXXIII.

Qui vel ex verbis propriè vel figuratè sumtis resultat. XXXIV.

Unicus est XXXV.

Qui vel simplex vel compositus. XXXVI.

Interpretatione bona illustrandus. XXXVII.

Ex dictis porro sequitur Scripturam esse Canonem fidei & vitæ. XXXVIII. XXXIX.

Falsum adeoque, necesse esse & dari Judicem supremum humanum XL.

Datur tamen vel singulis vel pluribus fidelibus conjunctis judicium discretionis ad πληροφορίαν. XLI.

Quod diverso respectu privatum vel non privatum XLII.

Officium nostrum circa Scripturam [a] *ut Eam recipiamus.* XLIII. XLIV.

[b] *ut omnes sine exceptione legamus.* XLV.

[c] *ideo in linguas vernaculas transferamus* XLVI.

Ver-

§. I.

PRINCIPIUM itaque Deum salutariter cognoscendi & rite colendi est revelatio supernaturalis.

II. Hæc tam primum obtigit & obtingere debuit, ac homo per peccatum viam in communionem Dei veniendi dedidicit, Gen. III, 15. &c.

III. Primitus nonnisi *propagabatur ore ad os* quod tum commodè fieri poterat, (1.) Deus ad infantilem Ecclesiam se accommodavit & pauca scitu necessaria præscripsit. (2.) frequenter apparuit docuitq; voluntatem suam. (3.) Vitam quoque ad plura secula perpetravit, unde in veritate revelata & se & posteros confirmare poterant, atque omni corruptioni providere. (4.) Tandem pauci iique fidi erant, quibus concredebantur λογία Θεοῦ.

IV. At quum hæc cuncta, Israële in Ægypto idololatrica commorante, mutata, revelatio chartis fidis & mansuris committenda erat, ut illibata ad posteros propagaretur.

V. Hinc מכתב γραφὴ, à lectione מקרא, à forma מגלה κεφαλὶς, ab usu תורה lex, עדות testimonium &c. ab ortu דבר יהוה λόγος Θεοῦ aliterque appellatur. Communiter dicitur SCRIPTURA.

Est

Est autem voluntas Dei instinctu Spiritûs S. à Prophetis & Apostolis conscripta, ut nos plenè & perspicuè de medio reconciliationis & officiis nostris erudiret.

VII. Primum, quod cum πληροφορία scire necesse, est SCRIPTURÆ DIVINITAS. Hac enim cognitâ argumentationes, quæ inde desumuntur, conscientias ad credendum obligant, non aliter.

VIII. DIVINITATIS *Characteres* sunt ℵ in *materia* (1.) Hæc enim vera, quippe easdem veritates docet, quas conscientia nostra dictat. Hujus verò dictamen divinum. (2.) Tum quoque perficit & illustrat, quod naturâ in hominibus [sed obscurius] φανερὸν est. (3.) Insuper sanctissima. Ex nulla secta, studiô licet adhibitô, tot leges sanctissimæ proferri queunt. Ex. gr. Amor Dei ex toto corde, &c. Amor proximi, etiam inimici, ut sui ipsius; Animus ab affectibus liber; Corpus castum. (4.) Præterea sibi constans. Scripta quidem diversissimis in locis & ab ingeniis. Mira tamen omnium harmonia, quod magis mirandum, quoniam non de virtutibus naturâ notis, in quibus consensus facilius datur, sed supernaturalibus maximè agit. (5.) Denique sublimis, & quæ à nullo ingenio finito excogitari poterat, quamq; tamen accuratius pensitatam principia innata probant & admirantur, veluti satisfactio Christi θεαν-θρώπε ad glorificandum justitiam Dei, quod aliter

aliter fieri non potuisset. (6.) Ultimo prophetica. Vaticinari de rebus merè contingentibus, post plurima secula futuris, nemo potest, nisi qui earundem rector, quod præter scripturam, Es. XLI, 23. ratio facilè assequitur. Et quod notandum, vaticinia illa ante implementum jam erant in plurium, etiam hostium manibus, ut fraudi adeòque nullus locus.

IX. ב *Modo tradendi, conservandi & propagandi.* Hic divinus. Veluti νομοθεσία, quæ facta cum fulgore, tonitru, &c. intuente & audiente toto populo. Insuper tot miracula, quibus & lex Mosis & Christi confirmabatur, Hebr. II, 2-5. Quæ verò solus Deus patrare potest. Ps. LXXII, 13. Joh. III, 2. Hæc autem verè gesta esse scire possumus, tum ex perpetua traditione, tum incredibili constantia Judæorum, qui legem illam & molestissimam & pretiosissimam & inter Gentes despectam à multo tempore passim tenent atque peculiarem populum constituunt, (cui exemplum simile in nulla historia datur,) tum ipsorum hostium monumentis. Divinâ quoque virtute conservabatur adversus violentas manus Tyrannorum, veluti Antiochi Epiphanis, (Joseph. p. 410. abolebatur ubicunque reperta esset βίβλος ἱερὰ καὶ νόμος,) nec non Antichristi.

X. ג *Efficacia*, quam in audientium animis reliquit. Nihil habet quod carni gratum. Præcones nulla auctoritate, nulla sapientia plurimum polle-

pollebant. Verbum tamen, quod Judæis scandalum & Græcis stultitia, brevissimo tempore totum orbem vicit.

XI. ך *Scriptoribus sacris.* Hi non *potuerunt falli*, nam testantur de eo, quod audiverunt, viderunt, exactè contrectarunt, 1. Joh. I, 1. *Nec potuerunt fallere*; Quæ narrabant, non facta ἐν γωνίᾳ in *angulo*, sed pluribus nota, & in tabulas relata. *Nec voluerunt fallere.* Simplices, candidi erant, qui propria & sodalium vitia, si quæ habebant, non reticuerunt atque hostium convitia nudè recensuerunt. Impostores fraudem cogitant ad honorem, vel famam vel divitias consequendum. Ex adverso omnia hic se habent. Omnes in fide constantes manserunt, atque uno vel altero excepto eam sanguine suo obsignarunt.

XII. Hi sunt præcipui divinitatis Scripturæ *Characteres*, qui quidem seorsim considerati probandi vim habent, maximè tamen conjunctim, quos unâ in alio scripto non reperis.

XIII. Illi, qui sine præjudicio attente hos Characteres pensitant, ex iis Verbi divinitatem colligent: *Convictio* tamen, quæ salutaris, cum amore verbi & constanti gaudio, peculiare *Spiritus Sancti* opus. Quod patet (*a*) Omnis cœlestis sapientia ab eo proficiscitur. (*b*) Ea speciatim de Jesu Christo, 1. Cor. II, 12. 1. Thess. I, 5. 1. Joh. v, 6. (*c*) Unde fit, ut, quando co-

ram pluribus idem verbum prædicatur, non omnes credant, Act. XIII, 52. XVI, 14.

XIV. De divinitate Scripturæ etiam *testatur Ecclesia* scil. (1.) esse verbum Dei sibi creditum, Rom. III, 2. (2.) Proferendo ex ea argumenta ad convincendum, quorum tanta vis, ut verbum tanquam Dei recipiatur (3.) Explicando secundum regulas bonæ interpretationis (4.) Discernendo à libris suppositis & falsis interpretamentis.

XV. Quod *testimonium*, maxime in principio, plurimùm valet sed *non Authenticum* est, sive scriptura non ideò ceu verbum Dei recipitur, quoniam hoc de illa testimonium tulit Ecclesia (α) Habet enim verbum divinum auctoritatem obligandi ad fidem & vitam in se: Habebit per consequens etiam quoad nos. Nam auctoritas legis in se tantum perinde ac nulla auctoritas. (β) Si non sufficit quoad nos, tum vel ideò, quia argumenta insufficientia ad αὐθεντίαν constituendum vel ad demonstrandum, sed neutrum valet. (γ) Dependet aliàs Scripturæ auctoritas à fide humana, quod absurdum Joh. v. 34-40. Negat Christus se testimonium ab homine vel sanctissimæ fidei accipere: Provocat autem ad opera & Scripturam (δ) Scriptura similis *igni*. Hic ex proprietatibus suis infallibiliter cognoscitur. (ε) Ecclesiæ auctoritas unicè pendet ab auctoritate Scripturæ, Eph. II, 20. Malè ergo hæc suspenditur ab illa. (ζ)

Nulla

Nulla aliàs aut dogmatis probatio aut Ecclesiæ notitia datur. Si enim quæris rationem divinitatis Scripturæ, respondebit, quia Ecclesia dicit, sed unde scis hoc Ecclesiæ testimonium authenticum esse? Scio, inquit, quia hoc jus Ecclesiæ Scriptura tribuit. Atque ita committitur circulus.

XVI. Scriptura, cujus Divinitatem & Auctoritatem supra Ecclesiam hactenus evicimus, continetur *LIBRIS V. & N. TESTAMENTI*, quorum illi de Christo in carne manifestando, hi manifestato præcipuè agunt. Hi soli *Characteres Divinitatis* memoratos ritè possident.

XVII. Non verò *Apocryphi* Hebr. גנוזים ceu *abscondendi*. Nam (1.) deficit Materia, quæ subinde falsa, vero Canoni contraria. (2.) Deficit authentica traditio: Neque enim Ecclesiæ vel Judaicæ vel Christianæ primitivæ verè traditi sunt. (3.) Deficiunt Auctores θεόπνευστοι post *excessum Haggai, Zachariæ, Malachiæ.*

XVIII. *LIBRI V. TESTAMENTI* jam antiquitus dividebantur in tres partes תורה *legem* נביאים *prophetas* כתובים ἁγιόγραφα. Quo probabiliter respicit Christus, Luc. xxiv, 44. Exprimebantur autem loco tertiæ partis *Psalmi* vel quia olim primum in ea habebant locum vel quia illi ex hac parte præcipuè de Christo agunt.

XIX. *LIBRI N. TESTAMENTI*

à potiori Materia in *Historicos* Evangelistarum & Actorum Apostolicorum, *Didascalicos* Epistolarum Pauli, Jacobi, Petri, Johannis, Judæ, *Propheticum*, qui ἀποκάλυψις, dispescuntur. Illorum Malachias: Horum Johannes חותם *sigillum* simili clausula extitit.

XX. *Lingua*, qua conscribebantur, *non una*: Variabat illa pro vario Ecclesiæ statu; *Hebraica*, quando populus Hebraicè loquebatur; *Chaldaica*, quando hæc notior fieri cepit; *Græca* verò, quando & in orbe usitatissima & cœtus ex Græcis plurimum colligendus erat.

XXI. *Nec unum scribendi genus.* Nam quemadmodum variabant Scriptores, eorum ingenia, studia, mores, etiam dictio diversa erat. Spiritus Sanctus utebatur instrumentis ratione præditis, qua suo intellectu & sermone utebantur, & ab eo dirigebantur. Unde styli diversa facies, quæ etiam in libris N. Testamenti cernitur. Hic ad linguam Hebraicam evidentissimè in pluribus locis accedit, Matth. XXI, 42. &c. Nec mirum: Scriptores Hebræi: Materia plurimum ex Hebræo fonte: Primi Auditores Hebræi.

XXII. *Scripti autem sunt ab iis, quorum nomina præ se ferunt.* Hoc credere fas est ob idem temporum sibimet succedentium continuum testimonium. Ita enim Josephum, Plinium, aliosque profanos scriptores, Auctores libro-

librorum, qui ipsis attribuuntur, habere solent eruditi.

XXIII. Et scripti sunt *INSTINCTU SPIRITUS SANCTI*: Patet (1.) ex materia. Hæc sublimis, prophetica, &c. cœlitus suggerenda. (2.) Testimoniis ipsorum scriptorum,(quod,ex quo eorum candorem probatum dedimus, vim probandi habet.) Constat (*a*) ex 2. Tim. III, 16. πᾶσα γραφὴ θεόπνευς. (*b*) 2. Pet. I, 21. *sancti Dei homines* ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι *à Spiritu S. lati locuti sunt.* (*c*) Specialibus mandatis, quæ ad inspiratum scribendum data leguntur, Jer. XXXVI, 2. Exod. XVI, 14. Jes. VIII, 1. &c.& tot formulis: *Et dixit Deus ad me &c.* (*d*) Ubi verò præceptum non exprimitur, non putandum tale non datum fuisse. Non necessarium erat id semper monere. Omnium eadem ratio. Quod de tota Scriptura dicitur, id etiam de qualibet parte, 2. Tim. III, 16.

XXIV. *Inspiravit autem Spiritus S.* (*a*) *Res* tum *cognitas* ob πληροφορίαν, legitimum selectum, Joh. XXI, 25. Tum *incognitas*, Mysteria veluti, typos, Prophetias, Historias multò ante factas. (*b*) Etiam *verba*, si non prorsus omnia, saltem ea, à quibus peculiaris Emphasis, Gal. III, 16. καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ, ὡ λέγει καὶ τοῖς σπέρμασιν, *& semini ejus: non dicit & seminibus, ut de pluribus sed tanquam de uno*, & significatus dependet.

XXV. Unde sequitur *Scriptores infalli-*

biles fuisse. Elucet porrò (*a*) ex Joh. XVI, 13. neque enim sibi relinquebantur, sed *ducebantur* & quidem in *omnem veritatem*. (*b*) ex Scripto, quod infallibile, 2. Cor. II, 17. firmum 2. Petr. I-20.

XXVI. Hi dein libri *INTEGRI & INCORRUPTI*, ad nos pervenerunt, ut in iis certam fidei & vitæ normam habeamus. Qui enim perierunt, ad Canones non pertinent. Nulla quoque σφάλματα, quæ articulos salvificos corrumpunt, irrepserunt. Rationes sunt (*a*) Voluit Deus, ut verbum suum perpetuò in Ecclesia esset & doceret viam veniendi in communionem sui, *Verba mea, quæ posui in os tuum, non recedent ab ore tuo, & ab ore seminis tui, & ab ore seminis seminis tui, inquit Jehovah, ex nunc usque in æternum.* Esa. LIX, 21. Matth. V, 18. Hocce autem verbum ex parte vel periisse, vel corruptum esse statuere, alienum à Providentia, Sapientia, Bonitate & Potentia Dei est. (*b*) Quare jam olim ordinavit, ut asservaretur in loco sacerrimo, Deut. XXXI, 26. quem adeundi nemo potestatem habebat, nisi pontifex semel in anno. (*c*) Ecclesia quoque officio suo gnaviter defuncta est, sólliciteque thesaurum hunc custodivit: Laudabilis maximè Esræ & Masoretarum opera, quâ Scriptura ab errore præservabatur. (*d*) Ecclesia, Judaica speciatim, fraudis aut neglecti officii accusari nequit, utpote quæ supra quam credibile est hac in parte fidatum

tum in describendo, tum legendo, Act. XV, 21. (e) Hinc nunquam a Christo accusatur. (f) Fideliter refert ea etiam capita, quæ de Messia inter nos controversa sunt. (g) Si corruptio facta, tum vel ab una secta tantum, aut ab omnibus. At neutrum cum ratione dici potest.

XXVII. Ex eo, quod hactenùs probavimus, Scripturam librum Dei esse, &c. consequitur quoque eam omne id plenè & planè continere, quod ad salutem nostram necessarium. Hic enim revelationis supernaturalis scopus, quo Deus non excidit.

XXVIII. Est ergo *PERFECTA* sive omne id tradit, quod ad finem assequendum ex instituto divino tradere debet. Hæc inest & omnibus libris conjunctim & singulis seorsim consideratis, alia disertis verbis, alia per evidentem consequentiam tradens. Probatur: Nam (1.) *perfecta in se lex Dei* תמימה Ps. XIX, 8. Hinc nihil addendum aut adimendum à quopiam hominum sub gravissima pœna, Deut. XII, 32. Apoc. XXII, 18. 19. (2.) *Perficit* quoque lectores & auditores, 2. Tim. III, 15, 16. Apoc. I, 3. Vera docendo, falsa refutando, mores regendo eo successu ut homo perfectus beatusque reddatur. (3.) quod necessarium, nam tradit *omne consilium Dei* circa peccatorem, Act. XX, 27. Christus *omnia* Apostolis notificavit, Joh. XV, 15. Spiritus S. *omnia*

eos docuit, XIV, 20. Hi omnia fide annuntiarunt, ut alio Evangelio non opus sit, Gal. I, 8.

XXIX. *Per consequens non supplenda traditionibus non scriptis* fidem & mores spectantibus, quæ pari pietatis affectu & reverentia suscipiendæ, ac ipsa scriptura. Traditiones non simpliciter respuendæ ceu quæ varium usum habent, sed probè explorandæ, minimè divinæ habendæ sunt. (1.) Tales in Ecclesia asservari nullibi nos docet Scriptura. (2.) Potius monet, ut nobis ab illis caveamus, Matth. XV, 3. Coloss. II, 20. 1. Tim. IV, 1. quibus traditiones in Ecclesia Romana simillimæ & ita una notatæ sunt. (3.) Ecclesiæ nec Judaicæ nec Christianæ primitivæ traditæ. (4.) Imò ipsorum Romanorum, saltem doctiorum, confessione admixta sunt hominum commenta, unde *difficile veras traditiones à falsis discernere.*

XXX. *Neque internum, cordi suggestum, perfectum illud, ad quod omnes Scripturæ sensus explorandi sunt*, quasi externum prima rudimenta tantum traderet, & inserviret præparationi rudiorum ad perfectum internum verbum. Rationes (1.) Scriptura est unica norma fidei & vitæ nostræ, Jes. VIII, 19. 20. 2. Tim. III, 16. 1. Joh. IV, 1. (2.) Cum hac cœlestis inspiratio conjunctissima est, Es. LIX, 21. (3.) Unde, qui pleni Spiritu Sancto, quales Apostoli, eam in corde & ore semper habue-

buerunt, Act. II, 25. &c. (4.) Ejusmodi verbum internum vagam imò nullam Religionem efficit. (5.) Et omnibus sceleribus januam aperit. Aliàs verbum internum, quod cum externo convenit, in cordibus fidelium per Spiritum S. produci minimè negamus.

XXXI. Scriptura insuper *PERSPICUA* est, sive omnia fidei & actionum nostrarum ad salutem necessaria dogmata dilucide tradit, ut ea attentus Lector intelligere queat, (1.) Hoc enim testimonium de se ipso perhibet, Ps. XIX, 9. *Præceptum Adonai* ברה *lucidum.* מאירת *illuminans oculos,* Ps. CXIX, 105. Prov. VI, 23. Imò ipse sermo propheticus, qui, si quis alius, obscurus, lucerna lucens dicitur, 2. Petr. I, 19. (2.) Constat dein inductione articulorum fundamentalium veluti Trinitatis, 1. Joh. V, 7. θεανθρώπε, 1. Tim. III, 16. unici Redemptoris, Act. IV, 12. 1. Cor. I, 30. fide apprehendendi ad justificationem nostram, Rom. III, 24. 25. &c. qui disertis verbis leguntur. (3.) Hic quoque verbi ad fideles dati scopus, ut ex ejus lectione salutis viam certò nossent, quem procul dubio attigit Deus. (4). Neque aliàs sub gravissima pœna homines obligari possent ad credendum & agendum, quorum certam cognitionem adhibitis debitis mediis consequi nequeunt.

XXXII. Non tamen negatur plura δυσνόητα in sacro codice esse, non solum circa Mysteria,

sed etiam vaticinia eventu nondum adimpleta aut ritus, historias verbo tantum indicatas, vel vocum, phrasium ambiguitatem. Hæc cognitu utilia quidem sed non simpliciter necessaria. Obscurius exstant, ut & simplicitatem & profundam sapientiam in verbo Dei admiremur.

XXXIII. Perfectio autem & perspicuitas consistit in *SENSU SCRIPTURÆ*, qui est mens Spiritus Sancti, quam ex vi vocabuli, scopo, nexu, circumstantiis eruo.

XXXIV. Sensus modo ex verbis *propriè*, modò *figuratè* acceptis resultat, uti: *Ego sum via, &c.* Propria significatio semper retinenda, si fieri potest; Si non, impropria. Atque hoc quando propria evidentem impossibilitatem involvit, aut in pietatem vel decorum insurgit, vel etiam si circumstantiæ figuratam lectionem innuunt.

XXXV. Sensus verò *unicus* est, sive certum aliquid intendit divinus Auctor quod devotus lector debitâ diligentiâ nosse valet.

XXXVI. Unicus vel *simplex*, vel *compositus*. Nam etiam id unicum, quod ex partibus componentibus constat. *Ille*, quem litera primò præ se fert & sub quo alius non latet. *Hic*, quando id, quod litera significat, ex instituto divino ad aliud insuper significandum adhibetur, qui in typis & prophetis frequentissimus. Exemplum esto Exod. XII, 46. *Ossa* agni paschalis

non

non frangetis, conf. Joh. XIX, 36. Atque in hoc modestia & prudentia legentis requiritur, ne ingenio suo nimis fidat.

XXXVII. Sensus *interpretatione* clarus existit. Sunt quidem articuli fundamentales clarè scripti, interpretatione tamen eorum veritas magis clarescit. Dein non ubique perspicuè exstant. Difficiliora, δυσνόητα, licet ad salutem absolutè non necessaria, utilia tamen, sapientiam Dei illustrant, fidem nostram confirmant.

XXXVIII. Ex perfectione & perspicuitate Scripturæ sequitur illam esse *CANONEM, JUDICEM FIDEI & VITÆ*, ut id verum, bonum, quod cum illa convenit, falsum, malum, quod ab ea recedit. Ut *perfecta*, omnia ad salutem necessaria, ut *perspicua* eadem planè continet.

XXXIX. Probatur porrò (1.) Nominatur enim κανὼν (*quasi* à קנה *instrumento mensionis*) Gal. VI, 16. Phil. III, 16. *regula*, cujus est recta & curva indicare. (2.) λόγος κριτικὸς *Sermo, qui judicat cogitationes & intentiones cordis* bonas, malas, nec leviter sed summa cum ἀκρίβεια. (3.) Utilis πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν *ad refutationem* errorum, *redargutionem* vitiorum 2. Tim. III, 16. & Es. VIII, 20. (4.) Christus & Apostoli in disputationibus ad hanc normam, Judicem provocarunt, Matth. IV, 4. Act. II. & in tot aliis locis. Quod judicium impudentissimi hostes nihilominus admiserunt. (5.) Judex

dex dogmatum ad salutem necessariorum requiritur infallibilis & omnipotens. Hic solus Deus & verbum ejus.

XL. *Ergo nullus Judex fidei humanus, visibilis, supremus, infallibilis*, qui auctoritate suprema omnes de fide quæstiones decidat & in cujus decisione alii simpliciter acquiescere debeant. (1.) Nullibi Deus in verbo suo talem judicem declaravit, quod tamen necessarium esset. (2.) Sed contra judicandi libertatem omnibus fidelibus dedit, 1. Cor. X, 15. 1. Thess. V, 21. 1. Joh. IV, 1. (3.) Imò inculcavit, ne nos placitis humanis in Religione constringi sineremus, ut ita unicè Jesu Christo, cujus servi sumus, adhæreamus, Coloss. II, 20. 1. Cor. VII, 23. (4) Omnis judex humanus fallibilis, impotens, qui controversias dirimere nequit & subinde reus. (5.) Talis judex est dominus fidei aliorum, qui alius à charactere Apostolorum, 2. Cor. IV, 1. Ipse Antichristus, 2. Thess. II, 4. Nam tribuit sibi eam gloriam, quæ solius Dei Jac. IV, 12.

XLI. *Necessarium tamen est judicium discretionis pluribus collectis vel singulis seorsim ad discernendum verum à falso, πληροφοείαν suam competens.* Nam (1.) unusquisque in propria mente persuasus esse debet, Rom. XIV, 5. (2.) Hinc laudantur Beroenses, quod ἀνακείνοντες τὰς γραφάς, postquam de verbo Apostolorum ex sacris judicaverunt, crediderint, Act. XVII,

XVII, 11. & (3.) omnes monentur voluntatem Dei explorare, Rom. XII, 2. de controversiis judicare, 1. Corinth. X, 15. Imò omnia discernere, 1. Corinth. II, 15. & explorare rejectis inutilibus, 1. Thess. V, 21. & doctrinis falsis, 1. Joh. IV, 1. Additâ hac ratione, *quia multi Pseudoprophetæ in mundum ingressi sunt.* Qui igitur judicium alii submittit, incertus est an non Pseudoprophetæ sententiam subjecerit.

XLII. *Hoc judicium diverso respectu privatum & non privatum.* Privatum, quatenus omnis fidelis doctrinam alterius ad pacandum conscientiam suam dijudicandi facultatem habet, Rom. XIV, 5. Non privatum, quatenus judicium hoc non ex proprio cerebro sed secundum scripturam ferendum, 1. Joh. IV, 1.2. 3. 2. Petr. I, 20.

XLIII. Dicta declararunt, qualis scriptura in se & quoad nos sit. OFFICIUM verò NOSTRUM ERGA SCRIPTURAM est

XLIV. I. *Ut tanquam verbum Dei recipiamus*, 1. Thess. II, 13. Nihil in dubium vocemus aut sapiamus supra vel contra id quod scriptum.

XLV. II. *Ut eam omnes sine exceptione attentè legamus.* (*a*) Hic enim revelationis factæ præcipuus scopus. (*b*) Ideò Christianis injunctum, ut verbum Dei πλουσίως *diviter* in iis habitet. (*c*) Et laudantur qui cum judicio legunt

Act

Act. XVII, 11. (*d*) atque beati prædicantur Apoc. I, 3. (*e*) Promiscuè omnium hoc officium est non sacerdotum sed & Regum, qui etiam describere jubebantur. Deut. XVII, 18. 19. [Quod ex Judæorum mente omnibus Israëlitis incumbebat,] non doctorum sed etiam totius cœtus, Deut. XXXI, 11. 14. Coloss. IV, 16. 1. Thess. V, 27. Non senum sed & juvenum, Deut. VI, 7. 2. Timoth. III, 15.

XLVI. III. *Ut ideò in linguas vernaculas transferamus.* Optandum quidem, ut ii, ad quos Deus, per viros sanctos scripsit, literas divinas ad majorem πληροφορίαν in originali legere possent, sed quandoquidem nostra tempora ad hanc felicitatem non assurgunt, verbum in vulgares linguas convertendum. Fluit ex scopo revelationis. Ipse Deus se accommodavit *in lingua* ad statum Ecclesiæ atque modò Hebraicè modò Chaldaicè, modò Græcè, prout is requirebat, scribi jussit; Effudit quoque donum linguarum in Apostolos, ut salutem per Christum partam ad omnes gentes annunciare possent. Testatur dein praxis Ecclesiæ Judaicæ, Græcæ, Syriacæ, Arabicæ, Æthiopicæ, Armenicæ, tot aliarum, quæ verbum Domini in vernaculas verterunt.

XLVII. *Versionum autem norma est textus authenticus*, nam is infallibilis: Prima versio ex illo cusa, quare non etiam aliæ. Versiones om-

omnes erroneæ sunt, aliæ magis, aliæ minus. Talis quoque vulgata, quæ ridiculè ante expurgationem suam authentica declarata.

CAPUT III.
De
EXISTENTIA ET ESSENTIA DEI.

Σύνοψις.

Scripturæ, de qua modo ante, præcipuum objectum Deus. §. I.

Cujus existentia probatur tum ex rebus corporeis, earum scilicet existentia § II.

Concinno ornatu. §. III.

Generatione. §. IV.

Conservatione. §. V.

Gubernatione. §. VI.

Tum natura rerum spiritualium. §. VII.

Tum conscientia hominum §. VIII.

Tum denique consensu gentium. §. IX.

Tum ultimò Scriptura. §. X.

E. Deum esse certissimum, sed ejus natura à nobis plenè non comprehenditur §. XI.

Attamen ex aliqua parte Deus cognoscitur. §. XII.

Cognitis scil. Nominibus & Attributis Dei. §. XIII.

Et Nomina quidem tum

tum Hebraica יהוה אלהים, יה, אחיה שדי, עליון, אדני, אל §. XIV. XV.

Tum Græca Θεὸς, Κύριος, *essentiam simplicissimam, summam decentiam, potentiam,* ὑπεροχὴν *docent.* §. XVI.

Attributa verò, quæ perfectiones essentiales Deo attributæ sunt. §. XVII.

Quorum quædam incommunicabilia, alia, certa ratione, communicabilia. §. XVIII.

Rursùm quædã Deum in se consideratum, alia verò actuosum respiciunt. §. XIX.

Deum in se consideratum respiciunt unitas §. XX.

Independentia. §. XXI.

Spiritualitas. §. XXII.

Invisibilitas. §. XXIII. XXIV.

Infinitas. §. XXV.

Æternitas. §. XXVI.

Quæ includit æternum necessariò existendi modum, mortalibus non satis comprehensibilem. §. XXVII.

Immensitas. §. XXVIII.

Immutabilitas. §. XXIX.

Deum actuosum respiciunt vita §. XXX.

Hæc consistit in intelligendo & volendo. §. XXXI.

Intellectus. §. XXXII.

Ad hunc refertur & cognitio §. XXXIII. XXXIV.

Quâ seipsum, decreta omnia alia extra se, etiam cogitationes cordis, actiones bonas & malas, præterita, præsentia, futura, necessaria, contingentia novit. §. XXXV.

Et quidem per seipsum, unico actu, cla-

clarissimè, verissimè §. XXXVI.

Et sapientia. XXXVII.

Voluntas, in qua quoque vita Dei consistit. §. XXXVIII.

Illustratur comparando eam cum voluntate humana. §. XXXIX.

Est in se unica. Considerari tamen potest vel ut arcana vel revelata. §. XL.

Voluntati accidunt affectus & virtutes. §. XLI.

Affectus, qui Deo attribuuntur, alii sunt, quam humani scil. actus voluntatis divinæ, qui eas operationes producunt, quas affectus analogi in hominibus. §. XLII.

Virtutes DEI cum nostris aliqualiter conveniunt. XLIII.

Sunt autem sanctitas. §. XLIV.

Justitia. §. XLV.

Quam exercet, vel ut Dominus universi, vel ut Dominus creaturarum rationalium. §. XLVI.

Aliquando pro absoluta potestate peccatores diversi gradûs eodem judicio temporali involvit. XLVII.

Vocatur ultrix, quæ, quamprimum peccatum existit, illud impunitum dimittere nequit. XLVIII.

Bonitas. §. XLIX.

Competit quoque voluntati Libertas, quæ vel necessaria, vel indifferens, §. L.

Potestas. §. LI.

Potentia. §. LII.

Quæ versatur circa omne quod perfe-

ctioni naturæ suæ convenit. §. LIII.
Ex his Attributis resultant Beatitudo. §. LIV.
Gloria. §. LV.

§. I.

THeologiæ & Scripturæ primum & præcipuum objectum DEUS, sive Ens perfectissimum.

II. *Tale existere probant A. res corporeæ in mundo existentes.* 1. Hæ vel ab æterno sunt, vel seipsas in tempore produxerunt aut ab alio productæ sunt. Primum dici nequit: Rebus creatis, fluxis, varia imperfectione laborantibus, æternitas minimè competit. Non secundum; Nam nihil est causa sui ipsius, & res debuissent esse antequam erant. E. ab alio productæ sunt. Qui verò res maximas, innumeras, è nihilo produxit, oportet sit potentissimus, h. e. Deus.

III. 2. *Earum concinnus ornatus*, qui in cœlo, terra, omnibus operibus Dei conspiciundus est. Hic certe non fortuitus vel *quod si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur domum, cur templum non potest, quæ sunt minus operosa & multo quidem faciliora.*

IV. 3. *Generatio.* Bestiæ à bestiis, homines ab hominibus generantur. Illæ solo naturæ instinctu ducuntur, nihil intelligunt, nihil constitu-

stituunt facere, generatur tamen corpus ipsis simile. Homines quidem intelligunt, prolem desiderant, sed ad fœtus formationem nihil facere queunt. Editur tamen homo artificiosissimus, Parentibus simillimus. Unde hoc? Non à genitoribus. E. à Deo.

V. 4. *Conservatio.* Res, quæ sibi ad primo existendum non suffecerunt, non sufficiunt sibi ad porro existendum. Si sufficerent, tum illam vim intelligerent, se conservarent. Dantur dein in mundo res heterogeneæ & sibi exitialiter adversæ, quæ nonnisi divina virtute conservantur.

VI. 5. *Gubernatio.* Omnia in mundo ad certum finem agunt & effectum convenientem sortiuntur, Sol, Luna, Stellæ, animalia, arbores &c. Unde hoc? Ipsa sunt omnis consilii incapacia. In homine quoque sunt operationes naturales, quas ipse non dirigit, quæ tamen ordinatæ. Omnis verò ordo ab ordinante aliquo: Talis non creatura E. Creator.

VII. B. *Res spirituales.* Hæ existunt, vel non existunt. Posterius falsum. Si existunt, producuntur vel à corporibus, vel à se ipsis aut spiritu potentiori. At corpora alius naturæ à spirituali: Spiritus spiritum pariter procreare nequit. Oportet sit Spiritus potentissimus, cujus voluntate reliqui creantur.

VIII. C. *Conscientia hominis*, quæ ob malam actionem tristis est & graviter angitur, nec

tum solùm, quando facinus aliis intuentibus patratum sed & nemine præsente, imò eorum quoque anxia est, qui supra omnem potestatem humanam sunt, quos nemo punire valet. Anxietas ergo à Deo corde humano majore.

IX. D. *Consensus Gentium.* Omnium hominum, etiam Barbarorum animis inditum est esse Deum: In quo autem omnes consentiunt, id falsum esse nequit.

X. Hæc sunt fortiora pro existentia Numinis ex natura argumenta. Eadem confirmat Scriptura *illustratque* indicans, quomodo Deus res corporales, spirituales creaverit, etiamnum producat, conservet, gubernet, *Nova* insuper *argumenta* ex apparitionibus, prædictionibus, miraculis &c. *profert.*

XI. Indubitatum itaque est esse Deum sive perfectissimam omnium entium causam. *Ejus* tamen *naturam nulla creatura plenè comprehendit.* Nec mirum. 1. Quum homo nequidem seipsum penitùs noscat 2. & Dei essentiam nemo videre queat, Exod. XXXIII, 20. 1. Tim. VI, 16. 3. quippe quæ incomprehensibilis Rom. XI, 34. cujus decreta & actiones imperveſtigabiles v: 33. & Ps. CXXXIX.

XII. *Attamen ex parte* 1. Cor. XIII, 9. cognoscitur á creatura rationali attendente ad lumen rationis Rom. I, 19. 20. Act. XVII, 27. maxime revelationis Ps. XIX, 8. 9. quæ etiam cogni-

cognitio ad salutem sufficit Joh. V, 39. XVII, 3. Apoc. I, 3.

XIII. *Speciatim nomina & attributa Dei nos in ejus notitiam ducunt.* Hinc Deus Mosi visionem gloriæ divinæ expetenti nomina & attributa nota facit Exod. XXXIII, 18. 19. XXXIV, 5. 6.

XIV. *Et* NOMINA (quasi novimina) *declarant varias in Deo perfectiones*, essentiam simplicissimam, summam decentiam, potentiam, ὑπεροχὴν. Sunt *vel Hebraica, vel Græca.*

XV. *Hebraica sunt*: יהוה א vel quod idem אהיה Exod. III, 14. 15. exprimens perfectissimam essentiam, & veracitatem in actionibus & promissionibus Gen. II, 4. Exod. VI, 5. quod eleganter Hebræi circumscripserunt הוא היה הוה ויהיה *qui est, erat, & qui futurus*, quos imitatus Johannes in Apocalypsi Apoc, I, 4. Nomen hoc soli Deo proprium Exod. III, 15. ceu cujus notio creaturæ non competit: Hinc nominis proprii naturam habet. Olim quidem sine discrimine pronunciabatur, postea verò tantum in Templo à Sacerdote benedicturo. Quo destructo ἀνεκφώνητον apud Judæos venerationis testandæ gratiâ. יה ב itidem Deo proprium, summam virtutum divinarum decentiam indicans, cujus itaque in laudibus decantandis usus הללויה *Laudate JAH*, ג. אלהים qs. σέβασμα *Numen colendum.* Numerus & con-

structio varia pluralitatem personarum in unica essentia subinnuit. In exiliori sensu communicatur etiam creaturis potentibus. אל. ר *roboris* notionem plurimi vocabulo inesse putant qs. ab איל *facultate* Pf. XXII, 2. ארני. ה *Adonai* significat Deum, qui *fundamentum* aliorum est, à quo alii dependent. Notabilis est illa diversa punctatio Jud. VI, 13. 15. quem prius Gideon *Adoni* appellabat, postea *Adonai* cognoscens Deum esse, cum quo verba facit. שדי. ן *Schaddai* Gen. XVII, 1. Exod. VI, 3. vel omni sufficientiam vel potentiam Dei notat. Es. XIII, 6. עליון. ז LXX. ὕψιστος quos Scriptores N. T. subinde imitantur. Indicatur ὑπεροχὴ Dei super omnes creaturas.

XVI. *Sequuntur Græca.* א. Θεὸς, unde *Deus*. Probabiliter à θέω, sive τίθημι *pono*, nam ponit & disponit omnia. Nomen, quod ipsam Dei naturam notat v. Gal. IV, 8. 1. Cor. VIII, 6. unde θειότης Rom. I, 20. Aliis quoque sed sensu valde diminuto communicatur. ב. Κύριος, quod Hebræorum יהוה frequenter substituunt, à κύρειν היות *esse* ortum trahit. Christo sæpissimè & cum ἐμφάσει datur 1. Cor. VIII, 6. Act. II, 36.

XVII. Alter Deum cognoscendi modus est per ATTRIBUTA, *quæ perfectiones Deo in Sacris attributæ sunt*. Essentia divina est unica universalis perfectio, non tamen à nobis unico & adæquato conceptu cognosci potest, sed distinctis, ut aliqualem ejus notitiam

tiam nobis acquiramus. Accomodat se Scriptura ad captum nostrum varias perfectiones sub variis attributis exprimens, quando *æternum* Deum nominat aliud nos docet, quam si *immensum*, licet hæc re ipsa in Deo distincta non sint.

XVIII. *Attributa hæc diversimode considerantur: Quædam Deo insunt, ut nulla ratione creaturæ inesse queant*, uti *independentia, infinitas &c.* & dicuntur *incommunicabilia*; *Alia Deo ita insunt, ut in tenuiori notione etiam de creaturis prædicentur*, uti *vita, sapientia &c.* & appellantur *communicabilia*, licet etiam hæc ipsa ἐν δυνάμει accepta sint incommunicabilia Matth. XIX, 17. 1. Tim. I, 17.

XIX. *Vel quædam simpliciter respiciunt Deum in se consideratum; Alia actuosum. Illa* Unitas, Independentia, Spiritualitas, Infinitas, Æternitas, Immensitas, Immutabilitas. *Hæc* Vita, Intellectus, Voluntas, Omnipotentia: Ex his resultat omnisufficientia & gloria.

XX. UNITAS *Dei illa est, per quam essentia Divina omnis multiplicationis expers, adeò ut Deus unus, solus, nec quisquam præter illum.* Patet א. ex Scriptura, in qua אחד εἷς *unus* Deut. VI, 4. 1, Cor. VIII, 6, μόνος ἀληθινὸς θεὸς *solus verus Deus* Joh. XVII, 3, exclusis aliis: *Ego Jehovah & nemo præterea;* זולתי

præter me non Deus Es. XLV, 5. & 6. unde אלהים אחרים *Dii alii* prohibentur Exod. XX, 3. quales λεγόμενοι plures erant 1. Cor. VIII, 5. Hoc *de* Deo attributum ceu maximi momenti & prima veritas præcipuè notandum Deut. VI, 4. ב. ex ratione. Deus, si non unus est, non est independens, infinitus, omnipotens, quod verò falsum ג. Idem sapientiores Gentiles, (quamvis reliqui plerumque πολύθεοι exstiterint) si serió sentiebant, judicarunt. *Discendum ante omnia*, ajebat Epictetus, *unum esse Deum.*

XXI. INDEPENDENTIA *Dei, per quam negatur illum à quopiam in esse aut operari dependere; Affirmatur autem esse à se, cuncta verò ab ipso dependere.* Nam est יהוה, ὁ ὤν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος *Deus, Deus noster*, cujus omnia sunt, nec quempiam, si re aliqua utitur, rogat, quod qui dependet, facere tenetur Ps. L, 7. 10. 12. Is est τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος Apoc. XXII, 13, non ergò dependere potest sed cuncta alia ab ipso dependent, hoc attributo insignitur ad potestatem suam indicandum, Rom. XI, 36. *ex illo & per illum & ad illum sunt omnia.* Quod etiam ratio nostra facillimè assequitur, quando enim res creatas intuetur, illas ordine ab independente dependere animadvertit. Orphæus, observante Lactantio Instit. div. l. 1. C. V. Deum verum & magnum

πρωτό-

πρωτόγονον appellat quod ante ipsum nihil sit genitum sed ab ipso sint cuncta generata.

XXII. SPIRITUALITAS, *per quam essentia Dei immaterialis, purissima, simplicissima est.* Dicuntur nonnulla Spiritualia, quæ tenuissimum corpusculum habent, sed minimus concretionis vel molis conceptus essentiæ divinæ adversatur. *Nam* Deus passim in sacris dicitur רוח πνεῦμα *Spiritus* Gen. I, 2. & Jes. XXXI, 3. etiam Joh. IV, 24. ubi rectissimè ἐστὶ subintelligitur, unde ritè sequitur Deum delectari cultu ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ imò אל אלהי הרוחות *Deus, Deus Spirituum* Num. XVI, 22. παντὸς πνεύματος Hebr. XII, 9. Quando autem animæ nostræ immateriales, spirituales ab illo, oportet & ille sit spiritus. Aliàs mens nostra ab illo non esset, utpote quæ à corpore oriri nequit. Deus materialis non est Deus. Materia omnis imperfecta, divisibilis, mutabilis, iners, motum recipiens, &c. ex qua Deus verus constare nequit. Unde etiam Deus à Gentibus *mens* agnitus est.

XXIII. Per consequens Deus etiam est INVISIBILIS. Visibile nonnisi quod materiale & coloratum. Hinc in sacris dicitur ἀόρατος Col. I, 15. qui si vel transit nos, non videtur Job. IX, 11. imò *quem nemo videre potest* 1. Tim. VI, 16. Nemo unquam mentem suam vidit, per consequens etiam non Dei.

XXIV. Quando igitur Deo membra attri-

buuntur aut videns dicitur, cave intelligas de essentia divina. Membra nobiliora ἀνθρωποπαθῶς de Deo prædicantur, ut facilius actiones Dei intelligamus, quæ θεοπρεπῶς accipienda. Sic non Deus visus sed symbolum præsentiæ divinæ Deut. IV, 12. 15. 16.

XXV. INFINITAS *Dei, per quam omnes cogitabiles perfectiones sine fine, modo nobilissimo, possidet, nec additamenti capax est.* De hac infinitate testatur scriptura & ratio. *Illa* veluti Job. XI, 9-11. *An* חקר *pervestigationem Dei invenies? an extremitatem Schaddai invenies?* & quum extremi fines sint altitudo cœli, profunditas abyssi, terræ longitudo & maris latitudo, Deus tamen ejusque sapientia his finibus non includitur, uti Tzophar validissime finitatem in Deum & ejus sapientiam cadere negat. Jes. XL, 12. 13. *Quis mensus est pugillo suo æquor & cœlos spithama exæquavit, complexus est in trientali pulverem terræ ac appendit in lance montes collesque in libra? Quis* תכן *ponderavit Spiritum Adonai?* E. Deus, qui hæc vastissima corpora sine minimo labore tenet, sustentat, regit infinitus. *Hæc*: Finitum limitatur ab objecto, uti mens nostra, quæ plura ignorat, &c. At divina mens à nullis objectis, ad quæ refertur, limitatur, non à tempore, quippe quæ æterna, non à loco ceu immensa, non à scibili, utpote omniscia, non à possibili ceu omnipotens. Anaxagoras

Deum

Deum esse dicit infinitam mentem, quæ per seipsam moveatur. Lactant. Instit. I, 1. c. V.

XXVI. ÆTERNITAS *Dei, per quam neque initium existentiæ habuit, aut finem habebit, sed ab æterno in æternum idem semper est.* Patet ex Sacris, in quibus (1.) vocatur אל עולם *Deus æternitatis* Gen. XXI, 33. אלהי עולם Jes. XL, 28. ἀιώνιος θεὸς *æternus Deus*, Rom. XVI. 26. quippe qui שכן עד *inhabitat æternitatem* Es. LVII, 15. & *Pater æternitatis* c. IX, 5. (2.) Attributa sunt æterna E. Deus æternus Rom. I: 20. Ps. CIII, 17. (3.) Existit antequam tempus Ps. XC, 2. nec existere desinet, utpote ἔχων ἀθανασίαν, *habet immortalitatem* 1. Tim. VI, 16. in sua potestate. Validissimè David Ps. CII, 26-29. Qui ante terræ fundationem, ille non in tempore, quod cum terra incipit. In rerum natura nihil ita constans ac terra & cœli, Luc. XXI, 33. Hæc tamen à Deo mutabuntur, sed ille *stabit* immotus, הוא *idem*, non alius, *nec anni ejus consummabuntur.* Cum sacris literis convenit ratio. Si Deus non est ab æterno, tum aliquando non fuit. Si aliquando non fuit, ab alio essentiam & existentiam suam accepit & ita non Deus. Thales rogatus, quid Deus esset, respondit ὁ μήτ' ἀρχὴν ἔχων μήτε τέλος.

XXVII. *Existit ergò Deus ab æterno in æternum, sed non uti homines.* Horum duratio non uno modo imperfecta. Fuit tempus, quan-

quando non erant, existere incipiunt, à præterito in præsens, & è præsenti in futurum transeunt, ita tamen ut nulla necessitas, quoniam hoc momento existunt, existunt etiam sequenti. Ex adverso omnia se habent in Deo, quamvis clarum conceptum durationis sine successione non habeamus, præstat itaque simpliciter juxta verbum æternum dicere Deum esse ab æterno in æternum, eundem semper, penes illum mille annos diei instar & diem mille annorum instar 2. Petr. III, 8. 9. cf. Ps. XC, 4. unde, quod post plura secula futurum, computo divino ut brevi exstiturum Hagg. II, 6, Malach. III, 1. 2. Apoc. I, 1. inde, quod ab æterno, ut hodie Ps. II, 7.

XXVIII. IMMENSITAS, *per quam Deus modo imperscrutabili omnipræsens est, nec adeò loco alicui includitur aut à loco excluditur.* Nam שמים ושמי שמים *cæli & cælorum cæli ipsum non continent*, 1. Reg. VIII, 27. Hi sunt vastissima corpora, cum quibus terra nullatenus comparari potest; Illa tamen non Deum continent, quomodo Salomo Templum dedicaturus crassam idololatrarum opinionem, Deum arctis templi limitibus includi, fortiter infringit, quippe *cælos & terram implet* Jer. XXIII, 23. ubique est in cœlo & in terra, contra ac stolide falsi prophetæ opinati sunt, se itaque impune Dei nomen jactare posse, cum tamen omnipræsentem nihil lateat.

Pro-

Prolixè etiam David Ps. CXXXIX, 7-11. Qui enim in nullum locum se conferre valet, nec altissimum nec profundissimum nec latissimum, in quo non essentia Dei spiritualis, sequitur Deum omnipræsentem esse. Dein, ubi Deus operatur, ibi est. At operatur ubique conservando Hebr. I, 3. regendo Actor. XVII, 28. E. omnipræsens. Etiam Gentiles noverant *Jovis omnia plena.*

XXIX. IMMUTABILITAS, *per quam essentia divina nulli mutationi obnoxia, sibi semper constans est.* Præterquam, quod attributum ex superioribus sponte fluat, notamus Malach. III, 6. *Ego Jehovah non mutor*, & Jac. I, 17. Deus dicitur Pater luminum, παρ᾽ ᾧ οὐκ ἐνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, *apud quem non transmutatio aut conversionis est umbra.* Sol habet παραλλαγὰς *mutationes*, & τροπὰς annuos abscessus sed Deus longè perfectior sol, qui eadem perfecta beneficia largitur. Mutatio in Deo vel in essentia vel intellectu, vel voluntate, vel duratione, sed nullum in consummatissimum Numen cadit. Tandem mutatio vel in melius vel in pejus fieret; utrumque autem ἄτοπον.

XXX. Sequuntur attributa, quæ Deum actuosum menti nostræ sistunt: Ex his primum VITA, *quâ intelligitur essentia Dei perpetuò in se actuosa atque etiam extra se aliis omnibus vitam dans, & conservans.* Vita Dei

Dei excellentissima est atque omnium creaturarum longè superat, nam hæ vivunt in Deo, sed Deus vitam habet ἐν ἑαυτῷ. א. Ab hoc attributo appellatur אל חי *Deus vivens*, Jos. III, 10. אלהים חיים *Deus vitarum*, Deut. V, 26. quod non solum docet ipsum vivere, sed & alias perfectiones, quæ ad vitam perfectissimam respiciunt, pro substrata materia indicat, veluti veram divinitatem, unde in oppositione ad idola, quæ omni vitâ carent Jer. X, 10. *Jehovah Deus veritas ille, Deus vivus.* cf. Act. XIV, 14, 15. quum Dii Gentium os, oculos, aures, nares, manus, pedes sine motu & usu Ps. CXV, 8. habeant &c. ב. Non solùm vivus sed & ipsa ζωὴ *vita* 1. Joh. I, 2. quoniam vitam habet in seipso Joh. V, 26. non in alio, uti cæteræ creaturæ, quæ etiam vivunt sed in Deo Act. XVII, 28. ג. Hinc illi nobilissimæ actiones vitales adscribuntur in apparitionibus, judiciis, Lev. X, 2. Hebr. X, 31. ד. Etiam cuncta alia quæ vivunt, vitam ab ipso habent Act. XVII, 25. ceu qui fons vitarum Ps. XXXVI, 10. tum naturalis tum spiritualis Eph. II, 5. ה. Tandem notamus formulam jurandi ab hoc attributo desumptam חי יהוה *vita Jehovah* est, vivit Jehova Jer. IV, 2. qui adeò veri jurantis partes tuebitur sed pejurantem non impunitum dimittet.

XXXI. Mens humana vivere dicitur, quæ facultate intelligendi, volendi pollet eamque exerit,

exerit. *Mens infinita* quoque *vivit intelligendo & volendo.*

XXXII. INTELLECTUS *est actus vitæ divinæ, quo omnia scibilia adæquata & naturæ rerum convenientissimâ apprehensione ità novit, ut cuncta gloriam virtutum suarum manifestent.* Intellectus divinus patet, nam (1.) Rom. XI, 34. Deo attribuitur νῦς *mens* eaque infinita conf. 1. Cor. II, 16. (2.) cogitare Jes. LV, 8. *cogitationes meæ non sunt sicut cogitationes vestræ.* (3.) Opera ejus tam naturæ quam gratiæ de intellectu testantur Jer. X, 12. *parat orbem* בחכמתו *in Sapientia sua* ובתבונתו *& in prudentia extendit cœlos.* Zach. XII, 1. *format spiritum hominis in medio ejus*, & facit quoque ut renovemur τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς *spiritu mentis* nostræ Eph. IV, 23. (4.) Speciatim verbum veritatibus naturâ notis & supernaturalibus refertum.

XXXIII. *Quemadmodum in intellectu nostro distinctè considerari solet notitia & sapientia, ità & in intellectu divino.* In Deo non quidem divisa sunt, sed à nobis claritatis gratiâ distinctè considerantur, ad quem nostrum conceptum condescendit Scriptura Rom. XI, 33. Coloss. II, 3. prædicans de Deo σοφίαν καὶ γνῶσιν *sapientiam & notitiam.*

XXXIV. COGNITIO *Dei, quâ seipsum & omnia alia extra se actu simplicissimo & per-*

perfectissimo novit. Hinc non solum scientia ipsi adscribitur, sed ἐν ἐμφάσει אל דעות *Deus scientiarum Jehova* 1. Sam. II, 3. & in Christo sunt thesauri σ γνώσεως cognitionis occultati Col. II, 3. nam cognitionem hanc pauciſſimi assequuntur.

XXXV. Illustratur ex objectis (1.) Novit *seipsum* essentiam suam perfectissimam, nam spiritus Dei novit ea, quæ Dei sunt, 1. Cor. II, 10. 11. Pater Filium, Filius Patrem, Spiritus S. Patrem & Filium, v. Matth. XI, 27. 1. Cor. II, 11. non creatura, nisi ex gratiosa revelatione, v. l. c. & Joh. I, 18. nec tum perfectè (2.) Novit dein *decreta* sua, quæ, ut fierent, decernit: unde tempore constituto illa adimplet. Act. XV, 18. (3.) Novit insuper *omnia* alia *extra se.* Omnia quæ esse incipiunt & perseverant, voluntate Dei initium sumunt tenentque, novit adeoque omnia. Idem probat Scriptura Hebr. IV, 13. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem* γυμνά καὶ τετραχηλισμένα *nuda & intimè patentia* (sive ad literam in collum resupinata,) *oculis ejus.* Loquendi ratio à Sacerdotibus intima accuratè examinantibus, desumta cf. 1. Joh. III, 20. 2. Chron. XVI, 9. (4.) Novit non solùm *res* materiales sed & *spirituales, cogitata cordis,* quæ sibi soli patere homines putant. Pſ. CXXXIX, 2. *Intellexisti cogitationem meam è longinquo,* non tantùm quando meditor, sed multò antè. Quæ Dei scientia

Pſalti

Psalti פליאה *mirabilis* intellectum superans videtur. Unde καρδιογνώστης audit. Imò si vel maximè mali homines consilia sua occultant, atque Deum hominesque fallere studeant. Jer. XVII,9. 10. (5.) Novit præterea omnes *actiones, bonas & malas* Gen. XVIII, 19. Jer. XVI,17. (6.) Novit tandem *præterita*, (quæ ad certitudinem indicandum *libro* inscripta dicuntur,) *præsentia* & etiam *futura*. Cujus rei tot testes, quot Prophetæ. Imò Deus, qui futura non novit, non Deus & vice versa Jes. XLI, 23. (7.) Novit ultimò *necessaria* & *merè respectu nostri contingentia* uti sors Prov. XVI, 33. Casus sortis dicitur משפט *judicium à Domino*, uti responsum per Urim & Tummim appellabatur, quod utique ei notissimum.

XXXVI. *Modus scientiæ*, quæ in Deo, ab hominibus non comprehenditur Ps. CXXXIX, 6. Solùm constat, imperfectiones, quæ penes nos, abesse à cognoscendi modo divino. Cognoscit homo per ideas à Deo menti suæ inditas & alias ex rebus existentibus formatas. Homo dein agnoscit successivè, à notiori ad ignotius pergit. Plura planè non aut obscurè vel etiam falsò cognoscit. At *Deus per seipsum unico actu* (quamvis in decenti ordine) *omnia clarissimè, verissimè*. Scientia, quæ in Deo, non est causa rerum.

XXXVII. Sequitur SAPIENTIA, *quâ Deus novit omnia mediatè vel immediatè ad*

certum finem & demonstrationem gloriæ suæ dirigere. Fluit hæc ex perfectissima scientia, hinc homines plura stultè agunt, quia imperfectè sciunt. Argumenta pro sapientia Dei sunt: (1.) dicitur μόνῳ σοφὸς *solus sapiens* Rom. XVI, 27. (2.) imò σοφία Matth. XI, 19. & חכמות *sapientia* Prov. IX, 1. (3.) Opera ejus, uti consilia, dicta, facta, sunt sapientissima. Effectus autem testatur de causa. Maximè opus redemptionis, in quo πολυποίκιλος Θεοῦ σοφία *multivaria Dei sapientia* elucet Eph. III, 10. (4.) Quæ adeò profunda, ut *sapientissimis mundi* stultitia videatur, quæ tamen sapientissima & gloria Dei referta 1. Cor. I, 23. 25. (5.) Sapientiam Dei summam ex reliquiis sapientiæ non ignorarunt Gentes Dan. V, 11.

XXXVIII. *Mens quævis non solum habet intellectum sed etiam voluntatem, maximè infinita.* Attributa, quæ jam exposuimus & imposterum exponenda erunt, VOLUNTATEM in Deo ponunt, veluti independentia, vita, potentia &c. Etiam S. literæ, quæ חפץ *velle* & quidem cum *delectatione* Ps. CXV, 3. Hos. VI, 6. θέλειν *velle* liberrimè, potentissimè Rom. IX, 18. εὐδοκεῖν Matth. XI, 26. Luc. XII, 32. velle prævio quasi consilio, unde βουλὴν θελήματος Ephes. I, 11. Deo attribuunt. Omnia quoque, quæ sunt, de voluntate Dei testantur, nam sunt per *voluntatem ejus.*

Apoc.

Apoc. IV, 11. Ipse nobis τὸ θέλειν dat Phil. II, 13. E. etiam habet Ps. XCIV, 9.

XXXIX. *Voluntatem Dei plenius discimus, si cum humana conferimus, imperfectiones omnes removendo.* In homine est potentia volendi: Hæc in Deo est ipsa essentia voluntatis facultate instructa. Potentiam dein volendi actu exerit homo erga hoc vel illud; Determinat etiam Deus voluntatem, veluti quando vult ut mundus condatur &c. Tandem est res, quam voluit homo, uti honos, opes &c. Res quoque quam Deus voluit, uti mundus productus. Ultimo voluntas hominis arcta, alia & alia, quandoque inefficax. At Dei ampliſſima, constantissima, efficaciſſima.

XL. *Voluntas* Dei in se *unica*, à nobis tamen, præeunte scriptura, variè considerari solet. Est scil. vel *arcana*, vel *revelata*. *Illa* in solo Deo Deut. XXIX, 29. volens ut suo tempore certum quid eveniat, quomodo, quæ olim arcana, postea innotescit Rom. XVI, 25. 26. Dicitur etiam *Decernens*, estque efficax. *Hæc* vel revelat Deum aliquid facturum atque tum implemento suo non destituitur, vel præcipit nobis officium, 1. Thess. IV, 2. quæ non semper adimpletur. Matth. XXIII, 37.

XLI. In voluntate humana notantur *Affectus* & *Virtutes*. Divinæ etiam attribuuntur.

XLII. AFFECTUS in homine sunt veræ

animi commotiones; quæ imperfectionem quandam sapiunt & nonnunquam perturbationem annexam habent. Tales affectus in Deum non cadunt. (1.) Deus enim perfectissimus, simplicissimus, immutabilis, omniscius, potentissimus, summe beatus. (2.) Scriptura expresse negat Deum pœnitudine affici Num. XXIII, 19. Quæ vero ratio pœnitudinis, eadem aliorum affectuum. Affectus igitur qui Ἀνθρωποπαθῶς de Deo prædicantur, Θεοπρεπῶς intelligendi, scil. sunt actus voluntatis Dei, qui eas producunt operationes quas affectus analogi in hominibus. Exemplum esto Pœnitudo; Homo, qui eâ afficitur, quod fecit, mutat; sic Deus pœnitens, juxta constantem voluntatem suam, opus immutat Gen. VI, 6. 1. Sam. XV, 11. Et sic se habet cum reliquis affectibus.

XLIII. Virtutes voluntatis humanæ sunt, quando homo sancta, recta, justa &c. vult, quia verò cum his aliqua conformitas in actibus voluntatis divinæ, illis etiam VIRTUTES assignantur. Non tamen eadem ratio virtutum voluntatis humanæ & divinæ.

XLIV. Sunt (1.) SANCTITAS, *quâ Deus nihil nisi conveniens cum natura sua, sanctum, rectum, purum cogitat, vult, loquitur, facit atque ab omni peccato abhorret*: Dicitur aliàs *rectitudo*. nam in sacris non solum sanctus sed κατ' ἐξοχὴν *Sanctus Israëlis* Jes. XLI, 20. Μόνος ὅσιος, *solus sanctus*, Apoc. XV, 4.

Lux,

Lux, in qua nullæ tenebræ Joh. I, 5. prædicatur. Sancta sunt consilia, Eph. I, 4. facta, 1. Thess. V, 23. dicta Dei. 2. Tim. III, 15. Sanctitas olim ceremonialis præadumbrabat essentialem. Ipse omnis veræ sanctitatis exemplar. 1. Petr. I, 15. 16. Dicitur etiam *Justitia universalis.*

XLV. (2.) JUSTITIA *est jus Dei, unicuique suum tribuens, neminem injustè & de quo conqueri queat, tractans*; solet aliàs dici *Justitia Particularis*, & respicit Jus Dei, quod extra se circa creaturas exercet.

XLVI. *Circa hanc Deus potest considerari vel ut Dominus universi*, omnium creaturarum, cum quibus convenienter naturæ earum agit, *vel ut Dominus creaturarum rationalium*, quibus leges suas dedit. Observanti præmia, violanti pœnam statuit. Unamquamque secundum opera judicat, nec innocentem unquam punit.

XLVII. *In eo tamen absolutam suam potestatem exerit, quod peccatores diversi gradus eodem judicio temporali involvat*, Ezech. XXI, 3. *Exscindam ex te justum & improbum*, ubi *justus* comparatè talis dicitur non qui sine omni peccato. Atque hoc in judiciis publicis, veluti diluvio &c. communiter evenit. Tale judicium aliud subsequitur, in quo pro diversitate delictorum diversas pœnas in peccantes justissimus Judex animadvertit.

XLVIII. *Quamprimum peccatum existit, illud Deus vi Sanctitatis & Justitiæ, quæ ipsi essentialis, inultum dimittere nequit.* (1.) Loca Scripturæ sunt Ps. V, 5-8. Rom. I, 32. II. Thess. I, 6. (2.) Justitia Deo naturalis, neq; enim ad indifferentem ejus voluntatem referri potest. (3.) Uti lex de colendo Deo naturalis, ita pœna. (4.) Si denique peccata absque satisfactione remittere posset, salvator homini absolute non necessarius. Vindicatur ergò omne peccatum vel in peccatore, vel in sponsore gratia Dei substituto.

XLIX. (3.) BONITAS, *quâ Deus in se bonus etiam creaturis bona sua communicat.* εἷς ἀγαθὸς *nemo bonus nisi solus Deus* Matth. XIX, 17. Est illa vel *generalis* erga omnes creaturas, quibus bonam h. e. perfectam naturam dedit. Genes. I, 31. conservatque Ps. XXXVI, 7. vel *specialis* erga creaturas intelligentes, quibus majora bona quàm aliis creaturis impertitus est, corpus non solùm sed & animam, quibus quoque liberalissime prospicit. Matth. V, 45. Act. XIV, 16. 17. vel *specialissima* erga fideles bona spiritualia, æterna, in Christo dando. Ps. XXXVI, 8-11. Tit. III, 4. 5. 6. Species Bonitatis sunt *amor, gratia, misericordia. Amor* est qs. bonitas sui communicativa. *Gratia* bonitas, quæ indigno sine merito exhibetur. *Misericordia* v. bonitas quæ misero confertur. Unaquæque species

pro

pro diversitate subjecti, modo latius, modo strictius accipitur, uti bonitas.

L. (4.) LIBERTAS, *quâ Deüs omnia liberrimè agit*. Hinc voluntas ejus חפץ εὐδοκία dicitur, Ps. CXV, 3. *Deus noster in cœlis est, facit quicquid vult*. conf. Dan. IV, 32. Es. XLVI, 10. Fluit quoque ex independentia, & Omnipotentia Dei. Liberrimus licèt Deus, non tamen potest non se ipsum amare aut velle ea, quæ ad gloriam suam faciunt, sed non coactè, verum liberrimè vult. Alia, quæ extra se vult, potuisset non velle, aut aliter velle, & hoc intuitu *libertas indifferens* Deo convenit, non quatenus indifferentia ex ignorantia oritur. Quæ liberrimè vult, simul sapientissimè.

LI. POTESTAS, *quâ Deus jus agendi habet*, diciturq; ἐξουσία Jud. ℣. 25. βασιλεία Matth. VI, 13. Fundamentum est, quod Deus à nemine dependeat, dependeant autem omnia ab illo. Ille τὸ esse & porrò esse creaturis dedit, adeòque ejus sunt, & cum iis agendi jus habet. Ratione hujus attributi toties *Dominus cœli & terræ* Matth. XI, 25. 1. Tim. VI, 15. nam Regum terrestrium potestas non absoluta.

LII. POTENTIA, *quâ vires habet omne id agendi, quod vult*. Nam Deus גבור *fortis* Jes. IX, 5. & forti fortior Matth. XII, 29. imò παντοκράτωρ. *Omnipotens* Apoc. I, 8. Nihil ei impossibile. Luc. I, 37. Ps. CXV, 3. Probant insuper

opera, creatio, conservatio, gubernatio, miracula &c. Si quidquam potentiæ ejus resistere valeret, non esset Deus.

LIII. *Potest omne quod vult. Nihil verò vult, nisi quod perfectioni naturæ suæ convenit*, non quod illam tollit aut minuit. Hoc enim impotentia non potentia, esset. Non vult, quod repugnantiam in terminis, aut re ipsa habet. *Idem simul esse & non esse, corpus finitum esse etiam in infinitis locis.* Sed non vult omne, quod potest, sive posset facere, ut potentia latior sit voluntate, qualem actu consideramus.

LIV. Ex his attributis resultat beatitudo & gloria. BEATITUDO, quâ Deus sibi ipsi ad omnem felicitatem sufficit. Essentia enim ejus omni numero consummata. Omne bonum ipse possidet & possidet à seipso & possidet in æternum. Unde μακάριος 1. Tim. I, 11. quasi nulli mutationi expositus nec quidquam ab homine, quo felicitas ejus augetur, accipit Job. XXII, 2. 3. Rom. XI, 33. 34.

LV. GLORIA est excellentia perfectionum divinarum supra omnem creaturam. Ab hac dicitur *Deus*, *Dominus*, *Rex gloriæ* Ps. XXIV, 7. XXIX, 1. 1. Cor. II, 8. כבוד *Pondus* gravissimum perfectionum, quod in Deo ex operibus ejus cognoscitur, creatione cœli Ps. XIX, 1. tonitru Ps. XXIX, 1. miraculis Joh. XI, 4. redem-

redemptione, Joh. XVII, 1. quâ sanctitas, justitia, misericordia, omnipotentia, sapientia, veritas in sua claritate fidelium oculis cernuntur. Cognoscitur etiam ex attenta attributorum divinorum pensitatione. Exod. XXXIII, 18. XXXIV, 6. 7.

CAPUT IV.
De
MYSTERIO TRINITATIS.

Σύνοψις.

NOn sufficit nosse quod sit, & quid sit Deus, sed insuper cognoscendum, quis sit. §. I.

Hunc ignorant Gentiles. §. II.

Judæi hodierni, Muhammedani, plures Pseudo-christiani. §. III.

Cognoscendus nonnisi ex V. & N. Testamento. §. IV.

Estque Pater, Filius, & Spiritus S. §. V.

In utroque quidem Testamento hoc Mysterium traditur, non eâdem tamen claritate. §. VI.

Et V. Testamentum tum plures personas divinas, §. VII.

Tum speciatim tres docet. §. VIII.

Novum verò clarissimè verum Deum, Patrem, Filium & Spiritum S. dicit. §. IX.

Non tamen tres Dii sed unus Deus. §. X.

Tres tamen personæ proprietatibus personalibus, ordine subsistendi & operandi à se invicem distinctæ. §. XI.

Prima est Pater. §. XII.

Verus Deus, qui cuncta in mundo & Ecclesia inchoat. §. XIII.

Secunda est Filius. §. XIV.

Itidem verus Deus (a) *ob* ὁμοουσίαν, XV.

(b) *Nomina.* §. XVI.

(c) *Attributa.* § XVII.

(d) *Opera.* §. XVIII.

(e) *Honorem divinum* §. XIX.

Filius ex essentia Patris genitus. §. XX.

Ab æterno. §. XXI.

Tertia verò Spiritus S. §. XXII.

Qui ex Patre & Filio procedit XXIII.

Ab utroque tamen distincta persona. §. XXIV.

Et quidem divina. §. XXV.

§. I.

HActenus ostendimus, *quod Deus sit, & quid sit.* Nunc porrò ostendendum, *quis sit.* Prius commune nobis cum pluribus infidelibus & Pseudo-Christianis. Posterius demum nos genuinos Numinis professores constituit.

II. No-

II. Notitia veri Dei destitutæ vivebant Gentes sub V. T. quæ hinc ἄθεοι in mundo, Eph. II, 12. ignorantes verum *Deum*, serviverunt τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς, Gal. IV, 8. τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα *creaturæ præterito creatore*, Rom. I, 25. Quando enim creaturam singulariter excellelere, hominibus prodesse animadvertebant, illam Deum faciebant. Primò cœlum & corpora cœlestia, tum sublunaria, illis maximè affinia, posteà homines, etiam bestias, plantas &c. *stulti facti* deorum instar habuerunt Deut. IV, 16-21. Rom. I, 22. 23.

III. Et quamvis lux Evangelii crassissimas has tenebras passim dispulit, excœcavit tamen Princeps tenebrarum plurium animos, ut verum Deum non cognoscerent, uti sunt Judæi hodierni, Muhammedani, Pseudo-Christiani veteres & moderni, nam quia negant Filium, ne Patrem quidem habent 1. Joh. II, 23.

IV. Verus Deus ille est, qui in utroque codice V. & N. Testamenti revelatur. Verbum enim hoc verum, divinum superius à nobis demonstratum est. Et quæ de Deo docet, talia sunt, ut attentum & devotum Lectorem fortiter convincant. Præterquam enim, quod confirmet notiones nostras de vero Deo, insuper narrat opera, creationem, conservationem, gubernationem, benficia, judicia, apparitiones ejus, quæ cuncta, maximè conjuncta, clamant non

non alium Deum esse, quám Abrahami, Isaaci & Jacobi.

V. Estq; PATER, FILIUS & SPIRITUS S. Mysterium summum, devenerandum, non curiosè perscrutandum. Necessarium quidem est de Mysterii veritate ex sacris animum certum reddere, sed non licet illud ad rationem tanquam regulam examinare (1.) Est enim μυστήριον (qs. מוסתר absconditum) Coloss. II, 2. ex revelatione cœlesti tantum cognitum, Matth. XVI, 17. adeóque extra illam de eo non sapiendum. 1. Cor. II, 7. 9. 10. (2.) Dogmatis hujus non habemus ideas innatas, nec de rebus extra nos desumptas. Ut adeó malè agant ii, qui Trinitatis articulum ex natura probant, aut illustrant. Hostes hâc ratione in infidelitate confirmantur potiùs, quàm ad sanctam fidem convertuntur. Hoc quidem beneficio rationis facilè assequimur ea in Deo esse, quæ nos ignoramus, & ad quæ stupemus: Hoc ipsum verò certò à Deo revelatum, firmiter credendum esse.

VI. Scriptura autem utriusque Testamenti tradit essentiam divinam tribus Personis communem esse, non quidem eâdem claritate, obscurius sub V. clarius sub N. T. juxta diversam œconomiam.

VII. Quod ad argumenta ex V. T. hanc Methodum servabimus, ut primò demonstraturi plures personas divinas, dein speciatim tres &c. Pluralitas personarum constat ℵ. ex locis, in quibus

quibus Deus de se ut pluribus loquitur, quod non de essentia intelligi potest, E. de Personis, Gen. I, 24. *Et dixit Deus* נעשה אדם בצלמנו כדמותנו *faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram.* Neque enim more recentiorum linguarum de uno aliquo honoris causâ pluralis effertur. Et solus Deus factor noster, cujus imaginem gestamus Gen. III, 22. cf. XI, 7. XX, 13. XLVIII, 15. Esa. VI, 8. XLI, 21.22. XLV, 16. Allusione ad hunc locum notanter עשים *factores, creatores*, Job. XXXV, 10. Eccles. XII, 1. ב. Persona divina à persona divina distinguitur. Gen. XIX, 24. *JEHOVA pluere fecit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à JEHOVA ex cœlo* Ps. XLV, 8. *dixit Jehova ad Dominum meum.* David Rex inter homines non agnoscebat Dominum. E. Dominus Davidis persona divina. conf. Hos. I, 7. ג. Nomen *Jehova* est creaturis incommunicabile: Attribuitur tamen plus uni personæ. Hos. I, 7. *Salvabo eos per Jehovam Deum ipsorum.* Is, qui loquitur Jehova v. 4. & is, per quem Jehova salvaturus conf. Jerem. XXIII, 5. 6.

VIII. Trinitas verò א. Ex *Creatione*. Creator est Pater: Creator est Filius sive sermo Ps. XXXIII, 6. Creator est Spiritus Sanctus. Gen. I, 2. Ps. XXXIII, 6. ב. *Historia Israëlitarum Ægypto egressorum & per desertum vagantium.*

Præ-

Præterquàm quòd sine controversia hoc beneficium patri attribuitur, adscribitur quoque Filio & Spiritui S. *Illi* Exod. III, nam qui Mosi apparuit, verus Deus v. 4-16. non tamen Pater, nam est מלאך *legatus* v. 2. quod nomen Filio frequentissimè attribuitur. Quomodo quoq; accipitur Act. VII, 31. 32. 33. Confer præterea Exod. XIX, XX. cum Act. VII, 38. Nec non Exod. XXIII, 20-24. ubi Persona, cui perfectiones divinæ attribuuntur, distinguitur à Jehova mittente, Patre. *Huic* Esa. LXIII, 10. 11. *Spiritus Sanctitatis* distinctus à Jehova & Angelo faciei ejus proponitur v. 7. 8. 9. 3. Benedictione Sacerdotali Num. VI, 24-26. Ter repetitur Nomen *Jehova*: Jam olim Jacobus benedictionem à pluribus personis divinis expetebat, Gen. XLVIII, 15. 16. Tres esse solennis hæc benedictio clariùs indicat. Ad quod Mysterium Bechai alludit comment. ad h. l. *Nomina Dei benedicti sunt tres* חיילים *Virtutes, quarum una alteri similis idemque habet nomen & singulæ sunt signatæ literis* יהוה. Sunt & alia Veterum Rabbinorum de Trinitate testimonia, quæ circumferuntur, circa quæ tamen circumspectione opus ד. *Visione Esajana* Cap. VI, plures apparebant Personæ v. 8. quæ tres v. 3. Pater, Filius Joh. XII, 41. & Spiritus Sanctus. Act. XXVIII, 25. ה. Aut eundem Deum nobiscum fideles V. Testamenti coluerunt, aut non

non; posterius scripturæ adversatur, E. prius asserendum.

IX. Quandoquidem cognitio Jehovæ in diebus Messiæ major esse debebat, etiam Mysterium hoc clarius in scriptis N. T. traditur. (1.) Veluti in *Baptismo nostro* Matth. XXVIII, 19. Baptizari in nomen alicujus in causa Religionis in hominem non cadit. 1. Cor. I, 13. Atqui nos baptizandi in nomen Patris, Filii, & Spiritûs S. (2.) In *Baptismo Christi* Matth. III, 16. 17. Pater ex cœlo loquebatur; Spiritus S. sub specie columbæ apparebat: Filius non ut nudus homo, sed ut Θεάνθρωπος reconcilians nos Patri consideratur. (3.) In *Benedictione* 2. Cor. XIII, 13. quæ super Corinthios à Filio, Patre, & Spiritu S. invocatur. At is Deus, à quo Benedictio imploratur, conf. Num. VI, 26-28. Apoc. I, 4. 5. (4.) Joh. XIV, 12-18. Ubi mentio fit Patris, Filii, in quem credendum & in cujus nomine omnes preces fusæ exaudiuntur, & Spiritus S. tanquam Spiritus Veritatis, cujus præsentia non minus ac Filii grata. Hæc prædicata personis divinis non nisi competunt. (5.) 1. Joh. V, 7. Clarissimè tres Personæ divinæ, quarum tamen essentia unica, memorantur. Fatendum est locum hunc à multis codicibus MSS. abesse, sed astu & malitiâ hostium Trinitatis (α) Nam in aliis codicibus exstat. (β) Nonnulli Patres eum recensent. (γ) Nexus hæc aut similia verba poscit (δ) Idem quod alibi in Sacris exstat

exstat (6.) Patri, Filio, & Spiritui S. Essentia, Nomina, Attributa, opera divina attribuuntur, sicuti κατὰ μέρος inferius probabitur.

X. Una eademq; Essentia omnibus tribus personis est. Unde non tres Dii sed εἷς θεὸς. & quod ab Essentia fluit, non minus Filii & Spiritus S. quàm Patris. Hinc quoque dictio Joh. XIV. 9. *Qui me vidit, vidit Patrem*, & similes.

XI. Neutiquam tamen Pater non alius à Filio aut Spiritu S. sunt enim *tres* testes 1. Joh. V, 7. Alius Pater, Alius Filius, Alius Paracletus, Joh. XIV, 16. Differentia est (א.) *quoad Proprietates Personales*. Patris est ἀγεννησία, Filii γέννησις, Spiritûs S. ἐκπόρευσις, hæ inter se invicem permutari nequeunt. (ב.) Hinc *quoad ordinem subsistendi*: Pater prima, Filius secunda, Spiritus S. tertia persona, qui ordo observatur Matth. XXVIII, 19. 1. Joh. V, 7. Alibi non, quia non ordo dignitatis (ג.) & hinc quoad *ordinem operandi* sive *Oeconomiam*. Primæ Personæ initium, secundæ continuatio, tertiæ consummatio in operibus naturæ Gen. I, 1. 1. Joh. I, 3. Gen. I, 2. gratiæ Eph. I, 4. 5. 6. 14. adscribitur. Hæc in genere. In posterum sigillatim de unaquâque Persona dicendum est.

XII. *Pater* est prima persona Deitatis à nullo existens, quæ Filium essentialem sui imaginem ab æterno genuit. *Patris* nomen, quod sub varia σχέσει habet, heic datur, quatenus Filium ab æterno genuit Ps. II, 7. & eo respectu Christi

Pater

Pater ἴδιος est Joh. V, 18. X, 37. Ipse ut Genitor ἀναρχος à veteribus dictus.

XIII. Patrem verum Deum esse nemo in dubium vocat, qui Deum esse credit. Scriptura quoq; ipsum non solùm Deum vocat & divina quæque assignat, sed contradistinctè ad reliquas Personas θεὸν appellat 2. Corinth. V, 19. qui cuncta in mundo & Ecclesia inchoat, dirigit Joh. V, 19. 24. 1. Cor. VIII, 6.

XIV. *Filius* est secunda divinitatis persona ex essentia Patris ab æterno genita. Primò probabimus Filium esse verum Deum; tum talem esse generatione ex essentia Patris & quidem ab æterno

XV. Divinitas Filii patet. (1.) ex ὁμοουσία cum Patre & Spiritu Sancto ceu cum quibus ἕν *Unum* 1. Joh. V, 7. non tantùm voluntate sed & essentiâ, nam aliàs Judæi Christum blasphemiæ non accusassent Joh. X, 30. 33. seipsum ἴσον τῷ θεῷ *æqualem Deo* fecit v. 18. quod, quando de ipso affirmant Judæi, non negat Christus sed probat speciatim v. 26. Patrem sibi dedisse, ut haberet vitam ἐν ἑαυτῷ uti ipse habet. Phil. II, 6. μορφὴ θεοῦ, quemadmodum ex μορφὴ δούλου constat, est natura divina; in hac Christus existebat, antequàm homo factus, & ideò non rapinam ducere debebat τὸ εἶναι ἴσα θεῷ. Confer. Joh. V, 18. 19. &c. Col. II, 9. *In Christo omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitat*, allu-

sione clara ad inhabitationem nubis, symboli præsentiæ divinæ in tabernaculo. Qui verò essentiam divinam habet, ille verus Deus. Huc quoq; refertur צמח יהוה *Germen Jehovæ*, quod cum Jehova conjunctissimum & ex illo ortum, Esai IV, 2.

XVI. Patet dein (2.) *ex nominibus divinis.* Hæc Christo tribuuntur, tum quæ Deo propria, tum quæ etiam exiliori sensu creaturis competunt, sed ipsi ἐν δυνάμει adscribuntur. Sunt autem יהוה Num. XXI, 6. 7. qui Christus 1. Cor. X, 9. Exod. III, 2. 4. Jer. XXIII, 5. 6. אלהים Hos. I, 7. אדני Ps. CX, 1. Matth. XXII, 43. 44. אל Jes. VII, 13. IX, 6. Θεὸς 1. Tim. III, 16. & ne exiliori sensu ita dictus habeatur, subinde adduntur Epitheta verè divina Rom. IX, 5. Christus ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς, quomodo Rabbini verum Deum designaturi exprimunt ברוך השם *Benedictus Deus*, Tit. II, 13. Μέγας Θεὸς, *Magnus Deus*. Conf. Exod. XVIII, 11. 1. Joh. V, 20. ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, *Verus Deus*, non λεγόμενος aliquis. Κύριος & quidē εἷς κύριος *Unus Dominus*, per quem omnia & nos per illum 1. Cor. VIII, 6. In oppositione ad בעלים κυρίως πολλοὺς. Tandem Λόγος *Sermo*, quomodo Johannes Christum insignit præeunte Scriptura V. T. Ps. XXXIII, 6. & Paraphrasi Chaldaicâ veluti Jes. XLV, 17. Λόγος existit, quam primum mens: est porrò cum mente ejusdem naturæ: Λόγος ἐνδιάθετος fit etiam προφορικὸς, quâ itaque appellatione indicatur Æterni-

ternitas & Divinitas Christi, quique, quod in sinu Patris audivit, aliis enarrat.

XVII. Constat porrò (3.) Ex *Attributis*, quæ ab essentia non differunt. Est qnippe *independens* Apoc. I, 8. *Simplicissimus* Hebr. IX, 14. Rom. I, 4. *Æternus* Esai. IX, 6. Hebr. VII, 3. Joh. VIII, 58. *Omnipræsens* Matth. XVIII, 20. XXVIII, 19. Joh. III, 13. *Immutabilis* Ps. CII, 27. 28. Conf. Hebr. I, 12. *Omniscius* Joh. XXI, 17. Apoc. II, 23. Matth. IX, 4. *Sapientissimus* Proverb. IX, 1. *Potentissimus* Deus fortis Esai. IX, 6. qui fortem satanam vicit Matth. XII, 29. *Potestate omni pollens* Matth. XXVIII, 18. *Glorioſissimus* 1. Cor. II, 8.

XVIII. Constat (4.) præterea ex operibus divinis, quæ præsupponunt essentiam divinam. Sunt autem *Creatio* Joh. I, 3. Ps. XXXIII, 6. Coloss. I, 15, 16. *Conservatio & Gubernatio*, Hebr. I, 3. Joh. V, 17. 18. miracula plurima patravit Joh. XX, 30. *Redemptio* Tit. II, 13. *magnus Deus & Salvator.*

XIX. Tandem (5.) constat ex honore divino, qui in non Deum collatus maximum scelus, Jes. XLII, 8. At Christo confertur Matth. XXVIII. 19. 2. Cor. XIII, 13. Phil. II, 10. 11. volente Patre Joh. VIII, 50. Ps. II, 10. Hebr. I, 6.

XX. Hæc liquidò probant Jesum verum & æternum Deum esse. Non tamen alius Deus à Patre Joh. X, 30. 1. Joh. V, 7. A Patre est,

quod *vitam in se ipso* habeat, h. e. Verus Deus sit Joh. V, 26. Hæc communicatio in sacris *Generatio* dicitur; non quod humanæ in omnibus similis sit, (hinc rectè à veteribus ἀκαταλήπτως, ἀχρόνως, ἀχωρίστως καὶ ἀπαθῶς facta dicitur, ut removeantur imperfectiones, quæ in nostra generatione) sed in uno alterove. Filius ejusdem cum parentibus naturæ nascitur ex voluntate progenitorum; Voluit Pater ab æterno ut Filius eandem essentiam haberet. Hinc dicitur sæpissimè *Filius* Dei non jure creationis aut adoptionis, Matth. XXVI, 63. XVI, 16. XIV, 33, Nihil aliàs peculiare, quod ob circumstantias tamen indigitatur. Nec *Filius* tantùm, sed ἴδιος, *proprius* Rom. VIII, 32. qualem non habet & ideò ἴσος θεῷ, *æqualis Deo* Patri est, Joh. V, 18. יחיד Μονογενὴς, *Unigenitus* Zach. XII, 10. Joh. III, 16. etiam πρωτότοκος πάσης κτίσεως, non creatus sed *genitus*, antequam creaturæ erant, imò per illum creatæ sunt Col. I, 15. Præterea etiam phrases, quæ de generatione propriè valent, hac in materia adhibentur, uti ילד קנה חלל, Ps. II, 7. Pater ad filium ait, *tu es filius meus, ego hodiè te genui.* Filius ergò est per generationem. Prov. VIII, 22. *Jehova* קנני *acquisivit me* generatione Gen. IV, 1. *Principium viæ suæ* quam primum Pater, ego eram & v. 24. cum nondum essent abyssi חוללתי *genita sum*, v. 24. *ante colles*

חוללתי

חוללתי *genita sum.* Hæc verò Sapientia est Jesus Christus.

XXI. Hinc fluit Generationem hanc ab æterno esse. Patet porrò ex Mich. V, 2. Messiæ duplex ortus, unus ex Bethlehem, isque futurus: alter ab *ante*, *à diebus seculi* dicitur. Ille respicit assumtionem naturæ humanæ; Hic verò æternum egressum sive generationem ex Patre. Hebr. I, 3. *Effulgescentia Gloriæ*: Sub similitudine fulgoris non solùm eadem inseparabilis essentia Patris & Filii, sed etiam coæterna exprimitur. Quamprimum enim lux, etiam Splendor est. Generatio ab æterno facta in tempore veluti per resurrectionem declarata est Rom. I, 4.

XXII. *Spiritus Sanctus* est tertia persona Divinitatis à Patre & Filio procedens. *Spiritus* nomen, quod variè usurpatur, habet non tàm ob naturam spiritualem, quam proprietatem, quâ à Patre & Filio distinguitur respiciendo processum, qui ineffabilis exspirationi accomparatur Ps. XXXIII, 6. Job. XXXIII, 4. & operationis modum Act. II, 2. Joh. III, 8. XX, 22.

XXIII. Dicitur *Spiritus Dei* Genes. I, 2. Matth. III, 16. *Patris* Matth. X, 20. Rom. VIII, 11. *Filii* Gal. IV, 6. quia ex utroque procedit, sive Patris Filiique voluntas est, ut Spiritus ejusdem secum essentiæ existat. Unde etiam à Filio datur Joh. XX, 22. & mittitur XV, 26. XVI, 7. 14. 15.

XXIV. *Estque Persona & quidem distincta a Patre & Filio.* Personam esse inde constat, quod cuncta, quæ in personam cadunt, cadant quoq; in Spiritum S. uti *subsistere, operari, intelligere, velle,* 1. Cor. XII, 11. II, 10. 11. Joh. XIV, 26. XV, 26. XVI, 13. *dein* in classe & numero Personarum ponitur, Matth. XXVIII, 19. 1. Joh. v. 7. *Insuper* invocatur 2. Cor. XIII, 13. in nomine ejus baptismus administratur Matth. XXVIII, 19. peccatis offenditur Matth. XII, 31. 32. tristitiâ afficitur Eph. IV, 30. quæ in personam tantùm quadrant. Aliquando quidem nominatur *Spiritus* & intelligitur effectus sive donum ejus, sic tamen ut alibi clarissimè non donum, sed doni Auctor dicatur 1. Cor. XII, 11. conf. ℣. 4. 5. 6. Estque persona à Patre & Filio distincta, Matth. XXVIII, 19. 2. Cor. XIII, 13. 1. Joh. V, 7. Quemadmodum enim Filius alius à Patre, ita etiam Spiritus S. Præterea Joh. XIV, 16. *Ego rogabo Patrem καὶ ἄλλον παράκλητον & ALIVM Paracletum dabit vobis.* & v. 26. *& paracletus Spiritus S. quem mittit Pater in meo nomine, is vos omnia docebit* cap. XV, 26. *quando venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a patre.* Conf. cap. XVI, 7. 13. Alius est pater, qui mittit: Alius est filius, qui quoque mittit, & in cujus nomine mittitur; Alius Spiritus S. qui datur, mittitur.

XXV. Est adeòque persona divina sive Deus, cujus divinitas probatur (1.) ex ὁμοουσία cum Patre

Patre & Filio, 1. Joh. V, 7. *Tres sunt, qui in cœlo testantur, Pater, Sermo & Spiritus S.* καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἓν εἰσι, (2.) ex nominibus divinis, qualia ex Hebraicis יהוה *Jehova* & אדני *Adonai*, quæ ter sancto Deo dantur Esa. VI, 1. 3. atque ita etiam Spiritui S. conf. Act. XXVIII, 25. Nec non אלהים 2. Sam. XXIII, 2. 3. conf. 2. Pet. I, 21. ex Græcis verò Θεὸς Act. V, 4. *non mentitus es hominibus* ἀλλὰ τῷ Θεῷ *sed Deo* qui τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, vers. 3. & 9. & κύριος ἐν ἐμφάσει 2. Cor. III, 17. (3.) ex attributis. Est enim *æternus*, ceu qui existit ante mundum Gen. I, 2. *Immensus* Ps. CXXXIX, 7. nullibi enim homo se conferre potest, in quo non רוח *spiritus* per quem commodè intelligitur *Spiritus S. Immutabilis* quippe ejus dona talia Rom. XI, 29. *Omniscius* 1. Cor. II, 10. *Spiritus omnia* ἐρευνᾷ, *etiam profunditates Dei.* Futura quæque prædicebantur, suggerebantur à Spiritu S. 2. Petr. I, 21. *Sapiens* ceu sapientiæ Auctor, Jes. XI, 2. *Liber* in donis spiritualibus erogandis Joh. III, 8. *Potentissimus, omnia hæc* (sunt autem opera Divina) *operatur unus & idem spiritus, distribuens propria unicuique, sicut vult,* 1. Cor. XII, 11. (4.) ex actionibus divinis, Creatione, Gen. I, 2. Ps. XXXIII, 6. Gubernatione etiam immediatâ Matth. XII, 24. cura Ecclesiæ Actor. XX, 28. (5.) ex Honore Divino; In ejus nomen baptizamur Matth. XXVIII, 19. Conf. 1. Cor. I, 13. Ab illo benedictio super Ecclesiam invo-

catur, 2. Cor. XIII, 13. Apoc. I, 4. Ergò Deus conf. Num. VI, 24. invocatur ejus in juramento testimonium Rom. IX, 1. Peccatum in Spiritum S. gravissimum & omnis veniæ expers Matth. XII, 31. quale non, si is creatura.

CAPUT V.
De
DECRETIS.

Σύνοψις.

DEus, qui mens infinita, ut cogitans, perpendens volens, decernens sistitur. §. I.

Hi Mentis Divinæ Actus, vel ipsum Deum, vel alia extra se respiciunt. §. II.

Posteriores dicuntur Decreta, quorum nomina, sapientiam, profunditatem, exemplar rerum in mundo subsecutarum, libertatem, firmitatem nos docent. §. III.

Talia formasse Deum tum quoad res mundi, tum quoad Ecclesiæ ex Scriptura. §. IV.

Et Natura Dei probatur. §. V.

Modus tamen, quo decreta Deo insunt, plenè non cognoscitur. §. VI.

Quam-

Quamvis id certum Deum de rebus extra se liberrimè decreviſſe. §. VII.

Ad decreti naturam plenius cognoſcendum, notanda ſunt Attributa, veluti liberum & independens, abſolutum, immutabile, efficax. §. VIII.

Æternum, ſapiens, imperveſtigabile, ampliſſimum. §. IX.

Unde ſequitur decreta non eſſe generalia. §. X.

Sed ſpecialia, quæ tamen homines latent. §. XI.

Et cuncta unico actu atque recto ordine à Deo decreta. §. XII.

Quis ordo eſſe videatur, oſtenditur. §. XIII.

Decretum vel in genere de rebus mundanis, vel in ſpecie de perſonis ſalvandis, vel damnandis conſideratur. §. XIV.

Unde decretum Electionis & Reprobationis. §. XV.

(1.) *Electionis nomina.* §. XVI.

Natura. §. XVII.

Auctor. §. XVIII.

Qui Deus Triunus, œconomicè Pater. §. XIX.

Cauſa non eſt electorum fides. §. XX XXI.

Non juſtitia propria. §. XXII.

Non juſtitia Chriſti aliena. §. XXIII.

Sed ſolum liberrimum Dei beneplacitum. §. XXIV.

Objectum eſt homo peccator, miſer. §. XXV.

Non omnes, ſed certi, pauci. §. XXVI.

Qui cuncti ad ſalu-

tem indubitato perveniunt. §. XXVII.

Quique etiam electionis suæ ex signis certi esse possunt. §. XXVIII.

Sequitur decretum reprobationis, cujus explicatur natura. XXIX.

Rationibusque probatur. §. XXX.

Decretum hoc præsupponit quidem peccatum. §. XXXI.

Sed peccatū tamen non causa est. §. XXXII.

Verum causa est liberrimum Dei beneplacitum. §. XXXIII.

Ratione relictionis, sed prædamnationis ad pœnam causa est peccatum. §. XXXIV.

Quos præterit Deus, iis non omnem gratiam denegavit, sed quamdam reliquit, secundum quam illi judicabuntur. §. XXXV.

Dicta de reprobatione ex scriptura, non ex ratione nostra, tutò sumuntur §. XXXVI.

Usus hujus doctrinæ. §. XXXVII.

§. I.

MEns finita cogitat, perpendit, vult, eligit, decernit; Mens infinita hæc omnia modo excellentissimo agit, quod de ea nos & ratio & revelatio docet. Ps. XCII, 6. Gen. XI, 5. 7. Rom. IX, 11. 18. Act. IV, 28.

II. Hi mentis humanæ actus respiciunt vel seipsam, aut alia extra se, quæ puta juxta cogita-

gitata sua, constituto tempore, productura est. Etiam divinæ mentis actus, alii se ipsam tantùm respiciunt, alii verò res extra se.

III. Posteriores verò dicuntur *Decreta*, quæ proposita Dei de omnibus extra se justo tempore futuris. Quæ in Sacris ad varias perfectiones indicandum variè insigniuntnr. Dicuntur א. מחשבות *cogitationes*, Es. LV, 8. Ps. XCII, 6. ב. עצה βουλὴ *consilium*, Es. XIV, 24. XLVI, 10. Act. II, 23. ג. Delineationes, formæ rerum futurarum in consilio divino. Es. XIV, 24. XLVI, 11. XXXVII, 26. ד. θέλημα *voluntas*, Eph. I, 11. ה. & quidem liberrima, unde εὐδοκία Eph. I, 5. חפץ Es. XLVI, 10. רצון Ps. XL, 9. ו. πρόθεσις *propositum*, Rom. IX, 11. ז. προορισμός, Act. IV, 28. Rom. VIII, 30. ח. πρόγνωσις, Act. II, 23. 1. Petr. I, 2. Quorum nominum attenta pensitatio naturam decretorum, ceu eorum sapientiam, profunditatem, exemplar rerum in mundo subsecutarum, libertatem, firmitatem, aliaque nos docet.

IV. Et quoniam Verbum Divinum hæc de Deo prædicat, sequitur illa in Deo existere, sive Deum de rebus extra se antè cogitasse, consultasse &c. Quod porrò patet, quoniam nihil existit, quod non Deo ab æterno notum Act. XV, 18. unde Apostoli rectè concluserunt, notam per consequens etiam fuisse Gentium vocationem, opus Dei illustre. Quæ in tempore existunt, referri possunt vel in genere ad *mundum*,

dum, vel in ſpecie ad *Eccleſiam*, vel ad *bona* vel ad *mala*. Atque hæc antè cogitata, definita à Deo. *Mundus* antequam creatus, conſilio Dei creandus decernebatur, quod nemo negat. Mundus regitur à Regibus: Hi antequam thronum conſcenderunt, tales à Deo conſtituti, quod ex variis exemplis Saule, Davide, Jeroboamo, maximè vaticiniis Danielis & Johannis conſtat. Ex iis de aliis in mundo judicium ferri poteſt. *Eccleſia* conſideratur vel in ſtatu integritatis, vel in ſtatu peccati. *Illam* non ſubſtituram antè novit decrevitque Deus, nam ab æterno conſilium gratiæ iniit. *Hæc* rurſum conſideratur vel in capite vel in membris. Caput Chriſtus, προεγνωσμένου πρὸ καταβολῆς κόσμου *præcognitus ante jacta mundi fundamenta.* Membra fideles itidem *electi ante jacta mundi fundamenta.* Eph. I, 4. *Bona vel morum vel præmii ſunt: Morum* ſunt vita Chriſtiana, quâ Chriſto ſimiles: Deus προέγνω καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ *præcognovit & prædeſtinavit conformes imagini filii ſui.* Rom. VIII, 29. *Præmii* vita æterna, Matth. XXV, 34. *Mala vel culpæ vel pœnæ: culpæ*, uti ſceleſtiſſima actio, crucifixio Jeſu Chriſti, de qua tamen Act. IV, 27. *Convenerunt* Pilatus, Gentes, populus *ad faciendum* ὅσα ἡ χείρ σου καὶ ἡ βουλή σου προώρισε γενέσθαι, *quæcunque manus tua & conſilium tuum prædeſtinarunt, ut fierent.* conf. II, 22. *Pœnæ* eſt ſupplicium æternum, Matth. XXV, 41.

V. Quod

V. Quod scriptura tradit, illud quoque evincitur è Natura Dei superiùs expositâ. Deus perfectissimus, independens, omniscius, omnipotens, absque decreto rerum futurarum (quatenùs hæ esse vel fieri certo præsupponuntur,) concipi nequit.

VI. Ergò inesse Deo Decreta certum. Modum autem, quo illi insunt, plenè tradere non possumus. Et non mirum. Nam cogitationes Dei *valdè profundæ*, Ps. XCII, 6. & *non sunt ut nostræ*. Es. LV, 8. quæ varia imperfectione laborant.

VII. Hoc tamen scimus, Deum, qui est mens, & semper viva, nunquam non cogitare & velle. Hoc autem vel illud, quod extra se, velle, decernere, est determinatio voluntatis libera. Si nunquam decrevisset mundum condere, aut alio temporis articulo mundum condendum decrevisset Deus, nihilominus perfectissimus, beatus fuisset, & talis à nobis concipi potest. Quum autem nunc certum sit, alias res præter illum existere, illas à Deo decretas esse, & quidem convenienter naturæ suæ, non minùs certum est.

VIII. Ut verò plenius Decreti Naturam noscamus, attendendum ad *Attributa* ejus. *Primò*, quod partim ex dictis elucet, Decretum est *liberum & independens*. Nihil præexistebat, nihil adeòq; ad decernendum Deum obligare poterat. Et quod existit, per voluntatem

tatem Dei existit. Unde dicitur εὐδοκία θελήματος Eph. I, 5. 11. Paulus maximè Rom. IX, 11. 24. hoc attributum deducit. Hinc *secundò absolutum*, non suspensum ab incerta hominis actione, quod ignorantiam in Deo ponit, aliaque absurda post se trahit: Nemo quidem salvabitur nisi fidelis, nec damnabitur quàm infidelis; sed eodem decreto, quô decrevit salutem, decrevit etiam media, Rom. VIII, 30. Eph. I, 4. Etiam decrevit permittere lapsum, peccatum, ut tamen liberè ex nulla coactione homo peccet. Per consequens *tertiò* est *immutabile*. Nequit enim creatura mutare. Nec mutat ipse Deus. Quod enim statuit, prudentissimè statuit. Consilio Dei competit τὸ ἀμεταθετον, quodque juramento divino confirmatum Hebr. VI, 17. quale nec leves homines mutare solent. conf. Num. XXIII, 19. Es. XLVI, 10. Unde *quartò* est *efficax*, quod effectum suum certò sortitur Es. XIV, 24. & eo quidem tempore & modo, quo decretum, Es. XIV, 24. Gal. IV, 4. Joh. XVII, 1. Licet rationi hæc infallibitas libertati hominum contrariari videatur non tamen contrariatur, Act. IV, 28. nam & sapientissimè modum statuit Deus, ut cuncta propriæ naturæ convenienter agant.

IX. *Quintò* insuper *æternum*, non in tempore demùm de rebus decernit Deus, sed ab æterno, sic Christus *præcognitus ante fundamentum mundi*, 1. Petr. I, 20. & gratia ejus data πρὸ χρόνων αἰωνίων, *ante tempora secularia*, 1. Tim.

1. Tim. I, 9. conf. Eph. I, 4. Matth. XXV, 34. imò omnia opera Deo *ab æterno* nota sunt. Act. XV, 18. Si nota & ita nota, ut certò eveniant, etiam ab æterno decreta sunt. Habent quoque omnia inter se nexum, ut adeò non unum aliquod opus seorsim decretum sit, aliis non definitis. Quum autem æternitatis distinctum conceptum non habeamus, tutissimum simpliciter cum Scriptura dicere, Deum præcognovisse ab æterno, elegisse nos ante jacta mundi fundamenta. *Sextò* denique *sapiens & imperveſtigabile.* Quæ enim decrevit, sapientissimo nexu inter se cohærent, & finem ad gloriam Dei consequuntur, Rom. VIII, 29. 30. diversissimæ licèt naturæ sint, tamen conspirant, quæ quidem nos planè assequi non possumus nec Paulus Rom. XI, 33. 34. *Ultimò amplissimum.* Nihil in mundo fit, sive necessarium vel liberum, aut contingens, quod non fieri Deus decreverit, Act. XV. 18. vel efficienter si actio bona, vel permissivè, si mala. Id, quod permittere decrevit, malum quidem, sed sine culpa Dei, attamen ex permissione hac variè virtutes divinæ illustrantur.

X. Ex attributis, quæ hactenùs deduximus, secundo maximè & septimo, sequitur, decreta non esse *generalia*, quibus nonnisi *conditiones & media*, personis interim vagis, præstituta sunt. Patet porrò (1.) Rom. VIII, 30. *& Quos præcognovit, hos etiam vocavit, & quos vocavit,*

cavit, hos etiam justificavit, & quos justificavit, illos etiam glorificavit. Hoc locô nihil clariùs. Particula ὃς personas respicit: Qui glorificantur, illi personæ E. etiam, qui prægnoscuntur. Et qui prægnoti, illis simul media ad gloriam consequendam data. (2.) Exempla etiam prostant in particularibus personis Christo, Cyro, Jacobo, Esavo &c. quorum fata descripta, antequam impleta. Oportet decreta fuerint. Quæ verò horum, eadem aliorum ratio.

XI. Verum quidem pauciſſimorum fata præstituta describi. Cujus rei sapientissimas rationes Numen habet, nam quia latent apud Dominum Deum nostrum, nemo dicere potest, se decretô divinô ad hoc vel illud agendum excitatum fuisse. Nostrum est attendere ad leges revelatas, easque observare. Deut. XXIX, 29. & qui non observant, ideò meritas pœnas ferunt. Aliquando autem revelat, ut virtutes ejus à nobis cognoscantur, ipse operis Auctor habeatur, fides, spes nostra alantur.

XII. Res decretæ, licèt plurimæ sint, non tamen diversis sibique succedentibus actibus, uti homines ob imperfectionem facere tenentur, decernebantur, nam prout Deus infinitus est, plurima unico actu decernit, & ita quidem, ut cuncta illa debitum ordinem teneant, qualis ex Scriptura & executione petendus.

XIII. Hic autem esse videtur: Deus decrevit

crevit gloriam virtutum suarum manifestare, creare mundum & in eo hominem, hunc tentare, lapsui permittere, quorundam misereri in semine mulieris, alios sibi relinquere & propter peccata punire.

XIV. Potest igitur decretum vel in genere, vel in specie considerari: *Illo modo* decretum est de mundo, & omnibus iis, quæ in eo, creandis, conservandis & gubernandis. *Hoc*, de hominibus salvandis vel damnandis, quod προορισμὸς *prædestinationis* nomine non malè insignitur, nam vi vocis προορίζειν est personam aut rem, antequam est, ad certum finem accuratè determinare. Quoniam autem Deus ante conditum mundum de salvandis vel damnandis statuit, non malè προορισμὸς aut prædestinatio dicitur: usurpatur quoque in Sacris non solùm de re bona præstituta sed & mala. Act. IV, 28. Accedit quod sacræ literæ de reprobatione similes phrases adhibeant.

XV. Unde duæ surgunt Prædestinationis species: Una *Electio*; *Reprobatio* altera. Quemadmodùm in tempore quidam gratiam & gloriam consequuntur, alii non, ita tales à Deo prædestinati sunt.

XVI. *Electio* non idem semper nomen habet. Dicitur *amor* Joh. III, 16. *gratia* Eph. I, 7. *misericordia*, Rom. IX, 16. Est enim affectus Dei benignus, gratuitus & qui misero confertur. Etiam πρόγνωσις *præcognitio* 1. Petr. I, 2.

non simplex, sed cum intenso amore & cura conjuncta, sicuti usus Hebr. ידע & Græc. γινώσκειν in pluribus locis exstat. Insuper βελὴ *consilium* Hebr. VI, 17. ceu profunda sapientia refertum. Præterea πρόθεσις *propositum* Eph. I, 11. firmum. Plerumque hac in materia ἐκλογὴν *Electionis* vocabulo utimur. Hoc variè in Verbo Dei usurpari facilè concedimus; Attamen usurpatur quoque de prædestinatione certorum hominum ad gratiam & salutem, Eph. I, 4.

XVII. Estque gratiosum & immutabile consilium Dei, quo è toto genere humano, ex primæva integritate in peccatum & exitium prolapso, certam quorundam hominum multitudinem, aliis nec meliorum nec digniorum, in Christo elegit, & ut ad finem, vitam æternam, sic etiam ad media ejus adipiscenda præordinavit. De quo passim S. literæ, præprimis Paulus Eph. I, 3-13. qui omnem electionis naturam, sc. Auctorem, causam impulsivam, fundamentum, objectum, tempus, media, finem pandit.

XVIII. *Auctor* Electionis est solus Deus. Homo se ipsum eligere, discernere, nec potest nec vult. Eph. II, 1. Hos. XIII, 9. 1. Cor. IV, 7. Sed Deus illum eligit Rom. IX, 11. cujus *electi* Rom. VIII, 33. audiunt. Non solùm quia *eximii*, sed præprimis quia à Deo electi, à qua electione excellentia eorum oritur. Similiter Es.

XLIII,

XLIII, 20. *populus* בחירי *electus meus*, sc. quem elegi c. XLIV, 1. 2.

XIX. Quamvis electio communis tribus personis, Patri tamen, cui ceu primæ personæ actionum principium adscribi solet, plurimum attribuitur, Eph. I, 3. 4. 1. Petr. I, 1. 2. Ille quosdam ex mundo, quorum commiseratione ducebatur Rom. IX, 15. 16. Christo morte sua redimendos dedit, ut essent peculium ejus Joh. XVII, 6. Filius hanc voluntatem Patris adimplendam suscepit, Joh. X, 18. XVII, 4. 19. Spiritus S. verò à Patre electos, à Filio redemtos, illuminandos & sanctificandos constituit, 1. Petr. I, 2. 1. Thess. I, 5.

XX. *Causa* verò quæ Deum ad hunc præ illo eligendum *impulit* vel est electorum fides, vel justitia propria, vel Christi aliena, vel liberrimum ejus beneplacitum.

XXI. *Non potest esse electorum fides.* (1.) Impulisset enim Deum vel fides actualis vel tantùm prævisa, sed neutrum dici potest: non prius, nec etiam posterius. Si enim posteriori ratione, tum fides prævisa vel producenda viribus propriis: At fides donum Dei Eph. II, 8. 9. Phil. I, 29. & qui Deo eligenti objiciuntur, considerantur (quod inferius fusius asseremus) per peccatum deperditi, inidonei ex se ad aliquod opus bonum, vel producenda gratiâ Dei, quomodo id ipsum, quod Deus producturus, ipsum ad eligendum impulisset. (2.) si fides electionis

causa, homo se ipsum discerneret 1. Cor. IV, 7. (3.) & fides antecederet electionem, quam tamen sequitur. Rom. VIII, 29. 30. (4.) essetque electio temporalis, imò post mortem demum (nam fidem perseverantem intelligunt) quum tamen sit ab æterno Eph. I, 4. ex natura omnium decretorum, & de electione fideles jam in hac vita gaudere queant. Luc. X, 20. (5.) Ultimò ab electione excluderentur infantes Parentum fidelium, qui modo nati denascuntur.

XXII. Nec *justitia propria* sive bona opera, tum quia *propositum secundum electionem Dei non est ex operibus sed ex vocante.* Rom. IX, 11. tum quia objectioni *An ergo injustitia apud Deum?* ℣. 14. nullus locus: Paulus facilimè respondere potuisset, prævisa bona aut mala opera electionis vel reprobationis causam esse, tum quia hâc ratione justificatio & vita æterna à Justitia hominis dependeret, quod innumeris locis adversatur, tum quia bona opera fructus electionis Eph. I, 4. tum tandem quia in Christo eligimur l. c. quæ electio nos injustos præsupponit.

XXIII. *Nec etiam justitia Christi aliena*, quasi propter Christum eligeremur, & Christus esset causa meritoria electionis nostræ. Verum quidem est electos nos esse in Christo, Ephes. I, 4. utpote qui fundamentum electionis. Neque enim Pater quosdam ex communi miseria eligere & hinc salvare potuisset, nisi eodem decreto statuis-

ſtatuiſſet, illos Chriſto redimendos dare Joh. XVII, 6. Attamen Chriſtus non impulit ad eligendum. Ipſe enim ex amore Patris erga nos electus, ut in illo vitam haberemus. Joh. III, 16. 1. Joh. IV, 9. Chriſtus electus eſt propter fideles, non fideles propter Chriſtum.

XXIV. *E. electionis cauſa impulſiva eſt ſolum Dei beneplacitum.* Patet inſuper ex Eph. I, 4. 5. Electio memoratur ab Apoſtolo ut ſingularis favor Patris, qui Epheſiis in Chriſto & quidem ab æterno ſecundum εὐδοκίαν τοῦ θελήματος *beneplacitum voluntatis* ſuæ contigit, E. electionis cauſa Dei beneplacitum quippe immeritus favor, in Chriſto, adeoque non ſanctis ſed peccatoribus, factus, & quidem ab æterno, quando nondum exiſtebant cf. c. c. *verſ.* 11. Præterea ex Rom. IX. per totum fermè caput. Apoſtoli ſcopus eſt tradere, gratiam vocationis internæ ad eos nonniſi pertinere, quibus illam dare liberrimè decrevit Deus. Unde nunc ſponte ſequitur prædeſtinationis ad ſalutem cauſam præter beneplacitum Dei non eſſe. Hanc autem Methodum tenet. Profert *primò* exemplum Iſmaëlis & Iſaaci, quibus idem Parens Abrahamus exſtitit, ſed poſterior tantùm ex gratioſiſſima liberrimaque voluntate Dei hæres & filius promiſſionis ſupernaturali potentiâ genitus eſt, in documentum illos nonniſi hæredes bonorum cœleſtium, quibus Deus deſtinat, quique divinâ virtute regeniti. *Secundò*

Esavi & Jacobi exemplum producit, qui non solùm ex eodem Parente, sed etiam eâdem matre, imò eodem concubitu concepti sunt, & nondum nati, nec bonum nec malum patrarunt, Deus tamen jam tum Jacobum, non item Esavum parem, ad regnum prædestinavit & amore complexus est, quo adeoque exemplo luculentissimè constat, Deum pro liberrimo voluntatis suæ beneplacito ex pluribus pariter corruptis quosdam tantùm ad gloriam destinare & amore suo prosequi, ut *propositum secundum electionem Dei maneat, non ex operibus sed ex vocante. Tertiò* probat diserto Scripturæ testimonio ex Ex. XXXIII, 19. Deum quorundam tantùm misereri, & hujus rei non aliam causam dandam esse, quam quia Deo ità placuit, non hominum meritum. Allegat *quartò* Pharaonis exemplum, quem Deus induravit, quem aliàs, si voluisset, supernaturali virtute emollire potuisset, non minus ac Paulum, unde adeò constat, *Deum indurare quem vult, & misereri, cujus vult. Tandem* objectioni, *quid adhuc succenset? & quis voluntati ejus resistere potest?* ità satisfacit, ut provocet ad absolutum Dei jus libertatemque, provocaturus ad infidelitatem aut injustitiam prævisam, si hinc rationis Deo ogganientis argumentum solvendum esset.

XXV. Ex dictis nunc sequitur, homines Deo eligenti obversatos fuisse peccatores, miseros, ut adeò

ut adeò nulla qualitas, quæ Deum ad hunc præ illo eligendum incitavit, in iis exstiterit. Quod loca Pauli citata aliaque abundè probant. (1.) Nam Deus eligens χάριν Patris in Christo Jesu sumit. Eph. I, 3. 4. Quo favore demum reddimur *sancti & inculpati*. Insuper in Christo electi per eundem filii Dei (nam ex se & natura *filii iræ* Eph. II, 3. sunt.) constituuntur, atque in eodem redemptionem, remissionem peccatorum & immeritam gratiam consequuntur. v. 6. 7. Quæ cuncta necessarium inter se nexum habent, probantq; miseros, peccatores &c. electos esse. 3-11. (2.) Etiam Rom. IX. tales fistuntur. (*a*) concepti in utero materno adeoque in peccato originali v. 11. conf. Ps. LI, 7. (*b*) quos Deus liberrimè eligit, non habita ratione ad opera bona, quæ in iis nulla quoque. (*c*) sed mala, hinc quosdam indebita commiseratione complectitur. v. 15. 16. (*d*) massa corrupta iram Dei excitare valens, ex qua vasa ad gloriam nonnisi per commiserationem Dei parantur. v. 21. 22. 23. (3.) Quales in tempore eligimur, tales ab æterno Deo eligenti & nos Christo tradenti obversabamur. Eligimur autem miseri peccatores Eph. II, 1-6.

XXVI. Ex dictis porrò sequitur quosdam tantùm, non omnes electo, fuisse. Nam א. electio omnium non est electio. ב. Nec stare potest cum peculiari favore prædicato Eph. I, 3. 4. aut liberrimo voluntatis in quorundam commisera-

seratione exerendæ beneplacito, qnod Paulus tantopere urget. Rom. IX. 3. Qui eliguntur, illi Christo dantur, sed Christo tantùm quidam ex mundo à Patre dati sunt Joh. XVII, 6. Eph. I, 4. 5. ך. Quidam tantùm & comparatè pauci glorificantur, E. quidam tantùm ad gloriam prædestinantur. Indissolubilis enim nexus inter prædestinationem & gloriam Rom. VIII, 29. 30. Luc. XII, 32. ה. Si omnes electi ad gloriam, etiam omnes ad necessaria media, quæ ad eam perducunt, electi: Nam si Deus finem ab æterno voluit, tùm etiam media: Medium autem necessarium verbum de reconciliatione hominis peccatoris cum Deo in Christo Jesu, quo Gentes maximè sub V. etiam sub N. T. plures destitutæ sunt. ו. Deus quorundam ad vitam æternam dandum non misertus est. E. non omnes electi. Sed de hoc inferiùs ז. Electio universalis adversatur immutabilitati, omniscientiæ, sapientiæ, omnipotentiæ Dei. Transeo, quæ superius de proprietatibus decreti dixi, atque etiam unam particularem Electionem probant.

XXVII. Illi verò, qui electi, Deo noti & certi sunt, quique ad salutem indubitatò perveniunt. (1.) Nam *Deus novit*, amat, custodit, *qui sui sunt*. 2. Tim. II, 19. Quamvis enim Hymenæus & Philetus aberraverint, illi non erant ex electis, quippe *firmum fundamentum Dei stat, & habet hoc sigillum; Deus novit, qui*

qui sui sunt. l. c. (2.) Quos Deus elegit, illos dilexit, Christo redimendos, Spiritui S. sanctificandos dedit. At dilectio Dei efficacissima & constans, Rom. XI, 24. & omnes qui filio dati, vitam æternam consequuntur, Joh. XVII, 2, 12. VI, 37. quique ἀπαρχὴν τῦ πνεύματος *primitias Spiritus* habent, illi plenam redemtionem, quæ in altera vita, exspectandi jus habent, Rom. VIII, 23. Eph. I, 13. 14. (3.) Si electi pereunt, causa est vel à parte Dei eligentis, vel à parte Sponsoris, vel à parte electorum, vel à parte Seductorum. At nullum ex his dici potest. Hebr. VI, 17. Joh. X, 11. 14. 15. 26. 27. 28. 29. 1. Petr. I, 3-6. Marc. XIII, 20. 22. (4.) Nomina quorundam, non omnium, scripta sunt *in cœlo* Luc. X, 20. *libro vitæ*, Phil. IV, 3. *libro vitæ agni mactati à jactis mundi fundamentis*. Apoc. XIII, 8. Hæc impropria loquendi ratio, quæ desumta à Catalogis genealogicis in Republica Judæorum Esr. II, 61. 62. Apoc. III, 5. docet, certos quosdam vitæ æternæ in Cœlo propter sanguinem Jesu Christi hæredes à Deo scriptos esse, qui etiam boni destinati infallibiliter participes redduntur. Quos enim hæredes scripsit Deus, eos nec ipse nec alius ex libro vitæ expungit.

Accedit, quòd Deus eos, quos ad gloriam elegit, simul ad idonea media elegerit. (1.) Hæc omnium decretorum indoles est. (2.) speciatim electionis, nam media ad gloriam sunt Christus, ejusque mors, verbum, fides, vo-

catio, justificatio, sanctificatio. At hæc electis dat Deus, Eph. I, 4. 5. &c. Rom. VIII, 30. 2. Thess. II, 13. Tit. I, 1.

XXVIII. Unde nunc fluit, electos, qui rationis usu pollent, electionis suæ certos esse posse. Qui enim media, quæ Deus ad salutem consequendam destinavit, ritè possidet, ille de electionis favore certus esse potest. Exemplum esto, si quis fidem habet, Tit. I, 1. 2. Cor. XIII, 5. *Dein* per studium bonorum operum *electio firma* redditur 2. Pet. I, 10. quod sine sensu fieri nequit. *Præterea* gaudium licet testari, quòd nomina scripta sint in cœlis, Luc. X, 20. in rebus dubiis autem gaudium non obtinet. *Tandem* ex Rom. VIII, 35. s. *Quis nos separabit ab amore Christi?* quam confidentiam Apostolus ex doctrina de electione pro se & aliis fidelibus derivat. Cæterùm omninò hujus certitudinis diversi gradus dantur, & solet subinde Deus gravibus ex causis fiduciam subtrahere, ut illam electi inposterum enixiori studio vividam conservent.

XXIX. Altera prædestinationis species est *reprobatio*, sive Decretum Dei liberrimum de certis hominibus in massa corruptionis relinquendis & propter peccata ad demonstrationem justitiæ damnandis.

XXX. Dari reprobationem probat 1. dogma Electionis modò expositum. Si certi quidam eliguntur, & Christo redimendi dantur, tùm

tùm alii relinquuntur. 2. Natura decreti divini, quod amplissimum &c. 3. Plurimis media, quæ ad salutem in Christo Jesu consequendam necessaria sunt, non dantur. 4. Scriptura in variis locis (*a*) Prov. XVI, 4. *Omnia operatur Deus ad responsum suum.* Non bona tantùm, quæ à plerisque Deo attribuntur, sed *etiam improbum ad diem malum* sine labe tamen, nam quem ad diem malum molitur, sive puniendum statuit, ille רשע *improbus.* (*b*) Rom. IX, 13. 15. 16. 18. 21, 22. Deus dicitur *α.* Esavum odio habuisse. *β.* quorundam, non omnium misereri. *γ.* quosdam indurare. *δ.* habere vasa iræ ad interitum aptata. (*c*) Totum quoque cap. XI, ejusd. Epistolæ, secundùm quod Gentiles sub V. Judæi ad tempus sub N. T. rejecti sunt. At actualis rejectio præsupponit decretum. (*d*) 1. Thess. V, 9. singularis gratia commendatur, quod Thessalonicenses non positi *ad iram sed ad acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum.* E. hæc gratia non omnibus datur. Et quibus non datur, *illi ad iram* positi. Consimiliter 1. Petr. II, 8. 9. (*e*) προγεγραμμένοι *antè scripti* quidam sunt *ad judicium*, Jud. ℣. 4. ut alii antè scripti in cœlo vel libro vitæ.

XXXI. *Reprobatio præsupponit peccatum*, sive non alii reprobantur quàm peccatores. Quod si enim homines Deo eligenti tales obversabantur, uti supra adstruximus, non minus reprobanti. A perfectione Dei alienum, ut hominem

minem bonum, quique absque ullo peccato consideratur, à gratia sua separet. Dein phrases, quæ de reprobatione dicuntur, uti *non misereri*, *indurare* &c. hominem miserum, malum, supponunt.

XXXII. Quòd verò quidam reprobati, Christo non redimendi dati sunt, eò Deum non impulit peccatum, si enim peccatum reprobationis causa impulsiva, tum omnes homines reprobati fuissent.

XXXIII. *Genuina* ergò *causa est liberrimum Dei beneplacitum.* Etenim si Deus voluisset peccatorem in sanguine suo projectum Christo redimendum & Spiritui S. sanctificandum tradere, annon is salvatus? Joh. VI, 37. Quod verò ipsi hanc gratiam indebitam non præstitit, pendet id à Dei voluntate. Hoc ipsum est, quod Paulus ad Rom. cap. IX. sæpiùs citato exemplis Ismaëlis, Esavi, Pharaonis, luti, ex quo figulus vas ad dedecus pro lubitu formet, dictis *Miserebor, cujus misertus fuero*: *Deus indurat, quem vult*, docet. Constat tandem ex idoneis salutis mediis, quibus integræ nationes, Deo ità volente, destituuntur. Ps. CXLVII, 19. 20. Act. XIV, 16. Matth. XI, 25. At à mediis dependet effectus. Rom. X, 14.

XXXIV. Quando itaque Deus quosdam, Hymenæum, Philetum præ aliis, Paulo, Timotheo in suo statu relinquit, agit ut αὐτοκράτως, qui de suo facere potest, quod lubet, dum verò eosdem

eosdem ad pœnas prædamnat, agit, ut *summus judex* & causa est peccatum, ubi enim pœna, ibi delictum, & ubi nullum delictum, ibi nulla pœna. Prov. XVI, 4. Rom. IX, 21.

XXXV. Ubi verò id observandum, quando Deus quosdam præterire dicitur, hoc non ità intelligendum ac si omnem iis deneget gratiam. Omnibus iis naturæ lumen Rom. I, 19. 20. II, 14. 15. quibusdam etiam Evangelii dare decrevit. Quo quum turpiter sponte abutantur, ad commeritas pœnas, habitâ ad diversitatem peccatorum ratione, á justissimo judice damnantur. Ad intensiores longè pœnas prædamnantur ii, qui non solùm peccato originali & actualibus ex abusu donorum naturæ sed peccatis insuper ex contemtu gratiæ in Evangelio oblatæ infecti Deo objiciuntur. Matth. XI, 22. 24. quàm qui labe peccati originalis tantùm, vel insuper actualium contra dictamen rationis commaculati obversantur. Ipsam tamen differentiam, in quo consistat, justus judex solus novit.

XXXVI. Hæc sunt, quæ præeunte Scriptura, unica dogmatum fidei certa regula, de sublimi hoc *Electionis* & *Reprobationis* dogmate, cui omnes aliæ Religiones, nonnullæ etiam horrendis convitiis adversantur, ὡς ἐν τύπῳ dicenda videbantur. Facilè concedimus, dogma hoc rationi, si ex se argumentatur, difficile videri, sed non mirum, quum in eodem Paulus *profunditatem divitiarum sapientiæ & cognitionis*

Dei

Dei admiratus fuerit, Rom. XI, 33. imò de ejus veritate tantò magis convincimur quò clarius cernimus eadem injustè nobis objici, quæ prænominato Apostolo c. IX, 14. 19. objiciebantur solvebanturque eo, quòd Deus absolutus Dominus sit.

XXXVII. Cæterùm doctrina hæc prudenter in timore Dei tractata insignes usus habet. Virtutes Dei, summam misericordiam, infinitam sapientiam, purissimam sanctitatem, absolutam potestatem deprædicat. Fideles in cognitionem harum divinarum virtutum, earundem laudem, amorem, studium sanctitatis, humilitatis, firmum solatium deducit. Infidelibus & impœnitentibus judicium, quod peccatis suis liberrimè patratis meriti sunt, denuntiat, nam ut Veterum quidam dixit, *præscivit Deus malos futuros, sed ipsâ suâ præscientiâ non eos compellit fieri malos. Prædestinavit justo judicio suo eos, qui in malis perseveraverunt, puniendos, nec tamen eâdem prædestinatione suâ ut mali essent, vel in malis perseverarent, coegit.*

CAPUT VI.
DE
CREATIONE.

Σύνοψις.

Quæ Deus ab æterno decrevit, ea in tempore in effectum deducit. §. I.

De-

Decrevit autem mundum creare, quem etiam creavit. §. II.
Referuntur Creationis Nomina. §. III.
Natura §. IV.
Auctor, qui Deus. §. V.
Isque Pater, Filius & Spiritus S. §. VI.
Non creatura vel Angeli. §. VII.
Ejus causa impulsiva. §. VIII.
Quod creatum, id ex nihilo, uti ex ratione §. IX.
Et clarius ex revelatione constat. §. X.
Per consequens nulla res ante creationem exstitit. §. XI.
Id, quod Deus produxit, generali nomine mundus dicitur. §. XII.
Is unus. §. XIII.
Finitus. §. XIV.
Mutabilis. §. XV.
Quem Creator solus regit. §. XVI.
Modus Creationis §. XVII.
Variat, quo alia simpliciter ex nihilo, alia verò ex materia præexistente. §. XVIII.
Quæ diversæ naturæ §. XIX.
Cuncta intra sextiduum producta. §. XX.
Quando etiam temporis initium positum. §. XXI.
Quod probabiliter in autumnum incidit. XXII.
Opera Creationis autem juxta singulas dies hæc sunt
Primâ die creabantur א. *cœli omnes* XXIII.
Speciatim supremum. §. XXIV.
Quod locus. §. XXV.
ב. *Terra.* §. XXVI.
ג. *Ultimò Lux* §. XXVII.

Ergo

Ergò nox ante diem. XXVIII.

IIâ. α expansum. §. XXIX.

β Separatio aquarum superiorum & inferiorum. §. XXX.

IIIâ. A. Separatio aquarum inferiorum à terra. §. XXXI.

B. Progerminatio terræ. §. XXXII.

Huic diei bis benedixit Deus. §. XXXIII.

IVâ. Sol, Luna, Stellæ, §. XXXIV.

Quorum usus genuinus. §. XXXV.

Falsus vero ad prædicendum futura. §. XXXVI.

Vâ. (1.) Animalia aquatica. (2.) volatilia. §. XXXVII.

VIâ. א Terrestria. §. XXXVIII.

Excipiuntur à creatione species animalium adulterinæ. §. XXXIX.

ב. Homo, qui §. XL.

Creatura præcellens, quod ipsa ejus creatio indicat. §. XLI.

Constat ex corpore & anima. §. XLII.

Illud ex vili quidem terra, attamen clarus divinæ φιλανθρωπίας testis XLIII.

Hæc pars hominis nobilior. XLIV.

Spiritualis. §. XLV.

Immortalis ex voluntate Dei. §. XLVI.

Corpus & anima arctissimè junctæ sunt §. XLVII.

Nec per mortem separatæ, si nullum peccatum intercessisset. XLVIII.

Primus homo creatus est sapiens. XLIX.

Sanctus. L.

Ex natura sua. LI.

Insuper liber. LII.

Sed non immutabiliter talis. LIII.

Dominus terræ. LIV.

In

In quibus Imago Dei, ad quam conditus, consistit. §. LV.
Condidit autem Deus primitus marem & fœminam. §. LVI.
Atque inter illos indissolubile conjugium instituit, exemplumque dedit velle se conjugium inter duos tantùm. §. LVII.
Indidit dein vim genus humanum propagandi. §. LVIII.
Usus doctrinæ de Creatione. §. LIX.

§. I.

SOlet mens finita ea, quæ decrevit, suo tempore exequi. Etiam Divina, quæ ab æterno statuit, in effectum deducit. Statuit autem ab æterno mundum creare, productum conservare & gubernare.

II. Uti igitur decreta sunt actus mentis divinæ immanentes, ita *Creatio* & *Providentia* transeuntes.

III. CREATIONIS NOMINA: Creationem non uno nomine exprimunt Sacræ Literæ א. עשה *facere*, Gen. I, 26. quod, quia vocabulum generale, commodè etiam de specie dicitur. ב. בנה *ædificare*, Gen. II, 22. ad indicandum operis pulchritudinem. ג. יצר *fingere*, quod figuli vasa formantis est, Gen. II, 7. Es. XLV, 18. Exprimitur ita operis elegantia, facilitas & creantis absoluta potestas. ד. ברא *creare*, quod in genere notat *virtute omnipo-*

tente agere sive in rebus corporalibus sive spiritualibus. Fit autem variè vel rem, quæ non erat, producendo, Gen. I, 1. aut opus ex materia ad hunc effectum naturâ suâ inidonea faciendo, Gen. I, 27. II, 7. aut efficiendo rem prorsus novam, Num. XVI, 30. Conjunctim habes Es. XLIII, 7. primum, tertium & quartum nomen, quorum posterius priori plus dicit.

IV. CREATIONIS NATURA: *Est autem creatio prima externa Dei actio, qua mundum & quæ in eo ex nihilo produxit, atque postea ex materia inhabili nonnulla perfectissima opera solo verbo suo efformavit.*

V. CREATOR *est Deus isque solus.* Omnis enim creatura ex nihilo nihil facit, at mundus ex nihilo creatus est, de quo inferius: Dein creatio cœli & terræ toties Deo tribuitur, Gen. I, 1. atq; is ab eâ describitur, Gen. XIV, 19. & hinc dignoscitur ab omnibus fictitiis diis, Jer. X, 10. 11. Ubi notandum, quod hic posterior versus Chaldaicè scriptus, ut eo inter Chaldæos utantur, cf. Ps. XCVI, 5. Cœli solius Dei gloriam enarrant, Ps. XIX. 2. enarraturi etiam aliorum, si Deo astitissent in creando cœlo. Platoni Numen ideò δημιουργὸς dictus.

VI. Quum verò Deus sit Pater, Filius & Spiritus S. clarum, creationem esse *opus omnium trium personarum.* Hinc in numero plurali עשים *factores*, Esa. LIV, 5. Job. XXXV, 10. Gen. I, 26. בוראים *creatores* Eccles. XII, 1. me-

memorantur, & non solùm *Patri*, Act. IV, 24. Matth. XI, 25. sed etiam *Filio*, Joh. I, 3. Col. I, 16. Hebr. I, 2. Ps. XXXIII, 6. (quò etiam plures referunt sæpiùs repetitum ויאמר *& dixit*, Gen. I.) & *Spiritui Sancto* adscribitur, Ps. XXXIII, 6. Gen. I, 2. רוח אלהים מרחפת *Spiritus Dei agitabat se super superficiem aquarum.* Hic Spiritus רוחא דרחמין *Spiritus commiserationum*, à Targ. Hierosolym. vertebatur, & Baal. Hatturim habet; est רוחו של מלך משיח *Spiritus Regis Messiæ*, de quo commodè רחף prædicatur; vox ad aves pullis, ovis, incubantes indicandum spectans. Unde Veterum fabula orta videtur omnia ex ovo prodiisse. Attamen œconomicè primæ personæ creationis initium, secundæ continuatio, tertiæ consummatio competit.

VII. Ex his nunc sponte fluit, *nullam creaturam*, non Angelos, *ad opus creationis concurrisse*, imò nequidem concurrere potuisse. Finitum non est capax infiniti.

VIII. CAUSA IMPULSIVA. *Deum ad creandum* non *impulit* res aliqua extra illum aut indigentia, sed *liberrimum beneplacitum*, Apoc. IV, 11. volens divitias gloriæ suæ creaturis manifestare, Ps. XIX, 2. Bonitatem, Gen. I, 31. Sapientiam, prudentiam, potentiam, Jer. X, 12. Rom. I, 20. quæ ex intuitu mundi, facta ὁράσει, clarissimè conspiciuntur, Ps. XIX, 5. Esa. XL, 26. Deus itaque mundum creavit *pri-*

mariò propter se, Prov. XVI, 4. Rom. XI, 36. sive ad gloriam suam, non propter hominem ceu finem ultimum. Fruendum tamen ipsi dedit Creator, ut virtutes divinas laudaret, 1. Tim. IV, 5.

IX. *Creavit autem mundum, sive qui non erat, de novo produxit.* Neque enim mundus aut etiam materia, qualiscunq; concipiatur, ab æterno exstitit. Quod & ratio & plenius revelatio nos docet. *Ratio:* (1.) Æternitas proprietas solius Dei est. (2.) Duo entia æterna statuere, est duos Deos statuere, quod impium. (3.) Materia est res bruta, iners, quæ sibi ipsi τὸ esse dare non potuit. (4.) Ergò à Deo est. Non tamen à Deo est per emanationem vel generationem sed creationem. Quæ à Deo creantur, liberè creantur, & esse incipiunt, adeóque æterna non sunt. (5.) Incrementa artium & Historiæ novitas mundum principium sumsisse probant, Lucretius:

Si nulla fuit genitalis origo
Terrarum & cœli semperque æterna fuere,
Cur supra bellum Trojanum & funera Trojæ
Non alias alii quoque res cecinere Poëtæ.
Postea
recensque
Natura est mundi, neque pridem exordia cœpit.
Quare etiam quædam nunc artes expoliun ur.

(6.) Un-

(6.) Unde quoque saniores Gentiles, Phœnices, Ægyptii, Plato mundum à Deo conditum esse statuerunt.

X. Plenius tamen id ipsum *Revelatio* adstruit ceu quæ docet (1.) Deum fuisse antequam terra fundata erat & cœli exstiterant, Ps. CII, 25. 26. & Prov. VIII, 24. 25. (2.) Cœlos terramque creatos fuisse, atque tum exordium sumsisse, Gen. I, 1. (3.) Omnia per Christum facta esse, & sine eo nihil factum esse, Joh. I, 3. & Coloss. I, 16. per consequens ne quidem excipienda est materia. (4.) πίστει *fide animadvertimus coagmentata esse secula verbo Dei, ita ut non ex apparentibus ea, quæ videntur, facta sint*, Hebr. XI, 3. & 2. Maccab. VII, 28. (5.) Nam quæ ratio de creatione prorsus non aut obscurè novit, ea & quidem clarè revelatio tradit, scil. verum Auctorem, modum, ordinem, tempus, intra quod res productæ sunt, & cætera. Vid. præpr. cap. I. in Gen.

XI. *Nihil itaque ante creationem exstitit. Deus verò potentissimo verbo* Ps. XXXIII, 9. 2. Cor. IV, 6. Hebr. XI, 3. *jussit, ut quod non erat, esse inciperet*, Rom. IV, 17. Quamvi enim finita virtute ex nihilo nihil fiat, attamen infinitâ ex nihilo sive potius post nihilum mundus creari potuit atque creatus est.

XII. CREATIONIS EFFECTUS Quod ita produxit Potentissimus Creator gene

rali nomine κόσμος *mundus*, ab insigni pulchritudine, Ps. VIII, 2. 4. nonnunquam respectu ad primarias partes habito *cæli & terra*, Matth. XI, 25. vel *cæli, terra & exercitus eorum*, Gen. II, 1. aut similiter dicitur.. Voces עולם & חלד quæ etiam per *mundum* transferunt, in sacris tam latè vix accipiuntur. *Illa* durationem rei, *hæc* orbem habitabilem notat. At Rabbinis עולם & rei durationem & rem durantem sive mundum, unde forsan Scriptores N. T. per αἰῶνα etiam utrumque indicant, Jud. v. 25. Hebr. XI, 3.

XIII. Mundus *unus* nonnisi productus est, constans ex pluribus partibus notis vel etiam ignotis, quæ per vinculum colligatæ sunt. Unius meminit Scriptura, speciatim Moses verus κοσμographus. Unus vel plures si discreti ab hoc, interjacebit aliquid vel non. Posterius impossibile, si interjacet aliquid, cum ipso conjunguntur.

XIV. Hicque *finitus*. Non quidem homines fines ejus norunt vel determinare possunt. *Cœli quoad altitudinem, & terræ quoad profunditatem, & cordis Regum* אין חקר *non est investigatio*. Prov. XXV, 3. cf. Jer. XXXI, 37. adeóque respectu horum indefinitus, non tamen in se infinitus est. (1.) Habet quippe partes finitas, ex quibus infinitum exsurgere nequit. (2) Terra, cœlum aëreum, æthereum cingitur empyræo. E. Mundus, qui ex his partibus

tibus constat, finitus. (3.) Infinitas propriè sic dicta solius Dei cum exclusione ad mundum, Job. XI, 7. 8. 9. Esa. XL, 12.

XV. Præterea *mutabilis*. Transiit à non esse ad esse. In tempore quoad partes variis mutationibus obnoxius est. Tandem præteribit, 2. Petr. III, 10. Si tanquam constantiæ exemplar profertur, relatè ad alia magis fluxa in mundo vel humana id intelligendum est. Si verò cum Deo rebusque divinis, quæ perpetuæ, confertur, inconstantia clarè de eo prædicatur. Ps. CII, 26. 27. 28. Matth. V, 18. Quæ tamen mundi mutabilitas non ita intelligenda est, ac si effœtæ anus instar senescceret aut certas naturæ leges non haberet. Deus ejus naturam eandem non solùm conservare potest Es. XL, 28. sed & vult Gen. VIII, 22. atque ideò statim in creatione posuit eas generales regulas, quæ etiamnum obtinent, à quibus sola actione miraculosa natura recedit, Jer. XXXIII, 25. Jos. X, 12.

XVI. *Mundum hunc omnesque ejus partes, continet & regit nonnisi Creator*, cui creaturæ intimæ perspectæ sunt. (1.) Deus oportet sit, qui totum orbem permeat, & tot corporum partes ceu diversas naturas particulares colligat, imò etiam mentes conservat. (2.) *Ille dat* πᾶσι *omnibus* hominibus & etiam aliis creaturis *vitam & halitum & omnia*. (3.) Ille nos in utero artificiosè format, per omnem vitam

regit, atque ad mortem ducit, Pſ. CXXXIX, Job. XIV, 5. (4.) Nec homines tantùm ſed & beſtias Pſ. XXIX, 9. Matth. X, 29. (5.) Ut & creaturas inanimatas gubernat, Hoſ. II, 21. Commentum ergò ſcripturæ, rationi, Deo adverſum, dari ſpiritum creatum, qui has Dei partes ſumat.

XVII. *Modum productionis* quod attinet, hunc *ex ſacra hiſtoria tantùm novimus*. Quæ enim ratio garrit aut gentium monumenta referunt, falſa plurimùm, alia inania ſunt. Unicè igitur Scripturam ducem, Moſen ſpeciatim, in modo creationis tradendo ſequemur.

XVIII. *Creata alia ſunt ex nihilo: Alia verò ex materia præexiſtente*, in qua tamen ad effectum, quem conſecuta ſunt, nulla inveniebatur ἱκανότης; adeò ut tâm hæc quàm illa ortum ſupernaturali potentiæ debeant. Illa momento (nam à non eſſe ad eſſe nulla intercedere poteſt mora) ex his multa ſucceſſivè facta ſunt, veluti ſeparatio aquarum à globo terreſtri &c.

XIX. *Eorum, quæ facta ſunt, non eadem ratio eſt*. Nonnulla individua perpetuò manent. Alia intereunt, manente per propagationem ſpecie. Quædam in ſeipſis creata: Alia in ſuis cauſis, uti Meteora.

XX. *Omnia hæc creata ſunt ſpatio ſex dierum*. Non quod Deus creationem momento abſolvere non potuerit, ſed quod noluerit.

(1.) Vult

(1.) Vult hoc simplex recensio Mosis, qui creationem per sextiduum factam narrat, & unicuique diei opera sigillatim adscribit, Gen. I. (2.) Exemplum esto dies primus, quô primô cœli & terra producti dicuntur, illi sine luce, hæc sine ornatu & incolis. Postea per imperium divinum lux, quæ tenebras dispulit, enata est. (3.) Sabbathum dicitur celebrandum, quia Deus sex diebus creavit, sed septimo cessavit. At hoc dici nequit, si omnia in momento producta. Quare autem tantum tempus creator impendere voluerit, non satis constat. Videtur exemplar libertatis, omnipotentiæ, præstantiæ mundi & secundæ creationis pensitandum nobis dedisse.

XXI. *Atque tum* uti rerum ita *temporis initium factum est.* Unde inchoat Moses, *In principio creavit Deus cœlos & terram*, Gen. I, 1. nam tum primordia temporis posita sunt, prius non erant montes, abyssi, sed solus Deus in se ipso beatissimus. cf. Prov. VIII, 23. 24. Ps. XC, 2. Joh. I, 1. XVII, 5.

XXII. *Probabiliter autem, quando creatus est mundus, sol, uti nunc loqui solemus, in libra sive æquinoctio autumnali cursum suum exortus est.* (1.) Antequam enim annus Ecclesiasticus in mense Nisan noviter instituebatur, annus incipiebat in Tisri, (Tisri autem incidit in æquinoctium autumnale) cujus vestigia cernuntur Exod. XXIII, 16. XXXIV, 22.

(2.) Quod exordium etiamnum Judæi tenent ad *figendos annos & quietes septennales, & Jubilæa, ut & pro plantatione novarum arborum atque olerum*, Mischr. tr. ראש השנה c. I, 1. (3.) Transeo antiquam R. Eliesēris παρά. θσιν: *Mundus in Tisri creatus est.*

XXIII. Sequuntur nunc opera unicuique diei propria. *Opera primæ diei* א. שמים *Cœli*, ab altitudine, oppositè ad terram dicti, Job. XI, 8. Nomen, quod generale, in nexu consideratum hîc comprehendit omnes tres cœlos. Aereum & Sydereum hac die creati subsequentibus exornabantur.

XXIV. *Speciatim intelligitur* Supremum sive *tertium*, plurimis nominibus ad præstantiam & incolas indicandum in Sacris insigne. Natura tamen ejus non omnis revelata nobis est, ceu continens bona spiritibus consummatis propria, quæ hujus ævi homines dignè capere non possunt. Ideó ea solùm manifestata sunt, quæ intensum ejus desiderium excitant atque jubent vitam cœlo dignam agere.

XXV. Certum tamen creatum esse Gen. I, 1. Hebr. XI, 10. & quum Deus ipse non sit, creatura sit oportet. Unde etiam sequitur in se finitum (quamvis quoad nos indefinitum sit) esse. Quod porró patet, quia à terra, duobus aliis cœlis distinguitur, 2. Cor. XII, 2. 1. Reg. VIII, 27. Certum quoque veri nominis locum esse,

esse, in quo corpora subsistant, veluti Christus, Act. III, 21. I, 11. fideles Joh. XIV, 2. 3.

XXVI. ב. *Terra* à depresso situ dicta. Notat hîc globum terrestrem aquâ mixtum & circumdatum. Creata erat primitùs תהו ובהו *sine ordine & incolis* quod ex sequenti recensione, vocum usu, Esa. XXXIV, 2. Jer. IV, 23. & reliquiis in Lingua Arabica constat.

XXVII ג. *Lux*, sive corpus lucidum, emittens radios, mobile, solis & stellarum quarta die creatarum materia, suspensum in alto, ut terram illuminaret & calefaceret, præsens diem, absens noctem constituit.

XXVIII. *Unde clarissimè constat primitus noctem, tenebras, postea lucem, diem fuisse.* Quando enim cœli & terra creati, non statim lux mundum collustravit, sed tenebræ texerunt abyssum. Tum demum imperio divino lux è tenebris producta est. Quid autem illæ tenebræ, quæ præcesserunt? Procul dubio nox Gen. I, 5. unde constanter *vespera* רִאשׁוֹן *mane* præmittitur c. I. tot. Etiam ad hunc modum posteriori ætate Judæi aliæque gentes diem à nocte inchoarunt.

De Creatione Angelorum dicemus Loc: VII.

XXIX. *Opera secundæ diei.* א. רקיע *expansum* quod ipsum cœlum. Scil. materia cœlestis creata quidem prima die &, ut videtur, crassior, sed secundâ à terra ad extima universi eâ, quâ nunc cernimus ratione, rarefacta tendebatur

quod

quod vult רקע Pſ. CIV, 2. Eſa. XL, 19. Nimis conſtringunt vocem, qui de cœlo aëreo tantùm dictam volunt, Gen. I, 8. 14. 15. 17. Hoc Veteres στερέωμα *firmamentum* appellarunt ad conſtantiam indicandum: Quô vocabulô nonnulli turpiter abuſi ſunt cœlum ſolidum ſtatuentes.

XXX. ב. *Separatio aquarum ſuperiorum & inferiorum.* Globus terreſtris aquâ circumfuſus creabatur. Tum vi lucis primigeniæ particulæ aqueæ rarefactæ in altum elevabantur, quæ hinc מעל לרקיע *deſuper firmamento* appellantur, oppoſitè ad *aquas infra expanſum*, quæ maria, fluvii &c. ſunt. Illæ ſunt nubes, quod vult earum natura, phraſis Gen. I, 6. & tot alia loca, 2. Sam. XXI, 10. Job. XXVI, 8. Jer. X, 13. Pſ. CIV, 3. XVIII, 12.

XXXI. *Opera tertiæ diei.* א. *Separatio aquarum inferiorum à terra.* Hactenus terra aquis permixta atque inidoneum habitaculum, nunc itaque potentiſſimo imperio Dei quaſi finditur, montes aſſurgunt, valles deſcendunt, & in depreſſioribus locis colliguntur aquæ, quæ ſibi per meatus ſubterraneos reſpondent, unde *locus unus* & *maria* dicuntur. Hinc ſimul conſtat terram ſuper maria fundatam eſſe, Pſ. XXIV, 1. 2. quæ unâ cum aquâ conſiderata *ſuper nihilo* ſuſpenſa eſt, Job. XXVI, 7. eſtque ex judicio Creatoris, naturam creaturæ optimè intelligentis, immobilis Eccleſ. I, 4.

conſ.

conf. Jos. X, 12-15. Psal. XIX, 6. 2. Reg. XX. vers. 10. 11.

XXXII. ב *Progerminatio terræ.* Quandoquidem terra habitaculum esse debebat creaturis cibo vitam alentibus, illa, ut usum hunc suppeditaret, ita creabatur. Jussu itaque Dei producebat דשא *germina* cujus species sunt (1.) עשב *herba* omnis, etiam ea, quam venenatam nunc dicimus, habens vim speciem suam propagandi. (2.) עץ *arbor* majuscula, minuscula, Jos. II, 6. fruges comestibiles, aliasque ferendi capax, quæque jam tum, quando creabatur, fruges tulit.

XXXIII. *Peculiare est, quod huic diei bis benedixerit Deus.* Hujus verò rei hæc ratio, quod & opus secundæ diei absolutum & novum factum fuerit. Minimè enim, renuente Mose, separatio aquarum à terra ad diem secundum referri potest.

XXXIV. *Opera quartæ diei.* Terrâ ornatâ cœlum quoq; ornandum astris. א. Generatim dicuntur מארת *luminaria* luce vel propria vel lumine mutuato splendida. ב. Speciatim (1.) *luminare magnum* quod tale in se & in virtute sua, quod aliâs à calore חמה, à ministerio mundi piè שמש dicitur. (2.) *luminare minus* in oppositione ad solem, aliàs etiam *magnum* ratione apparentiæ & efficaciæ, quæ Luna ab albedine לבנה, ab usu ירח appellatur. ג. *Stellæ* à fulgore dictæ: Quo nomine omnes præter Solem

Solem & Lunam primo tempore vocitatæ videntur.

XXXV. *Usus astrorum varius.* (α) *ad distinguendum diem inter & noctem*, quo in usu substituebantur luci primogeniæ, (ex quâ condebantur), cum aliquo tamen discrimine. (β) ut sint *signa* quæ aliud quid indicant. Sunt autem signa *naturalia* frigoris, caloris &c. vel *supernaturalia*, Joël II, 30. 31. (γ) ut ad ea instituantur *tempora stata* in vita civili & religiosa, conf. Ps. CIV, 19. (δ) *Dies* vel tempora pluribus diebus constantia. (ε) *Anni* solares, lunares.

XXXVI. *Minimè tamen prædicendi futura, merè contingentia*, quod Astrologi faciunt. Nam 1. hunc usum non memorat Moses, (qui tamen hoc ex professo agit) aut alius Scriptor sacer. 2. Solius Dei est futura præcognoscere & prædicere, Esa. XLI, 21. 22. 3. Imò ut ars temeraria Idololatrarum damnatur, proscribitur extra Rempublicam Israëlitarum, Deut. XVIII, 10. 11 Jer. X, 2. Jes, XLVII, 12, 13. &c. 4. Nonnulli quoque Imperatores Ethnici vel urbe vel Italia, vel orbe & vita Astrologos ejeciſſe leguntur. 5. Nam divinationum nulla certa principia habent. 6. Hinc divinationes illæ subdolæ & falsæ, vide Greg. Abulpharajum in Dynast. p. 168. 181.

XXXVII. *Opera quinti diei* א. *Animalia aquatica* שרץ *à copia* dicta, quo nomine pisces

vasti,

vasti, qui speciatim תנינים dicuntur, & parvi aliaque, quæ in aquis vivunt, intelliguntur. Uti verò in aquis sunt, ita ex iis creabantur, & incredibilem fœcunditatem debent peculiari benedictioni. ב. *Animalia volatilia.* Hæc quamprimùm ex terra Gen. II, 19. (cum qua etiam avium natura magis convenit quàm aqua,) producta sunt, supra terram in aëre altiori, inferiori volandi facultatem habebant. Et aves sunt fœcundæ vi benedictionis, non tamen uti pisces.

XXXVIII. *Opera sexti diei.* א. *Animalia terrestria*, uti sunt *domestica*, veluti boves &c. v. Gen. VII, 14. 21. VIII, 17. *Reptilia* terræ uti vermes &c. & *feræ* vivaces, hinc חיה dictæ.

XXXIX. Species animalium adulterinæ casui vel studio hominum, ut videtur profanorum, ortum debent Gen. XXXVI, 24. Lev. XIX, vers. 19.

XL. ב. HOMO, qui omnium ultimò creatur. Nam quoniam incola mundi ejusque dominus constituendus, commodum prius habitaculum, cibus quoque ad sustentationem & subditi, in quos dominaturus, condendi erant. Absolutis aliis operibus atque eorum fruitione & regimine accepto amplissimam habebat materiam virtutes Dei bonitatem &c. agnoscendi, admirandi, laudandi, & Creatori confidendi.

XLI. Præcellentia hujus operis præ prioribus in eo clarissimè elucet, quòd personæ divinæ

vinæ se mutuò invitaverint, *Faciamus hominem* &c. Homo adeoque creatura, in qua maximè perfectiones divinæ conspiciendæ sunt.

XLII. *Constat ex corpore & anima. Illud* fingebatur ex pulvere terræ, ut quibusdam videtur, rufæ humore aspersæ Gen. II, 7. unde primus homo ἐκ γῆς χοϊκὸς 1. Cor. XV, 47. & אדם quasi *terrestris* dictus, quo ortus sui in vera humilitate perpetuò memor sit, v. Gen. III, 19. Eccles. XVIII, 27. XII, 7.

XLIII. *Corporis ortus licet è vili terra fuerit, illud tamen admiratione dignissimum est, & locuples* φιλανθρωπίας *divinæ testis.* Nam (1.) forma pulcherrima & erecta ipsi est. (2.) membra plurima aptè configurata & inter se commissa habet. Nullum demi aut addi potest, nisi & venustas & aptitudo animæ inserviendi tollatur. (3.) Totum corpus machinosum est & formas ac usum molarum, forcipum, aliorumque ingeniosorum instrumentorum refert, Eccl. XII. (4.) Imò, quod palmarium, non solùm ad naturales sed & spirituales operationes aptum. Rom. VI, 13.

XLIV. *Altera eaque nobilior pars est anima.* Ejus creatio ratione primi hominis traditur à Mose Gen. II, 7. Creator primò fingebat corpus, sed sine vita & motu. Tum in nares inspirabat נשמה in quo vita corporis maximè constitit. Quæ vox notat & halitum & animam rationalem, Prov. XX, 27. non quod ejusdem natu-

naturæ sint, sed quoniam in uno alterove conveniunt. Dein quia Adam ad imaginem Dei condebatur, anima intelligente præditus omninò erat.

XLV. *Anima rationalis spiritualis naturæ est* sive facultatem cogitandi, volendi &c. habet. Unusquisque penes se has facultates reperit, illæ tamen non carnis aut sanguinis vel halitûs sunt. Oportet ergò proveniant ex alio principio, quod anima. Hinc Scriptura de homine corpus & animam sive spiritum prædicat, & ita quidem ut necessariò colligendum diversissimæ naturæ esse, & quemadmodum corpus extensum, terrestre, divisibile, ita anima sine extensione, spiritualis & indivisibilis, Eccles. XII, 7. Luc, XXIII, 46. Act. VII, 59. Matth. X, 28.

XLVI. *Præterea est immortalis ex voluntate Dei.* Nam si moreretur anima, tum vel ipsa sibi mortem inferret, aut alia creatura aut creator. Sed nullum dici potest. Justitia Divina non permittit, ut anima Dei amans, vel illum odio prosequens, annihiletur. Actum quoque esset de Religione, si quod bestiarum, etiam hominum, fatum. Rationem juvat Scriptura, quæ negat animam occidi posse, Matth. X; 28. quum corpore in pulvereas particulas soluto redeat ad Deum, & quidem ut judicem, unde hæc cogitatio reverentiam incutere debet, Eccles. XII, 7. 1. Impii subit infernales cru-

ciatus Luc. XVI, 24. Pii verò in Paradiso, manu Patris, in communione cum Christo, sinu Abrahæ l.c. XXIII, 43. 46. Act. VII, 59. 1. Petr. IV, 19. Philipp. I, 23. 2. Cor. V, 8. Luc. XVI, 23. existit. Præterea Matth. XXII, 32. Deus dicitur Deus Abrahami etiam post mortem, unde adeoque sequitur animam post excessum è corpore supersesse. Ipsi quoque sapientiores Gentiles animæ immortalitatem docuerunt.

XLVII. *Corpus & anima*, de quibus hactenus seorsim, *immediatè sibi uniebantur*, unde homo factus est נפש חיה *animans vivum* Gen. II. 7. Eas edens operationes, quas ex intentione Creatoris edere debebat, tùm quæ ipsi communes cum bestiis, tùm quæ peculiares & rationales sunt. Unionis modus mirus est atque ei vix similis in rerum natura. Hoc certum clarumque est unionem arctissimam intercedere, quâ anima corpus non solùm regit & movet sed etiam vicissim à corpore afficitur.

XLVIII. *Hæc unio perpetua exstitisset, si homo non peccasset.* Adamus quidem χοϊκὸς creatus erat atque adeò potuisset mori, sed Creator potentissimus & benignissimus illum, si leges impleviſſet, etiam immortalem servasset. Omnia quippe *valdè bona* condita, Gen. I, 31. Per consequens etiam homo. At mors, quæ vitam destruit, ob quam natura horret & aliquando ceu imperfectum quid abolebitur, naturæ humanæ adversa est. Mortis in statu integrita-

gritatis nulla causa dari potest: Non interna, morbus animi vel corporis: Non externa, corruptio elementorum, carentia alimenti, vis vel hominum vel bestiarum. Æterna quoque veritas illum, qui præcepta Dei impleverit, vitam habiturum. Unde nonnisi violanti mors denuntiatur, Gen. II, 17. III, 17. atque mors peccati effectus Rom, v. 12. stipendium VI, 23. aculeus, 1. Cor. XV, 56. &c. audit.

XLIX. *Idem sapiens creatus est.* Sive cuncta intellexit, quæ ipsi in statu suo necessaria erant. *Bonum* & quidem *valdè bonum* creatum esse constat. Sequitur hinc etiam animam luce sua præditam fuisse. Creatus dein ut Creatorem agnosceret, coleret, leges observaret: Creatus insuper ut dominaretur in alias creaturas. Hi verò fines sine sapientia obtineri haud potuissent. Sapientiæ primi hominis exemplum in ὀνοματοθεσία animalium & dignoscenda ipsorum ab hominum natura exstat, Gen, II, 19. 20. 23. Non tamen ejus sapientia fuit perfectissima utpote quæ per ratiocinationem, experientiam, revelationem in dies creviſſet, & seductioni alias nullus locus fuisset, 2. Cor. XI, 3.

L. *Præterea sanctus*, qui id ipsum volebat quod Creator ejusque lex. Fluit id ex sapientia & bonitate, in qua homo jam jam creatus dicebatur. Præterea ex Eccles. VII, 29. ubi Deus fecit hominem ישר *rectum* cujus cogi-

tata & cupiditates rectæ sine enormitate Job. XXXIII, 27. Ps. VII, 11.

LI. *Sapientia & sanctitas hæc primo homini concreata est, atque ad integram ejus naturam pertinet.* Nam absque his dotibus consideratus, *valdè bonus, rectus* dici nequit. Adamus naturâ Deum Creatorem novit vel non novit. Si prius, novit illum diligendum, voluntatem ejus implendam esse. Supernaturale quidquam ipsi datum esse, nullibi reperimus, nec concupiscentiam, quæ compescenda penes recens creatum, integrum, locum habuisse.

LII. *Ex his fluit libertas Adami*, seu ea facultas mentis quâ agebat id, quod agendum esse arbitratus est. Et quoniam intellectus ejus sapiens, voluntas sancta, ex natura sua sponte ferebatur in vera, bona. Sufficit enim ad libertatem, ut quis agat, quod prævio judicio agendum elegit, qua libertate pollet Deus, Angeli, spiritus consummati.

LIII. *Attamen libertas non erat immutabilis.* Statuit enim Deus hominem explorare, cum quo scopo immutabilis libertas stare non poterat. Talis *patriæ* non *viæ*. Neque tamen vitio laborabat, quandoquidem quæ ad permanendum in integritate faciunt, Adamo concessa. Modò is viribus rectè usus atque Dei auxilium imploraſſet.

LIV. *Quem Creator tantis naturæ dotibus*

tibus instruxit, illum etiam dominum terræ, ejusque fructuum & animantium constituit, Gen. I, 26-31. Nam quoniam Creatori visum erat alias res creatas homini subjicere, ei intelligentiam dedit, ut illas prudenter ad gloriam Dei regeret. Ex subjectione hac legitimum jus & dominium homini in terram, & quæ in terra, tàm quæ sensu destituta, ac illo prædita sunt, concessum est, quod Adam exercere incepit, quando adductis à Deo animalibus nomina imposuit, Gen. II, 20. conf. Gen. XLI, 45. Dan. I, 7. Ps. CXLVII, 4. Quia verò dominium Adamo & Evæ, & sub his omnibus posteris datum est, elucet intentionem creatoris esse, ut terra ejusque bona non ad paucos sed omnes pertinerent. Nec in statu integritaris quisquam de alterius vi & rapacitate conquestus fuisset.

LV. Pleraque, quæ de primo homine hactenus diximus, confirmabuntur *imagine Dei, ad quam ille conditus erat*. Gen. I, 26. 27. *Imago* Dei & quidem *in similitudine* ejus est eximia conformitas primi hominis cum Deo. Sic tamen ut consentiente imaginum natura omnia perfectiùs se habeant in Deo, quàm in homine, imò nonnulla tantùm sint in Deo. Similitudo, quâ Adam Deum imitatus, est hæc: (1.) In Adamo mens: Deus est mens purissima. (2.) Mens dein primi hominis cognitione veritatis, amore sanctitatis & justitiæ imbuta, unde homo ad primam illam imaginem renovatus

habere dicitur *cognitionem veritatis*, Coloss. III, 10. *Justitiam & veram sanctitatem*, Eph. IV, 24. conf. 2. Petr. I, 4. cum clara allusione ad Gen. I, 26. Deus sapientissimus & sanctissimus est. (3.) Homo primus insuper immortalis. Deus est, qui ἀθανασίαν ἔχει. (4.) Homo primus præterea dominus terræ. Deus est absolutus Dominus totius mundi. In dominio autem imaginem Dei quærendam esse clarissimè constat tùm ex Gen. I, 26. tùm insuper ex 1. Cor. XI, 7. Ps. LXXXII, 6. (5.) Homo primus denique omni bono in Paradyso abundabat. Deus in cœlo beatissimus est.

LVI. Ut verò genus humanum propagari posset, creavit marem & fœminam, Adamum & Evam, quam iisdem præclaris dotibus ornavit, ac Adamum. De Adami creatione jam diximus.. Quò hic haberet *auxilium* conveniens naturæ suæ, ex eo alto sopore oppresso eâdem, quâ ipse creabatur, probabiliter die artificiosè condebatur Eva, caro de carne sua, ut tùm inter hos, tùm etiam omnes posteros, qui sic ex uno sanguine prognati sunt, arctissima amicitia vigeret. Act. XVII, 26. Nam præ-Adamitas fingere temerarium commentum est.

LVII. Evam Adamo conjunxit Deus, voluitque ut inter illos indissolubile conjugium esset Gen. II, 24. Et quoniam unicam uxorem ipsi associavit, ordinavitque ut essent *una caro*, clarè

clarè hinc constat sapientissimum Deo visum, ut conjugium inter duos tantùm esset. Quod, quando obtinebat in statu integritatis, non minus in statu peccati obtinere debet.

LVIII. Ad novos conjuges dein dixit: *Fructificate & multiplicamini* Gen. I, 28. Præcipiens conjugium, & permittens vim sobolem procreandi, genus humanum propagandi & multiplicandi, cujus virtute Parentes liberos ejusdem planè naturæ edere valeant. Ipsa tamen, semine in uterum immisso, fœtus formatio, animæ spiritualis conjunctio, partus quoque Dei in natura operantis singularis actio est, Ps. CXXXIX, 15. Job. X, 10. 11, Zach. XII, 1. Eccl. XII, 9.

LIX. Hæc de creatione universi, hominis maximè, doctrina insigniter pandit perfectiones Dei. In ejus cognitionem & cultum creaturas rationales vi trahit, idololatriam verò omnem funditus tollit. Moses prudentissimè illi locum dedit, præcipuè ex hac causa, quod Idololatriæ suo tempore grassanti, non validius argumentum opponi potuerit, quàm quod à creatione desumitur.

CAPUT VII.
De
ANGELIS.

Σύνοψις.

INter creaturas, quæ diversæ naturæ, referendi quoque sunt Angeli. §. I.

Qui spiritus separatim à corpore existentes. §. II.

Varia in Sacris nomina habent. §. III.

Ex quibus eorum existentia probatur. §. IV.

Et ex ratione existendi possibilitas. §. V.

Speciatim spectra dari variè adstruitur. Relationes tamen plures falsas esse ultrò conceditur. §. VI.

Angeli, quos dari diximus, in tempore voluntate Dei existere inceperunt. §. VII.

Quò verò creationis die, certò non liquet. §. VIII.

Natura eorum spiritualis est. §. IX.

Adeòque pollent intellectu, voluntate, potentia, agilitate, incorruptibilitate, §. X.

Et quod intellectum attinet, ille pereximinus. §. XI.

Qui illis ineſt, naturâ, experientiâ, revelatione. §. XII.

Quò seipsos, Creatorem, & alia creata nórunt. §. XIII.

In-

Intellectus tamen infinitus non est. §. XIV.
Non solùm singuli intelligunt, sed & cogitata aliis notificare possunt. §. XV.
Habent quoque voluntatem. §. XVI.
Eamque liberam, attamen dependentem. §. XVII.
Præterea potentiam. §. XVIII.
Insuper agilitatem. §. XIX.
Tandem incorruptibilitatem. §. XX.
Dicta hactenus omnibus Angelis ceu spiritibus communia sunt. Inter illos quidam boni, alii mali. §. XXI.
Boni in rectitudine primigenia perstiterunt, & variè in Sacris audiunt. §. XXII.
Nam leges ab initio præscriptas constanter observarunt, postea gratiâ Dei, in bono confirmati sunt. §. XXIII.
Unde intellectus eorum sapientissimus, voluntas immutabiliter sancta, potentia excellentissima. §. XXIV.
Ministerium eorum nobilissimum. §. XXV.
Circa Deum. §. XXVI.
Circa creaturas quasvis, electos maximè. §. XXVII.
Tutelares Angelos ex quorundam mente in Sacris non reperimus. §. XXVIII.
Ordo quoq; excellentissimus rectè creditur. §. XXIX.
Non tamen nimis subtiliter, Scripturâ tacente, in classes, ordines dividitur, subdividitur. §. XXX.

Numerus eorum innumerus. §. XXXI.

Locus ordinarius cœlum. §. XXXII.

In terra tamen quoque visi. §. XXXIII.

Sub varia, maximè humana, forma. §. XXXIV.

Per consequens in corpore ad tempus assumto. §. XXXV.

Hæc, quæ de bonis Angelis diximus, docent, cultum quidem religiosum iis non deberi sed tamen reverentiam, amorem. §. XXXVI.

Hæc de bonis. Mali propriâ culpâ à rectitudine defecerunt. §. XXXVII.

Primitus enim omnes boni creati sunt. §. XXXVIII.

Causa est peccatum gravissimum. XXXIX.

Quod impuritas carnalis esse haud potuit. §. XL.

Credibiliter superbia cum invidia conjuncta fuit. §. XLI.

Uti verò peccatum gravissimum, ita quoque pœna gravissima. §. XLII.

Quippe æterna. XLIII.

Intellectus, voluntas, potentia ideò damnum passa sunt. §. XLIV.

Intellectus enim tenebricosus. §. XLV.

Voluntas ad bona aversa. §. XLVI.

Potentia quidem illis residua est magna. §. XLVII.

Attamen limitibus circumscripta. §. XLVIII.

Quam exercent in impios ejus jugum lubenter subeuntes. §. XLIX.

Imò pii quoque vim ma-

malorum ſpirituum ſentiunt. §. L.
Speciatim exercent in Magia. §. Ll.
Qualis utique datur. §. Lll.
Licet ad dignoſcendum eam magnâ prudentiâ opus ſit. §. Llll.
Malorum ſpirituum magnus quoque numerus & ordo. §. LlV.
Qui aliquando ſub aſſumto corpore apparuerunt. LV.
Uſus doctrinæ de Angelis bonis & malis. LVl.

§. I.

QUæ Deus creavit, diverſæ admodùm naturæ ſunt. Quædam materiam formamque tantùm habent, non ſenſum: Alia inſuper ſenſum. Rurſùm alia præter materiam, formam, & ſenſum, etiam rationem. Tandem alia merè rationalia, abſque mole corporea ſunt.

II. Ad hanc ceu perfectiſſimam creaturarum claſſem pertinent ANGELI, *qui ſunt Spiritus, adeoque intellectu, voluntate, potentia, agilitate, incorruptibilitate præditi, à Deo in rectitudine creati, ut juſſus divinos exequendo gloriæ Creatoris inſerviant.* Maimonides breviter deſcribit שכלים נבדלים *intelligentias ſeparatas.*

III. *Scriptura illos vocat* א. πνεύματα, *ſpiritus*, Hebr. I, 14. ב. מלאכים ἀγγέλους, *legatos*, quo

quo nomine etiam veniunt alii legati Dei, Job. IV, 18. Matth. XXVI, 53. ג. *Exercituum cœlestem*, Luc. II, 13. ד כרובים *Cherubim*, Gen. III, 24. ה שרפים *Seraphim* quasi *ignitos*, Esa. VI, 2. ו בני אלהים *filios Dei*. Job. cap. XXXVIII, 7. Varia hæc nomina nos docent Angelorum naturam spiritualem, sanctam, potentem, eorum fervorem pro gloria Dei, ministerium quoque optimè dispositum, denique locum, sicuti ex accurata pensitatione elucet.

IV. *Quum verò tot nominibus insigniti in Sacris legantur, inde quàm clarissimè constat Angelos ex testimonio Scripturæ dari.* Hinc quoque apparitionum Angelicarum ante diluvium, post diluvium, sub lege, ævo Mosis, Davidis, Elisæi, Esajæ &c. sub Evangelio, Christo nato, vivo, moribundo, excitato, ascendente, frequens mentio. Memorantur etiam intellectus, voluntas, gaudium, sermones eorum cum variis habiti, actiones personales, eæque vi humanâ majores, Exod. XII, 29. præmium, pœna, quæ utique existentiam eorum solidè demonstrant, nam intelligere, velle, gaudere, loqui, agere, præmio, pœnâ affici, non est nisi eorum, qui existunt. David, qui Angelorum custodiam haud semel expertus est, eos inter creaturas primò ponit, atque ad laudandum Deum invitat, Ps. CXLVIII, 2. CIII, 20. Tandem & hoc notandum, quod dicamur futuri

isay-

ἰσάγγελοι *Angelis æquales*, Matth. XXII, 30. Mirum utique videri posset, quomodo Sadducæi, qui pro Divinitate V. Testamenti stant, Angelos, negaverint, Act. XXIII, 8. Sed mirari desinimus, si cogitamus, exstitisse semper, qui clarum Scripturæ sensum detorquendo testatissima quæque in dubium vocarunt.

V. *Ratio quidem ex proprio penu, argumentis non aliunde suntis, Angelorum existentiam demonstrare nequit, attamen possibilem agnoscit.* (1.) Deo enim omnipotenti nihil impossibile. (2.) Et si Deus spiritus ad conjungendum cum corporibus, quique etiam post mortem seorsim existunt, creare potis, quare non alios à corporibus immunes. (3.) Hinc plures ex gentium Philosophis ejusmodi creaturas de facto existere docuerunt, quamvis hi ex traditionibus quoque edocti esse potuerint, nam Gentium conditores veluti Arabum, Edomitarum, Moabitarum, Ammonitarum, Midianitarum, Ægyptiorum, ipsi Angelos viderunt, de illis audiverunt, & hinc ad posteros in extraordinariis Majorum eventibus retinendis tenacissimos propagarunt.

VI. Præprimis verò tenendum, (*a*) φάσματα *spectra*, quæ frequentiora sunt, quo Deus hujus seculi hominum mentes magis excæcare valet, visa & audita. (*b*) Oracula in rebus dubiis edita. (*c*) Opera, quæ neque Deo neque hominibus attribui queunt, facta fuisse. Unde me-

diam

diam ejusmodi inter Deum & homines naturam ratio colligit. Facilè quidem concedimus solertiam & dolum hominum, Sacerdotum maximè, sæpenumerò meticulosis imposuisse, ut multâ prudentiâ in veris à fictis discernendis opus sit: Attamen ideò spectra, oracula, opera dæmoniaca prorsus neganda non videntur. Neque enim hæc, permittente Deo, impossibilia. Phasmata cum Judæis credebant Apostoli. Matth. XIV, 26. Luc. XXIV, 37. Neque à Christo aliter informabantur. Refertur quoque Act. XVI, 16. *ancilla habens* πνεῦμα πύθωνα μαντευομένη, *spiritum Pythonicum vaticinans*, Præterea in historia Evangelica plures à Dæmonibus obsessi unà cum operationibus, quæ neque divinæ neque humanæ sunt, traduntur.

VII. Angeli, quorum hactenus existentiam docuimus, *in tempore voluntate Dei existere inceperunt*. Nam (1.) æternitas solius Dei. Dein (2.) dicuntur *filii Dei* Job. XXXVIII, 7. etiam jure creationis. Insuper (3.) ob Ps. CXLVIII, 2. ubi Angeli ad laudem Jehovæ cum reliquis creaturis invitantur, additâ hac ratione *quoniam ipse præcipit & creata sunt*, v. 5. Præterea (4.) serviunt Deo & mandata ejus exequuntur, non facturi, si à seipsis & non à Deo. Verum quidem, Mosen creationem Angelorum diserte non tradere, sed nec constituit horum historiam nobis relinquere, sed hominum

num, Ecclesiæ maximè. Implicitè id ipsum agit, quando c. II, 1. *exercitus* cœli & quidem *omnes* creatos ait, conf. Luc. II, 13. Et aliunde constat ante mundum nullam creaturam, solum Deum, fuisse, Ps. XC, 2. Denique Paulus testatur *omnia*, speciatim *quæ in cœlis*, & quidem ἀόρατα *invisibilia*, sive thronos, sive dominationes, sive potestates per Christum condita fuisse, Coloss. I, 16. 17.

VIII. *Quo verò creationis die existere inceperint, non certò liquet.* Probabile tamen primo, quo ipsorum domicilium paratum erat, Gen. I, 1. Et quoniam jam clanxerunt, quando fundamenta mundi jacta sunt, Job. XXXVIII, 7. cf. v. 4. Ex veteribus plurimi Angelos ante mundum hunc aspectabilem fuisse statuerunt.

IX. NATURA Angelorum videtur SPIRITUALIS, ab omni materia immunis, unde שכל *intelligentia abstracta* Rabbinis dicitur, oppositè ad *intelligentiam cum corpore conjunctam*, qualis homo. (1.) Hinc dicuntur רוחות πνεύματα, quæ carnem non habent, Luc. XXIV, 39. Jes. XXXI. 3. Hebr. XII, 9. quomodo etiam Deus & animæ nostræ appellantur. (2.) Corpus tenue licet, dimensionem aliquam habet, & alia corpora solida penetrare nequit. At multi unius hominis corpus inhabitant, Marc. V, 9. (3.) Angeli intelligentes, sapientes. volentes describuntur. At intellectus &c.

in corpus extensum non cadit. At, ais, in corporibus apparuerunt? Apparuerunt quidem, sed non sequitur ex naturâ sua corporeos esse, nisi simul dicere velis hominum, bestiarum, &c. corpora habere, edere, vivere &c.

X. Quando verò Angeli spiritualis naturæ sunt, & hujus proprietates sint intellectus, voluntas, potentia, agilitas, incorruptibilitas; sequitur, Angelos quoque intellectu, voluntate, potentia, agilitate, incorruptibilitate instructos esse.

XI. Et quod *primo* INTELLECTUM attinet, pereximius ille Angelis est, 2. Sam. XIV, 20. *Dominus meus sapiens est*, כחכמת מלאך האלהים *instar sapientiæ Angeli Dei.* Sensus & facultas imaginativa nostro subinde imponunt, non item Angelico.

XII. *Naturâ* Angelis ineſt, nam spiritus sine intellectu est ut corpus sine extensione. Hinc mox post creationem ad laudem Creatoris clanxerunt, Job. XXXVIII, 7. Is tamen, qui naturâ, augetur *experimentis*, ut nunc quæ prius ignorarunt & scire cupiverunt, ex post facto intelligant, qualia sunt, quæ Deus ad tempus sibi soli reservavit, Eph. III, 9. 10. 1. Pet. I, 12. Augetur quoque *revelationibus* eum in finem illis factis, ut nomine Dei Mysteria hominibus annuntient, Luc. I, 26.

XIII. *Norunt primò seipsos*, se creaturas intelligentes esse, dependere à Creatore, ipsi obedien-

dientiam debere. *Secundò Creatorem*, ejus perfectiones, utpote coram illo ſtant, & ſerviunt illi. *Tertiò alias res creatas*, uti homines, ceu ad quos mittuntur, maximè electos, Hebr. I, 14. Luc. XV, 10. Terram, Job. cap. XXXVIII, 7. aliaque.

XIV. *Eximia licet hæc Angelorum notitia ſit & noſtram longè ſuperet, infinita tamen non eſt*, utpote quæ ſolius Dei. Hinc dicuntur ignorare *diem judicii*. Marc. XIII, 32. Nec *profunditates Dei*. 1. Cor. II, 10. Nec *corda hominum*, 1. Reg. VIII, 39. Nec futura contingentia, Eſa. XLI, 22. norunt.

XV. *Quæ cognoſcunt Angeli, ea ſibi invicem indicare poſſunt*. Quoniam enim unà civitatem ingentem conſtituunt, utique ordinavit Deus, ut unus alterum intelligere, unus alteri cogitata ſua communicare queat. Pluribus unum idemque agendum committitur, quod præſupponit facultatem ſibi invicem conceptus notificandi. Sic Eſa. VI, 3. *unus ad alterum* clamare dicitur. Quoniam verò corpora non habent, ope linguæ communicatio fieri nequit. Quia autem ἀνάλογον linguæ in Angelis, id vocatur *lingua Angelorum*, 1. Cor. XIII, 1. quæ excellentiſſima, quâ res clariſſimè alteri proponitur. Modum verò communicationis ut & notitiæ Angelicæ malumus ignorare quàm ἐμβατεύειν ἃ μὴ ἑωράκαμεν, memores nos homines eſſe.

XVI. *Secundò*: Intellectus individuus comes

VOLUNTAS est, quod tum ex natura intellectûs, tum omnibus mentibus, divinâ, humanâ patet. Quare etiam Angeli voluntate pollent & hinc iis leges datæ sunt & tales actiones attribuuntur, quæ ad voluntatem referri debent. Affectus, qui de voluntate Angelica prædicantur, πνευματοφορεπῶς, intelligendi, tanquàm puri voluntatis motus sed vehementes.

XVII. Hæc Angelorum *voluntas libera*, quidem, sive eò se determinat, quod optimum sibi videtur, sed tamen *dependens*, quippe omnis creatura à Creatore dependet.

XVIII. *Tertiò*: Voluntatem excipit POTENTIA, quippe Spiritus volendo valet, Creatore sic ordinante. Et quo creatura nobilior, eò potentia ejus major, unde spiritui potentia oppositè ad carnem tribuitur, Esa. XXXI, 3. Eph. VI, 12. & vocantur, גבורי כוח *potentes robore*, Ps. CIII, 20. Ἄγγελοι δυνάμεως, 2. Thess. I, 7. *Exercitus cœlestis*, Luc. II, 13. Potentiam probant opera verè stupenda in aere, hominibus, horum corporibus, mentibus facta. Job I, 16. 19. Act. XII, 23. 1. Sam. XVI, 14. Magna licèt, finita tamen potentia est, non assurgens ad opera verè divina, creationem, miracula patranda, aut id agendum, quod Deus non concessit.

XIX. *Quarto*: AGILITAS maximè propria spirituali naturæ, ceu cui nullum corpus resistit. Elucet quoque ex ingentibus factis brevissimo

simo tempore Angelorum ministerio peractis, 2. Reg. XIX, 35. Ad quam indicandum Angeli alati sistuntur Esa. VI, 2. & vento, flammis accomparantur.

XX. *Quinto*: Deniq; INCORRUPTIBILITAS notanda est. (1.) Quoniam enim spiritus sunt, ex partibus componentibus, quæ solvi queant, non constant. (2.) Angelus seipsum destruere nec vult, nec valet alius. Deus quidem posset subtrahendo virtutem quâ solâ is subsistit, sed ut justus, bonus non vult. (3.) Hinc Angelorum immortalitas nostræ exemplum ponitur Luc. XX, 36. *neque enim amplius mori possunt* ἰσάγγελοι γάρ εἰσι *Angelis quippe æquales sunt.*

XXI. Hæc, quæ de natura Angelorum diximus, omnibus in genere conveniunt. Sed dicenda vel ad bonos vel malos in specie pertinent. Primitus quidem nullum discrimen inter bonos & malos, quippe omnis creatura Dei *bona* & eam perfectionem habet, quam habere debet ad laudem Creatoris & propriam felicitatem. At postea nonnulli in veritate non perstiterunt, principium & domicilium suum reliquerunt: Alii verò perstiterunt.

XXII. Hi communiter dicuntur BONI, *qui in primigenia rectitudine constanter perseverant, Deo in præconio laudum & ministerio mundi, Ecclesiæ præprimis, in summa felicitate serviunt.* Hi in sacris in oppositione ad malos

dicuntur ἐκλεκτοὶ *electi*, 1. Tim. V, 21. Matth. XXV, 41. etiam *sancti*, Matth. XXV, 31. qui *Angeli lucis* 2. Cor. XI, 14. Præterea *Angeli Jehovæ*, Pſ. CIII, 20. Denique *Angeli cœlorum*, Matth. XXIV, 36. Ultimò *ſervi* Dei & *conſervi* Apoſtolorum Pſ. CIV, 4. Apoc. XIX, 10.

XXIII. Hi ἀρχὴν *principium*, in quo creati ſunt (quod à Chriſto dicitur ἀλήθεια *veritas*, Joh. VIII, 44.) & *domicilium*, quod cœlum, retinerunt, quippe quidam tantùm principium & domicilium primum reliquiſſe dicuntur, Jud. v. 6. Ab initio Creator Angelis quoque leges ad obedientiam explorandum dedit, quidam autem ex iis obſervarunt & etiamnum obſervant Matth. VI, 10. Et quoniam tanto tempore debitum obſequium Deo præſtiterunt, gratia divina in bono confirmati ſunt. Qui hinc *electi* dicuntur, 1. Tim. V, 21. in exemplum nobis ſiſtuntur, Matth. VI, 10. & cum horum ſtatu noſter immutabilis & glorioſiſſimus comparatur, Luc. XX, 36.

XXIV. Angeli itaque in bono confirmati pollent intellectu ſapientiſſimo, puriſſimo, qui tanto tempore in multis veritatibus tum propria meditatione tum variis experimentis & revelationibus incrementum ſumpſit ſumitque. Voluntas eorum in ſanctitate immutabilis unice Deo glorificando intenta. Potentia iis eſt excel-

cellentissima, ad maxima quæque peragendum par, de quibus supra in genere plura.

XXV. Quemadmodum dotes, quas habent, nobilissimæ sunt, ita & eorum MINISTERIUM nobilissimum, quippe *Ministri* Regis Regum, *stant in conspectu ejus, vident faciem ejus*, Matth. XVIII, 10. Luc. I, 19. quæ phrases de Ministris Regum usurpantur. 1. Reg. X, 8. Versatur autem Ministerium eorum circa Deum ipsum, vel ex ejus jussu circa creaturas.

XXVI. *Circa Deum*: Laudant eum Psal. CXLVIII, 2. in cœlis ordinariè & semper, Apoc. V, 11. 12. extraordinariè coram hominibus, si quod insigne beneficium his annuntiandum, Luc. II, 13. 14. Exspectant quoque jussa divina eaque promptissimè exequuntur, Ps. CIII, 20. Comitantur Deum, si se illustriori modo hominibus conspicuum facit, Jes. VI, 2. Speciatim hunc honorem Jesu Christo (unde ejus divinitas clarè elucet, Hebr. cap. I. v. 6.) habent cui serviverunt ante incarnationem in νομοθεσία, in incarnatione & postea, quando tentatus, passus est, quando resurrexit & ascendit in cœlum, & servient, si reversurus ad judicium.

XXVII. *Circa Creaturas* inanimatas veluti grandinem, arbores &c. Apoc. VIII, 7. animatas sed ratione destitutas, Exod. XII, 29. animatas ratione præditas, quæ vel homines mali

eos arguendo Num. XXII, 31. puniendo Gen. XIX. Exod. XII, 29. Act. XII, 23. separando à fidelibus & ad cruciatus suos mittendo, Matth. XIII, 41. vel boni, quorum maximè gratiâ mittuntur, Hebr. I, vers. ult. Sicuti in sacris plurima exempla prostant. Hos Angeli de voluntate divina instruunt Gen. XVIII. tum maximè quando, quid iis agendum sit vix sciunt, Matth. I. & II. Solatio, gaudio afficiunt, Matth. XXVIII, 5. Solicitè in via periculosa custodiunt, Ps. XCI, 11-12. De malis præmonent, Gen. XIX. & ex iis liberant, Ps. XXXIV, 8. Castigant quoque ob delictum vel minus Luc. I, 20. vel majus 2. Sam. XXIV, 15.16. Tandem eos ad cœlestia gaudia transferunt, Luc. XVI, 22.

XXVIII. Hæc sunt, quæ ex Sacris (ex quibus unicè in hac sublimi Materia sapiendum nobis est) de Ministerio Angelorum circa creaturas cum certitudine affirmari possunt. *Dari vero Angelos tutelares, qui, vel toti mundo, vel Ecclesiæ, vel certis Regnis & Provinciis, vel singulis hominibus destinati sunt, in iis haud reperimus.* Cuncta, quæ agunt, liberè ab ordinatione divina dependent & hæc variat. Jam unus ad plures vel protegendum, vel puniendum mittitur, Ps. XXXIV, 8. Exod. XII, 29. vel plures propter unum, Ps. XCI, 11. aut paucos, 2. Reg. VI, 17. mittuntur. Unus idemque mittitur ad plures, eodem etiam tempore, viventes Dan. IX, 21. Luc. I, 19. 26. Quæ alii de

de officiis Angelorum fingunt, ex impuris gentium aut Judæorum lacunis hausta potiùs sunt quàm Sacris.

XXIX. Ministerium Angelorum, de quo hactenùs, præsupponit ORDINEM. Eorum quippè functiones excellentissimæ benè ordinatæ erunt. Dein omnia Dei opera ab τάξις commendata sunt. Et quæ de Angelis Scriptura refert, ea ordinem eorum clarè inferunt. Tùm, quando eos Ministris potentissimorum Regum accomparat Dan. VII, 10. *castra, exercitum*, *legiones* Gen. XXXII, 2. Luc. II., 13. Matth. XXVI, 53. aut *thronos*, *dominationes*, *principatus*, *potestates*., Coloss. I, 16. cf. Eph. I, 21. 1. Petr. III, 22. vel quum *Archangelum* memorat Jud. v. 9. 1. Thess. IV, 16. Nemo ignorat exercitum, regimina, capita, ad quæ citata alludunt, sine ordine, superioribus, inferioribus stare haud posse.

XXX. *Qualis verò ordo, & quot Angelorum differentiæ sint, Scriptura silet*, cum qua modesti animi sine crimine silere malunt quàm cum crimine nobis abscondita scrutari. Improbamus itaque Platonicorum, Judæorum, falsò nominati Dionysii Areopagitæ de differentiis Angelorum figmenta scripturæ, primæ antiquitati incognita, secum pugnantia atque à sequacibus quibusdam immutata.

XXXI. Quam magnificum hoc Angelorum benè ordinatum Ministerium sit, ex eorum

NUMERO, qui nobis innumerus, soli Deo notus, colligere licet. Scriptura *legiones*, Matth. XXVI, 53. *Myriades*, Jud. v, 14. Hebr. XII, 22. *duos myriades, millenos iteratos* Ps. LXVIII, 18. *Myriades myriadum, & chiliades chiliadum*, Apoc. V, 11. cf. Dan. VII, 10. expresso certo numero pro omnium maximo juxta phrasim sibi consuetam v. Gen. XXIV, 60. appellat.

XXXII. LOCUS (in loco autem sunt modo natura spirituali conveniente) eorum ordinarius est cœlum, unde *Angeli cælorum*, sed à Deo etiam mittuntur in terram.

XXXIII. In terra communiter juxta naturam suam invisibili modo existunt & jussa exequuntur, Ps. XXXIV, 8. XCI, 11. 12. adeoque non videntur. Aliquando sed rarius sub forma visibili APPARENT, & ab iis videntur, quorum oculos aperit Deus, 2. Reg. VI, 17. Sic apparuerunt ante Legem, sub Lege, & etiam sub Evangelio. Nec legimus gratiam hanc in posterum nemini exhibendam esse, aut ejus gravem rationem novimus.

XXXIV. *Forma, sub qua apparuerunt, haud una in Sacris notatur: Plerumq; humana*, eaq; virilis, (in forma mulierum quoq; visos ait Maimonides ob Zach, V, 9. *Doct. perplex* l. I. c. 49.) nam ad homines missi, cum iis hoc modo amicè loqui poterant. Gen. XVIII. nec eos territabant. Non tamen semper; Igniti, animalium instar quoq; visi Jes. VI, 2. Ezech. I, 5. sunt.

Etsi

Et si propius inspicimus formam, eam sumserunt, quæ missioni maximè respondebat. Ad docendum perpetuam Numinis curam visi sunt ascendentes in cœlum, descendentes in terram, Gen. XXVIII, 12. ad confortandum timidum, *exercitus* speciem præ se tulerunt, Gen. XXXII, 2. & sic quoad reliqua.

XXXV. Quod *corpus*, quod præ se tulerunt, attinet, *certum est ad naturam Angelicam non pertinuisse*, Assumserant tantùm, Deo volente, ad legatione commissa rectius fungendum. eaque rexerant, prout nos corpus regere solemus. Unde verò desumpta corpora illa, ignoramus. Novimus tamen Deo omnipotenti omnia possibilia, nec ei modum ponendum esse. Nec necesse est dicere, omnes Angelos, qui corporei visi sunt, corpora habuisse, quippe visi sunt etiam à dormientibus aut in ἐκστάσει constitutis.

XXXVI. Cognita nunc natura & ministerio Angelorum facilè novimus, quid Angelis debeamus. *Creaturæ sunt E. cultus religiosus iis non debetur*, nam hic solius Dei, Deut. VI, 13. Matth. IV, 10. & ideò θρησκεία τῶν ἀγγέλων *cultus Angelorum religiosus*, à quocunque præstetur, damnatur: Imò isti Angeli eum damnant seque conservos nostros fatentur, Apoc. XIX, 10. *Creaturæ* tamen *excellentes sunt*, quæ intellectu rerum divinarum, sancto Dei amore, robore quoque homines superant, & *ideò reverentiam*

iis debemus. Deum variè nobis inserviunt, prosunt, nos amant, ergo eos *redamare tenemur.* Præterea voluntatem Dei constanter, fervidè adimplent, & in exemplum nobis propositi sunt, ergò à nobis solicitè *imitandi.* Tantùm de Angelis bonis.

XXXVII. ANGELI MALI sunt, qui à *primigenia rectitudine gravissimâ culpâ defecerunt, & ideò cœlo exturbati ad perpetuam pœnam damnati sunt, quam jam subeunt, interea judiciorum divinorum executores existunt, & saluti hominum adversantur, post finem verò mundi absque seductionibus æternos cruciatus luent. Nomina* eorum habita ratione א. ad *naturam* sunt *spiritus mali,* 1. Sam. XVI, 23. Ephes. VI, 12. *Mendaces,* 1. Reg. XXII, 22. Joh. VIII, 44. *Impuri* Matth. X, 1. ב. *Notitiam* δαίμονες, qui aliis Scriptoribus κακοδαίμονες dicuntur Matth. VIII, 31. ג. *Potestatem, fortes* Matth. XII, 29. *Principatus, potestates, imperatores mundi tenebricosi seculi hujus* Eph. VI, 12. *Deus hujus seculi,* 2. Cor. IV, 4. ד. *Studium nocendi,* שדים *vastatores,* Deut. XXXII, 17. שטן *adversarius,* Job. I, 6. διάβολος Matth. XXV, 41. *Tentator* Matth. IV, 3. ה. *Idololatriam,* cujus summus Patronus βεελζεβὼλ quasi בעל זבול *dominus stercoris,* per quod idololatriam intellexisse videntur, Matth. XII, 27. ו. Formas, sub qua apparuerunt שעירים *hirci* Lev. XVII, 7. נחש *serpens* Gen. III, 1. Hinc

Apoc.

Apoc. XII, 9. *Draco magnus, serpens antiquus.* Quædam nomina videntur propria Angelorum malorum Duci.

XXXVIII. *Omnes Angelos primitus bonos creatos esse jam supra observatum. Mali ergo facti sunt*, quod constat ex Joh. VIII, 44. *Diabolus homicida ab initio*, (non tamen simpliciter) *& in veritate* (ergò in ea creatus) *non stetit*, Jud. v. 6. Angeli non tenuerunt τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν *suum principium* & reliquerunt τὸ ἴδιον οἰκητήριον *proprium domicilium.* Unde causa miseriæ peccatum dicitur, 2. Petr. II, 4.

XXXIX. *Quodnam verò peccatum illud sit, Scriptura diserte non exprimit. Gravissimum utique fuit*, nam non seducti peccarunt, sicuti homo. Pœna dein correspondet sceleri: Quum verò illa gravissima & sine venia, hoc quoque gravissimum sit oportet.

XL. Impuritatem carnalem primum eorum peccatum plurimi Patres dixere. At hoc cum natura Angelica haud convenit, nec locus Gen. VI, 2. quidquam pro hac opinione facit.

XLI. *Superbia, quâ invidia sequi solet, vulgo & satis probabiliter primum eorum peccatum habetur*, quamvis non negandum alios quoq; vitiosos actus peccato inesse potuisse. (1.) Abusi videntur excellenti natura, quâ eos Creator, ornavit, nimium sibi placebant nec ideò legibus obsequi volebant: (2.) Eundem superbum & invidum animum spirant verba seductoria,

Gen.

Gen. III, 1-5. (quæ seductio vel ipsa prima consummata transgressio diaboli Joh. VIII, 44. vel mox posteà facta est.) (3.) Posteà, quando regnum inter gentes erexerunt, præcipuè honorem divinum affectarunt, (4.) Imò superbissimus spiritus ab ipso Deo cultum divinum expetiit, Matth. IV, 9. (5.) 1. Tim. III, 6. τετυφωμένος *inflatus*, dicitur incidere εἰς κρῖμα διαβόλου, ergò diabolus ob fastum condemnatus videtur.

XLII. *Sceleri respondet pœna gravissima*, quæ consistit (*a*) in ejectione ex cœlo Jud. v. 6. (*b*) privatione excellentium nativarum qualitatum, in quantum illæ Angelos sanctos, felices reddunt, Joh. VIII, 44. (*c*) condemnatione ad carcerem dirisimum, 2. Petr. II, 4. (*d*) Magno verò judicii die plagæ, quas jam subeunt, augebuntur, Jud. v. 6. Petri & Judæ phrases alludunt ad carceres & supplicia sceleratorum hominum.

XLIII. *Pœna ex hac maximè ratione gravissima, quia æterna*, Matth. XXV, 41. Jud. v. 6. *& sine venia*, 2. Petr. II, 4. Neque enim Mediatorem habent Hebr. II, 16. aut ipsi satisfaciunt, vel à peccatis abstinent, sed voluntas semel à Deo aversa in malo obriguit, & Deo tantùm adversatur.

XLIV. *Detrimentum quidem cœpit eorum intellectus, voluntas, potentia, attamen non prorsus sublata sunt*, utpote post peccatum spiri-

Spiritus manent atque Deus iis utitur ad exequendum judicia, permittit quoque ut tentent homines, quæ memoratas facultates præsupponunt. *Intellectus tenebricosus est, & dum circa veritates occupatus terrorem tantum causatur*, Jac. II, 19. Marc. I, 24.

XLV. Attamen Angeli mali naturalia & nonnulla, quæ naturâ non patent, longis variisq; experimentis cognoscunt, hominis maximè mores, quibus rebus delectantur, tùm ii, qui in dignitate constituti aut qui paupertate, fame premuntur, Matth. IV. vel ut ex natura temperamenti, ætatis, sexus ad hoc illudve proclives sunt. Unde ipsis μεταθέσεις Eph. VI, 11. βάθη *profunditates*, Apoc. II, 24. attribuuntur; homini sibi relicto imperveſtigabiles, & hinc ineluctabiles, perveſtigabiles autem illi, qui sapientiam divinam ex sacris novit, Matth. IV, 4. 7. 10. Apoc. II, 24.

XLVI. *Voluntas, quæ relicta dæmonibus, à Deo semel aversa, nonnisi in contrarium it*, suum honorem quærit, homines in suas partes trahere laborat, atque ita longissimo tempore in malo confirmata est.

XLVII. *Potentiam dæmonum Scriptura toties tradit*, quando diabolum *fortem* Matth. XII, 29. & quidem *armatum*, Luc. XI, 21. *Leonem rugientem* 1. Petr. V, 8. *Deum hujus seculi* 2. Cor. IV, 4. vocat. quando dæmones *principatus, potestates, imperatores mundi tenebricos*

cosi seculi hujus, hominibus longè potentiores Eph. VI, 12. appellat. Potentiam arguunt dein potentes operationes in aëre Fph. II, 2. Job. I, 19. in hominibus nequam, Eph. II, 2. eorum intellectu 2. Cor. IV, 4. voluntate Act. V, 3. corpore, quod obsident, variè vexant Marc. IX, 17. 18.

XLVIII. Uti *potentia quæ in dæmonibus residua, à Deo*, ita ab eodem *limitibus circumscripta est*. Nihil valent in aëre Job. I, 19. brutis Marc. V, 12. 13. hominis corpore, Job. II, 6. 7. multò minus intellectu, voluntate, nisi permittente Deo,

XLIX. *Nec unquam permisisset Deus potestatem in hominem, nisi is prius Diabolo potius quàm Deo fidem habuisset*, Gen. III. Hinc quosdam ex iis victori reliquit, qui ad *regnum Diaboli* pertinent & *semen ejus* dicuntur. Nec tamen hi inviti pro solo arbitrio satanæ ad peccandum coguntur, sed peccata, quæ ipsis offeruntur, lubenter patrant, unde inexcusabiles existunt.

L. *Imò & pii ob peccatum inhabitans vim Diaboli subinde sentiunt*, quando variè ab eo tentantur 1. Thess. III, 5. 2. Cor. II, 10. 11. & ad tempus vincuntur, 2. Sam. XXIV, 1. exercentur, Job. I. & II. 2. Cor. XII, 7. Luc. XXII, 31. sed optimo, gratiâ divinâ, successu. Ita humiliantur, 2. Cor. XII, 7. prudentiores redduntur, in posterum vigilant, sobrii sunt, Satanam & ejus seductiones fugiunt, iis resistunt, Deo fortius adhærent, implorant auxilium, imò universam

armaturam Dei induunt, eumque in Deo vincunt, Eph. VI, Jac. IV, 7. 1. Petr. V, 8.

LI. Ad potentiam Dæmonum etiam refertur MAGIA, sive *ars infidelium & profanorum, qui ex commercio, quod ipsis cum malis spiritibus est, mira loquuntur & faciunt.*

LII. *Talem Magiam existere sequentia docent.* *Primò* ex suprà dictis certum est, Dæmones extra se, maximè in hominibus malis, operari posse. *Dein* quærere occasionem colloquendi cum hominibus, eos à Deo sub insigni præmio ad castra sua perducendi, sicuti in homine integro Gen. III. & ipso Jesu Christo Matt. IV. exempla prostant. Quod si hos aggressus est & protolaplastos in rete suum pertraxit, annon hoc ipsum in peccatoribus tentabit, atque etiam, saltem ratione quorundam, cum successu? *Insuper* dantur actiones quæ nec hominibus nec Angelis bonis nec ipsi Deo attribuuntur. *Præterea* exempla ejusmodi profanorum hominum in sacris inter idololatricas Gentes, Ægyptiam, Moabiticam, Philistæam, Babylonicam, imò corruptis temporibus Judæam obvia sunt. *Denique* leges gravissimæ, etiam sub capitis pœna, adversus ejusmodi homines latæ sunt, Deut. XVIII, 10-12. Exod. XXII, 18. quod haud necessarium, si nulli existerent; quales verò tantò plures, quo regnum Diaboli potentius est.

LIII. *Quænam verò actio ope Diaboli patrata sit, ad discernendum prudentia opus est.*

Im-

Imprudentes, indocti, non dicam mali, magicum subinde habent, quod tale non est. Actio omnis, quæ juxta leges naturæ ordinarias, aut extraordinarias, quando Deus operationem suam immediatam promisit, facta, magica non est, sed ea, quæ ad neutram classem referri valet.

LIV. *Malorum quoque Angelorum numerus magnus est atque inter illos ordo obtinet. Legio, quia multi*, Marc. V, 9. *Regnum* quoque recensetur, quod mali spiritus habent, Matth. XII, 26. Regnum autem ex pluribus constat. Et quum plures sine ordine diu consistere nequeant, ordinem quoque tenere malos spiritus ex Sacris colligimus. Memorat enim βεελζεβοὺλ *principem dæmonum*, Matth. XII, 24. qui etiam *princeps mundi*, Joh. XII, 31. XIV, 30. *Princeps potestatis aeris, spiritus operans in filiis inobedientiæ*, Eph. II, 2. *Deus mundi*, 2. Cor. IV, 4. *Diabolus*, Matth. XXV. 41. Draco magnus, Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satan, Apoc. XII, 9. Tum referuntur *principatus, potestates, imperatores mundi tenebricosi*, Eph. VI, 12. Tandem simpliciter *Angeli* diaboli, Matth. XXV, 41. *Dæmones, spiritus impuri* &c. narrantur. Qui dux impii regni est, is videtur, qui sub serpente delituit, & Protoplastos seduxit, & qui quoque suo exemplo reliquis Angelis ad similem rebellionem Auctor suasorque exstitit, hinc illi se subjiciebant, quo fortius rem adversus Deum agere possent.

LV. Dæ-

LV. Dæmones, quoniam spiritus, oculis cerni nequeunt, sed, permittente Deo, aliquando ad fortius seducendum sub hominis Matth. IV. 1. Sam. XXVIII, 13. 14. aut animalis forma, Gen. III, 1. apparuerunt & etiamnum apparere possunt, licet, quod jam dictum, omnia *spectra*, quæ dicuntur, talia haud sint, sed subinde vana terriculamenta.

LVI. *Hæc de Angelis, bonis & malis, cognitu hominibus utilissima sunt, tum* quoniam gloriam Dei tot tantisque spiritibus vel stipati vel ad jussa sua exequendum utentis pandunt, *tum* etiam, quoniam boni exemplar præbent Deum corde, opere, summâ reverentiâ, profundâ humilitate, flagranti fervore colendo, mali verò, fugiendo peccata, quibus nos ἰσοδαιμονὶς & mancipia Diaboli reddimur, & iisdem pœnis affligimur, *tum* denique, quia exinde solatium, si cogitamus nos exercitu Dei in omnibus periculis circumdari, & quando ultimus hostis mors nos aggreditur, ministerio Angelorum ad cœlestes sedes transferri.

CAPUT VIII.
De
PROVIDENTIA.

Σύνοψις.

OMnibus, quæ Deus creavit, ipse prospicit, §. I. Quæ ejus Providentia

tia in Sacris & extra illa variè nominatur. §. II.

Cujus natura ostenditur. §. III.

Probatur primò ex saniorum Gentilium calculo. §. IV.

Dein ex Scriptura. §. V.

Insuper ex summa, quæ in Deo, perfectione. §. VI.

Præterea ex natura, ordine, actionibus rerum creatarum. §. VII.

Denique ex homine rebusque humanis. §. VIII.

Tandem ex vita hostium, quæ mala. §. IX.

Objectum Providentiæ in genere omne, quod est. §. X.

Speciatim creaturæ merè spirituales, ex parte spirituales, animatæ ratione tantùm destitutæ, destitutæ quoque sensu. §. XI.

Nec creaturæ tantùm Providentiæ divinæ obversantur, sed earum actiones quoque. §. XII.

Actus Providentiæ duo sunt. §. XIII.

Primus est conservatio, quæ definitur probaturq;. §. XIV.

Tum ostenditur non absolvi actu negativo, sed requiri insuper positivum. §. XV.

Alter gubernatio. §. XVI.

Quæ probatur ex nexu. §. XVII.

Scriptura. §. XVIII.

Natura totius universi. §. XIX.

Libertate hominis. §. XX.

Absurdis, quæ aliàs sequerentur. XXI.

Omnia licet gubernet Deus

Deus, non tamen eodem modo. §. XXII.
Aliter inanimata. §. XXIII.
Aliter animata ratione destituta. §. XXIV.
Aliter homines. Ubi ostenditur quomodo regantur quoad corpus. §. XXV.
Quoad rationem ejusque operationes in genere consideratas XXVI.
Tum in specie, quatenus sunt bonæ. §. XXVII.
Quatenus sunt malæ. §. XXVIII.
Circa posteriores considerandum regimen Dei, quale, antequam peccatum patratur. §. XXIX. XXX.
Dum patratur. XXXI.
Et quando patratum est. §. XXXII.
Unde constat permissionem Dei circa peccata efficacem quidem esse, quàm peccatum vitio hominis certò subsequitur. § XXXIII.
Minimè tamen Deum peccati Auctorem esse. §. XXXIV.
Quamvis modus gubernationis actionum liberarum nobis plenè cognitus non sit, §. XXXV.
Attamen certum & Deum illas regere. §. XXXVI.
Et hominem liberè agere. §. XXXVII.
Adeoque Deum cum actione hominis concurrere. Quomodo id salvâ hominis libertate fiat, indicatur. §. XXXVIII.
Gubernantur à Deo etiam contingentia. §. XXXIX.
Species gubernationis XL.

Est vel ordinaria vel extraordinaria. XLI.
Ad posteriorem referuntur miracula, quæ à miris actionibus certis signis distinguenda. XLII.
Rursum est vel mediata vel immediata. §. XLIII.
Usus doctrinæ de Providentia, quoad Deum. §. XLIV.
Quoad nos. §. XLV.

§. I.

CUnctis, quibus Deus τὸ esse dedit, etiam prospicit, iis τὸ porrò esse dat, atque ea ad suos fines dirigit. Actiones hæ conjunctissimæ sunt ut ex posterioribus nulla cuipiam adscribi queat, quin eidem prima competat. Imò hæc jus ad reliquas tradit. Quare quoque sacræ literæ sæpiùs Deum & Creatorem & *provisorem* unâ exprimunt, Ps. CIV. tot. XXXIII, 6. 13. 14. &c.

II. Curam, quam Deus circa res creatas habet, Scriptura vocat, modò ראה *videre*, Ps. XXXIII, 13. modò הביט *intentè videre*, Ps. XXXIII, 13. modò השגיח & חשקיף (unde Rabbinis השגחה *Providentia*) *attentè prospicere*. Ps. XIV, 2. ad indicandum intuitum Dei constantem, accuratum, efficacem, cf. Gen. XXII, 8. 1. Reg. XII, 16. Vocat quoque notitiam necessitatum nostrarum Matth. VI, 32. curam 1. Petr. V, 7. Plurima alia transeo. Extra Scripturam audit προνοια, & secundum actus suos προ-

γνως,

γνωσις, πρόθεσις, διοίκησις, *Providentia*, *Fatum*. Quomodocunque insignias, parum refert, modò rectè sentias.

III. *Est autem* PROVIDENTIA *externa Dei actio, quâ is rebus creatis juxta æternum consilium, potentissimo verbo eas conservando & regendo, prospicit.*

IV. *Dari autem Providentiam ipsi quoque saniores Gentiles tradiderunt*, inter quos Plato. Alii tamen ex iis opinabantur Deos *non curare, quid agat humanum genus*, cujus erroris maximè Epicurus accusatur. Non tamen primus. Cain, si Paraphrasi Hierosolymitanæ Gen. IV, 8. fidem habemus, eodem errore tenebatur. Certè impii illi Ps. X, 11. *oblitus est Deus, abscondidit faciem suam, non videbit in æternum.* cf. XIV, 1. XCIV, 7. Job. XXII, 13.

V. At *est testatissima veritas tàm in Scriptura quàm in natura, Deum omnibus providere.* Piè Clemens *l. V. stromat. Aliæ (quæstiones) sunt dignæ punitione, cujusmodi est probationes requirere, an sit Providentia. Tota Scriptura argumentis abundat.* Memoro ea solùm, quæ directè Providentiam probatam dant. De hac quæstio instituta videtur Jobi ævo cap. XXII, 13. quam ipse Deus ex cœlo fortissimè decidit Job. capp. XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. Negabant illam impii, Davidis ætate, qui validissimè stultitiæ arguuntur, Ps. XCIV.

Si non mente, actu ipso eam in dubium vocant avari, contra quos Christus Matth. VI, 25-33. Paulus Athenis adversus Epicureos & Stoicos, Act. XVII, 18. hujus ipsius dogmatis de Providentia hostes, hanc ipsam veritatem pluribus nec sine successu probat c. c. v. 25 f. Egregius quoq; typus scala à Jacobo visa, hunc certiorans de benigna Numinis cura adversus hostes Gen. XXVIII, 12-16. Quot denique prophetiæ, tot Providentiæ testes. Si enim Deus ea, quæ in mundo, Ecclesiâ futura sunt, prædicit, tum quoque mundanis prospicit.

VI. *Probat quoque eam summa, quæ in Deo, perfectio*, qualis non esset, si creaturarum suarum curam non gereret, illas sibi relinqueret. Et quo quis perfectior, eò plura cum laude tractat. Insuper si Deus mundanis non providet, hoc inde, vel quoniam non valet, vel quoniam non vult. Non prius. Omnipotens quippe nec labore fatigatur, Es. XL, 28. *præcipit & est*, Ps. XXXIII, 9. Omniscius quoque & omnipræsens Act. XVII, 27. ut adeò nihil latere ipsum queat. Non posterius. Nam Deus optimus justissimus rebus suis præst, bonos præmio, malos pœna afficit. Adeò ut Providentiam negare, perinde ac Deum negare.

VII. *Probat insuper rerum creatarum natura, ordo, actiones certæ* &c. Natura rerum creatarum est dependens. Plurimæ ratione

tione destitutæ sunt, in quibus tamen, uti cœlestibus, ordinem cernis. Actiones quoque ad certum finem tendunt, quem etiam consequuntur, & quidem statis temporibus. E. independens, & à quo alia quævis dependent, sapientissimus, potentissimus rector oportet sit.

VIII. *Probat denique speciatim homo & res humanæ.* ℵ. Formatur is in utero humano, accipit corpus & animam, editur in lucem, vivit, conscientia ob benefacta lætatur, angitur ob malefacta, ea quoque, quæ nemini cognita, quæ nullum judicium humanum extimescunt, tandem moritur. A quo hæc? Non ab ipso homine, qui patitur potius quàm agit. Non etiam à parentibus. ב. Res quoque humanæ ita comparatæ sunt, ut providum Numen probent. Ubi scelera graviora adversus Deum patrantur, derepente judicia, præsentis Numinis testes, immittuntur Num. XVI. conferuntur quoque extraordinaria beneficia in bonos Jud. VII. Imperia maxima, omni vi humana majora, mutantur, transferuntur in alios, Prov. VIII, 15. Dan. IV, 14.

IX. *Ultimò* & hoc notandum, dogma de Providentia non alios hostes habere, quàm qui impiam vitam ducunt, Ps. X. XIV. Qui, quoniam prodesset illis, Deum rebus mundanis non providere, falsum comminiscuntur, unde etiam dogmatis veritas confirmatur.

X. *Versatur hæc Providentia circa omnia*

& singula creata. Circa omnia: Omnium enim eadem natura dependens. Omnibus quoque entitas, vita, motus, certa operatio est. Hoc ipsum S. Literæ volunt, Rom. XI, 36. Heb. I, 3. Neh. IX, 6. Act. XVII, 25.

XI. *Circa singula.* Hæc sunt *vel creaturæ merè spirituales*, uti Angeli boni & mali, qui, quandoquidem judiciorum & beneficiorum divinorum ministri sunt, Providentiæ divinæ utique subsunt. Vel *ex parte spirituales* uti homines. A Deo dependet horum conceptio, formatio in utero Job. X, 10. Ps. CXXXIX, 15. nativitas, Ps. XXII, 11. tota vita cum cunctis operationibus Ps. CXXXIX, 2. 4. LVI, 9. Denique mors, ceu quæ à Deo accuratè definita Job. XIV, 5. hinc specialiter prædicta, Deut. XXXI, 14. exstat. Unde, hora mortis nondum præsente, homicidarum impiæ insidiæ vanæ sunt Joh. VII, 30. Quorum quoque mors respectu ad causas secundas habito maximè fortuita apparuit, illa à Deo intendebatur, Exod. XXI, 13. Et vivit homo tamdiu, quamdiu vitam ex manu Dei accipit, Act. XVII, 25. Si enim ne quidem avicula absque voluntate cœlestis Patris in terram cadit, cur nobilissima creatura ad imaginem Dei facta Matth. X, 29.? Vel *animatæ ratione destitutæ*, magnæ, uti Behemoth Job. XL. exiguæ Matth. X, 30. Vel *inanimatæ* cœlestes Matth. V, 45. aereæ Ps. CXLVIII, 8. terrestres Ps. CIV, 14. 16. Matth. VI, 28. 30.

XII. *Nec*

XII. *Nec Providentia divina tantum versatur circa creaturas memoratas, sed & circa earum actiones.* Actiones hominis sunt naturales, uti spirare, cogitare, loqui, Prov. XVI, 1. XXI, 1. Act. XVII, 25. artificiales, uti domum exstruere, Ps. CXXVII, 1. 2. Exod. XXXI, 3, 6. morales & hæ vel bonæ, 2. Cor. III, 5. vel malæ, 2. Sam. XVI, 10. Hæ hominum actiones à Providentia Dei exemtæ nequaquam sunt, uti nec reliquarum creaturarum sive necessariæ, Jer. XXXIII, 20. sive fortuitæ Gen. XXII, 8-13. nequidem vilissimarum, nam quando illas creare haud inglorium Creatori, ita nec iis providere. Imò egregiè gloriam Dei illustrant, Exod. VIII, 17. 18. Joel I, 4.

XIII. Ut verò naturam Providentiæ, de qua hactenus generatim, distinctius intelligamus, duos ejus actus, Conservationem & Gubernationem, perlustrabimus.

XIV. CONSERVATIO *est ille actus Providentiæ divinæ, quo Deus omnipotenti verbo suo omnes res creatas, earum essentiam, facultates sustentat, alias in specie per successionem individuorum, alias verò in ipsis individuis.* Veritas tùm ex dictis patet, tùm ex variis Scripturæ locis, Neh. IX, 6. Ps. XXXVI, 7. Hebr. I, 3. Quæ non à seipsis existunt primo momento, ea quoque non secundo, tertio & sequentibus.

XV. *Ad conservationem non sufficit actus negativus*, quô Deus essentias, vires ac facultates creaturarum non vult destruere, sed eas Architecti instar vigori suo per creationem indito, quamdiu hic durat, relinquit, interim id agit, ne aliena vi pereant, prospicit quoque largè de iis, quæ ad conservationem necessaria sunt. *Requiritur insuper actus positivus*, quô Deus verbo suo omnipotenti jubet ut res porrò existant; Modò easdem vires conservat, modò auget, modò imminuit pro eodem majori aut minori influxu. Probatur ex Sacris. ℵ. Act. XVII, 18. *In illo vivimus, movemur, & sumus.* Non solùm ab initio nobis essentiam, vitam, motum indidit Deus, & tum nobis relinquit, sed perpetuò dat cf. v, 25. Ps. CIV, 28. 29. 30. *Si aperies manum tuam, bono saturabuntur, si abscondes facies tuas, consternabuntur: si colliges spiritum eorum, exspirabunt, & ad pulverem suum revertentur. Si verò imminittes spiritum tuum, creabuntur.* E. Deus circa creaturas non tantùm versatur cibum dando, animam in illis ad tempus relinquendo, sed vertit *facies suas* ad illos, virtute sua in illis operatur, *Spiritum suum* dat, unde *creantur*, h.e. conservantur, nam de prima creatione superius locutus est. Matth. IV, 4. *Homo* οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ *solo pane non vescitur* & in vivis manet: Necessarium prætereo, ut Deus mittat benedictionem. ב. Subinde quoque evenire cernimus,

ut,

ut, quando vigor vitæ fermè consumptus est, is derepente rursum vires sumat & augeatur; Unde hoc? A Deo, qui denuò influit vi sua in hominem, ut videbatur, moriturum.

XVI. Creaturas, quas Deus conservat, gubernat quoque, unde *alter Providentiæ divinæ actus* GUBERNATIO, *quâ Deus res creatas convenienter naturæ suæ sapientissimè potentissimè ad fines prædestinatos ducit.*

XVII. *Gubernationem Dei probant etiam ea, quæ supra diximus de Providentia* in genere & de conservatione in specie. Quare alius mundum conservaret, gubernaret alius. Proficisceretur hoc vel à defectu potentiæ vel à fastidio laboris aut amore otii, quorum neutrum absque impietate de Deo dixeris.

XVIII. *Insuper innumeris Scripturæ testimoniis confirmari posset.* Ex his sunt Eccles. III, 11. *Omnia facit pulchrè tempore suo* Ps. CIII, 19. *regnum ejus in omne dominium*, unde toties *Rex, Rex terræ, Jehova exercituum* dicitur. Fata, quæ & in mundo & in Ecclesia varia admodùm sunt, à regimine Dei tamen dependent, Act. XVII, 26. 1. Tim. II, 6. & prius definita suo tempore adimplentur, Es. XIV, 24. Gal. IV, 4. Lege cum attentione Historiam Ecclesiæ sub V. & N. T. & mille testes pro gubernatione divina habebis.

XIX. ℵ *Universum hoc constituunt cœli & ter-*

& terræ. Cœli, terra & quæ in iis sunt, reguntur à Deo. In cœlo Sol, Matth. V, 45. Luna, Ps. CIV, 19. CXXI, 6. Stellæ, Ps. CXLVII, 4. In terra homines Act. XVII, 28. animantia irrationalia Ps. CXLVII, 8. 9. inanimata Ps. CIV, 14. &c. Singula, ut ex locis allegatis constat, à Deo gubernantur. 2. Quod porrò inde constat, quoniam Deus iis utitur vel ad præmio afficiendum pios Hos. II, 21. 22. vel ad puniendum impios Lev. XXVI. Deut. XXVIII. Jam Solis cursum sistit, jam ejus umbram retrocedere facit, Jos. X, 13. Es. XXXVIII, 8. Jam Solem in tenebras & Lunam in sanguinem convertit Joël III, 4. Cœlum vel aperit vel claudit, 1. Reg. XVII, 1. XVIII, 1. Leones, ursos, cetos, serpentes, vespas, crabrones, insecta, ignem, procellas ad puniendum, 2. Reg. XVII, 25. 2. Reg. II, 24. Jon. II, 1. Num. XXI, 6. Exod. XXIII, 28. Exod. VIII. 2. Reg. I. Jon. I. At corvos, pisces &c. 1. Reg. XVII, 6. Matth. XVII, 27. ad benefaciendum mittit. 3. Præterea omnia ad certum finem agunt. Pleraque ex creatis illum non intelligunt. E. ad eum à Deo diriguntur.

XX. *Ipsæ quoque hominum liberrimæ actiones à Deo reguntur*: Josephus, quem invidi Fratres ceu mancipium vendebant, à Deo ob certos fines in Ægyptum mittitur, Gen. XLV, 7. Hinc illæ instrumentis, quæ utique rectorem poscunt, assimilantur. Jes. X, 15. 26.

XXI. *Negata Dei gubernatione negantur De-*

Decreta, eorum efficacia, immutabilitas, Prophetiæ. Precum, imo totius Religionis ardor extinguitur.

XXII. *Ex dictis abundè constat, Deum omnia gubernare, sed hæc non eodem modo gubernat.* Quemadmodum enim Deus non ejusdem naturæ esse voluit creaturas suas, ita diversa ratione, prout indita natura poscit, easdem regit & ducit.

XXIII. Quod attinet *inanimata.* Deus ab initio indidit illis certum motum, quem etiamnum potentiâ suâ perpetuat, CIV, 19. Jerem. XXXI, 35. instruxit dein certis qualitatibus, quæ præsente hoc vel illo objecto determinatos effectus edunt, uti *si igni affunditur oleum.*

XXIV. Quod *animata ratione destituta*: Eorum vires, facultates in creatione datas fovet, movet, stimulat ad ordinarias Ps. CIV, 20. 21. (quarum nobiliores, maximè in certis animantium speciebus, imitamen rationis humanæ præ se ferunt Prov. XXX, 24-28. Jer. VIII, 7.) vel singulares operationes edendum. Jon. II, 1.

XXV. Quod verò *hominem* concernit, habet ille nonnulla cum brutis communia, circa quæ regimen Dei consimiliter se habet, uti de animatis ratione destitutis modo diximus. Sed & habet rationem, quæ aliùs prorsus naturæ ac corpus, unde etiam aliud Dei regimen circa illam.

XXVI.

XXVI. *Rationis operationes vel in genere vel in specie considerari possunt. In genere.* Deus facultates cogitandi, pensitandi, judicandi, volendi, eligendi, aversandi &c. conservat, ut eas homo exercere queat. Legem quoque fert sive in conscientia tantùm sive simul in verbo ad quam cogitata, judicia, appetitus, aversationes instituendæ sunt. Legem præterea munit promissionibus & comminationibus. Insuper objecta, circumstantias offerri procurat, quæ vim ad rationis actiones excitandum, determinandum continent. Agit tandem in rationem ut cognitione facta determinet se ad hoc vel illud. Dicta exemplo facilè illustrantur.

XXVII. *In specie rationis operationes sunt vel bonae vel malae. Operationes bonae* circa naturalia, eaque vel artificialia, vel civilia, vel moralia, &dein circa supernaturalia versantur. Quod attinet illas prioris generis, dona, quæ ab initio contulit, ingenium, judicium, amorem, curam, industriam, conservat, auget, atque hoc præeunte recto donorum collatorum usu. In his homo quoque *activè* se habet v. Exod. XXXI, 3.6. Ps. CXXVII, 1-4. Prov. XIII, 11. Rom. II, 14. Matth. XXV, 29. Sed quod spectat posterioris generis, Deus primò solus operatur vitam spiritualem indendo, nam quum homo naturâ mortuus in peccatis sit, is non prius vitam spiritualem vivit quàm illam à Deo accipit. Ex quo verò eam accepit, magis magisque & ipse actuo-

actuosus est. Omne tamen quod agit gratiæ divinæ acceptum referre debet, quippe vitam dedit, eam conservat, intellectum clariori luce perfundit, voluntatem flectit, mira dulcedine afficit, ut ad eadem bona tendat, v. Eph. II, 1-11. Ezech. XXXVI, 26. 1. Cor. XV, 8-11.

XXVIII. Etiam *operationes malæ* subsunt gubernationi Divinæ, quod ex pluribus Scripturæ locis quàm clarissimè constat. Possunt autem phrases Scripturæ hac de materia ad hæc circiter capita redigi. א. Deus dicitur peccatum præcepisse, 2. Sam. XVI, 10. ב. Ad illud instigasse, 2. Sam. XXIV, 1. ג. Imò fecisse, 2. Sam. XII, 11. 12. ד. Aut eæ tribuuntur actiones, quas peccatum omninò consequi necesse est, uti *excæcare, indurare, efficaciam erroris immittere* Esa. VI, 10. 11. Exod. X, 1. 2. Thess. II, 10. 11. ה. vel decreta de peccatis certò futura, Act. IV, 27. 28. Deo adscribuntur. Si mala regimine divino exemta essent, magna pars rerum mundanarum Providentiæ divinæ detraheretur, ἀδιάποτος existeret, quum tamen nihil eveniat, Deo non volente, vel efficiente, vel permittente.

XXIX. Hanc Dei gubernationem clarius cognoscimus, si distinctè eam, antequam peccatum patratur, dum patratur & quando patratum est, pensitamus.

XXX. *Quod attinet actum gubernationis divinæ antequam peccatum patratur*, Deus homi-

homini vires, quibus in peccando abutitur, conservat: Legem fert eamque comminationibus munit ad scelus fugiendum. Permittit insuper homini libertate sua uti, nec peccato illud obstaculum opponit, quod pro omnipotentia sua posset, Act. XIV, 16. Deserit peccatorem & privat quoque luce & spiritu, ceu quibus antea abutebatur, 2. Chron. XXIV, 20. Tradit etiam cupiditatibus, quibus prius inhiabant, Rom. I, 24. 26. Sathanæ, mundo frœnum solvit, ad varie & fortiter pelliciendum, 2. Thess. II, 9. Offert objecta & circumstantias, quæ si juxta legem datam considerarentur, bonæ & pietatem testandi occasionem præbent, Gen. XXXIX, 7. 8. 9. Sed eadem à peccatore in malum convertuntur, 2. Sam. XI, 2--5.

XXXI. *Succedit actus Providentiae Divinae, dum peccatum patratur.* Quando peccator patrationem sceleris firmiter concluſit, Deus aliquando id omne fieri permittit, quod ille meditatus erat, veluti in Caino exemplum prostat; Aliquando modum ponit, vel in tempore Jer. XXV, 9. vel in objecto, Ezech. XXI, 26. 27. (Divina quippe Providentia factum, ut Nebucadnezar bellum Ammonitis & Judæis inferendum meditans hos adortus fuerit,) vel in specie mali inferenda, Gen. XXXVII. Fratres Josephi prius mortem infligendam judicarunt, à quo verò impediebantur.

XXXII. *Tandem actus regiminis divini, post-*

postquam peccatum patratum est, spectandus. Convincit peccatorem de malitia sua Rom. II, 15. Conscientiæ morsum excitat Ps. XXXII, 3. Fideles castigat immissis pœnis temporalibus, 2. Sam. XII, 9-12. Sed infideles & temporalibus & æternis pœnis afficit, excœcat, indurat, unde è peccato in peccatum ruunt, Gen. IV, 11. 12. Matth. VII, 23. Exod. IX, 12. Ultimò contra peccantium intentionem malum ad bonum finem dirigit, Gen. L, 20. Act. II, 36.

XXXIII. Ex his elucet, quæ Dei circa peccata hominum gubernatio sit. *Non utique peccatum vel inscius vel otiosus permittit, aut non impedit, quod posset pro omnipotentia sua*, sicuti subinde impediit, veluti quando exercitum Ægyptiacum unà cum rege, qui Israëlitas in pristinam servitutem redigere quærebat, aquis suffocavit. *Verum permissio est efficax, quam peccatum vitio hominis certò subsequitur.* Hoc verò patet א. ex phrasibus Scripturæ §. XXVIII. citatis. ב. Ex actibus gubernationis divinæ circa peccatum modò memoratis. §. XXX-XXXIII. ג. Exemplô crucifixionis Jesu Christi, ad quod reliqua accedunt. Crucifixio scelus summum, quam tamen Deus efficaciter permittebat & quæ quoque incerti eventûs esse non poterat. Hinc illa cum circumstantiis sapienter & efficaciter definita, Act. IV, 28. in vaticiniis prædicta & in typis adumbrata. ד. Illis impiorum actionibus, quæ

Deo ut judici tribuuntur, 2. Sam. XII, 11. Pœna autem, quam Judex certò futuram interminatur, certò quoque infligitur.

XXXIV. *Minimè verò Deus auctor peccati* utpote qui lux, in qua nullæ tenebræ, 1. Joh. I, 5. qui ipse sanctissimus sancta nonnisi præcipit 1. Petr. I, 15. 16. & odit perditque malum Ps. V, 5. 6. 7. Nec fluit ejusmodi impietas ex doctrina tradita, (*a*) ceu quæ totidem verbis ex sacris desumta est. (*b*) Deus hominem rectum condidit, sed hic à rectitudine sponte declinavit, atque vires circa bona perdidit. Quando nunc jubetur benè agere, sicuti etiam post peccatum Deo salvum jus manet creaturam ad sanctum obligandi, & is non agit nisi malum, nec aliud propriâ culpâ facere potest, non Deus sed homo ipse in causa. (*c*) Deus permittit peccatum, quod, si absolutè vellet, prohibere posset, non tamen prohibet ceu ad quod non tenetur. (*d*) Et quoniam constitutum Deo hominem juxta leges regere & tandem judicare, permittit illi agere prout lubet. (*e*) Permittit quoque peccatum, quoniam ex malo. quod homo agit, pro profundissima sapientia novit bonum elicere, imò majus bonum, quàm si peccatum mundum non intrasset. In peccato, quod physicum est, uti cogitatio, concupiscentia, affectus, loquela, actio totius corporis aut membri à vitioso abstractè considerandum. Illud à Deo: Hoc à

pecca

peccatore. Invidiosè itaque Adversarii hanc doctrinam traducunt, ac si Deum Auctorem constitueret, quæ in contraria omnia it & sensum imò etiam verba Scripturæ refert. Prostant quoque privatæ & publicæ adversus hanc calumniam nostrorum protestationes. *Vid. Confess. Helv. cap. VIII.*

XXXV. *Gubernantur quoque à Deo libera.* Modum quidem clarè non intelligimus, quâ ratione una eademque res ratione nostrûm libera, ratione Dei præcognita, decreta, certo futura, sed non mirum. Quantum est, quod ignoramus, maximè quoad modos rerum vel in rebus humanis, anima, corpore nostro, nedum in rebus divinis. Hoc ipsum Dei regimen Davidem, in quo divinus Spiritus, in admirationem & confessionem ignorantiæ rapuit, Ps. CXXXIX, 5. 6. Sed non licet rem ipsam negare, si modum ejus ignoramus.

XXXVI. Nam certum est Deum regere voluntaria, libera, etenim *plures* licet *sint cogitationes cordis humani, attamen consilium Jehovæ stabit*, Prov. XIX, 21. cf. XVI, 1. 9. Reges quidem præ aliis liberi videntur, sed & horum *cor* quod cogitat, deliberat, decernit, *in manu Jehovæ*, quod facilè & eò inclinat quò vult, Prov. XXI, 1. Exemplum habes in Rege Ethnico Cyro 2. Chron. XXXVI, 22. 23.

XXXVII. Sed non minus certum est, homines liberè agere, bona, 1. Petr. V, 2. mala,

Hebr. X, 26. ut actio ipsorum hominum rectè habeatur, & ideò vel præmio vel pœna afficiatur. (1.) Omnes libertatis, quæ in nobis, testes sumus. Nam de objectis judicamus, prout vel bona vel mala nobis videntur, determinamus nos ad illa concupiscendum, hæc aversandum. (2.) Testatur Scriptura passim. (3.) Alioquin nulla actio hominis vel bona vel mala esset, nullum quoque judicium.

XXXVIII. Ergò Deus quidem agit sed non solus: *Concurrit* cum homine. Hic est συνεργὸς Θεῦ *cooperarius Dei*, 1. Cor. III, 9. maximè in rebus civilibus, artificialibus, moralibus. Ut verò modum difficillimum aliquatenus intelligamus, tenendum est, Deum ab æterno non solùm decrevisse, ut omnia, quæ in tempore fiunt, fierent, sed & decrevit modum, veluti liberum. In tempore itaque objecta, circumstantias offerri procurat, quæ hominem ad hoc vel illud judicandum, eligendum, &c. præmovent. Cor hominis in Dei potestate est, ut flectat quò vult, atque hoc ut nemo de coactione conqueri queat utpote seipsum per voluntatem suam ad certam actionem determinat. Exemplum sit liberè & tamen ex regimine Dei intermissum ossifragium, Joh. XIX, 36.

XXXIX. *Gubernantur denique contingentia*, quæ aliter & aliter se habere possunt, quorum causæ, antequam causantur, nobis incognitæ sunt. Unde effecta nobis sunt contin-

gen-

gentia fortuita: Non item Deo, cui *omnia ab æterno nota sunt*, & qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ. Quod porrò inde constat; contingentia, quæ à nobis dicuntur, uti *post tres dies pluet*, necessaria sunt respectu causarum secundarum, à quibus dependent. At hæ operantur jussu & virtute causæ divinæ, Ps. CIV, 13. 32. Insuper ex sortis casu, qui משפט *responsum judiciale à Jehova*, Prov. XVI, 33. dicitur, eo ipso nomine, quo responsa תומים Urim & Tummim. Patet id quàm evidentissimè ex terra Canaan sorte inter tribus distributa. Sors unicuique eam terræ portionem assignabat, quæ jam antea promittebatur.

XL. *Hæc diversæ naturæ inanimata, animata &c. quæ à Deo gubernari diximus, jam gubernantur secundum semel à Deo in regimine naturæ ordinem constitutum, jam non: Jam intercedentibus causis secundis; Jam absque illis.* Unde gubernatio ordinaria alia, alia extraordinaria: Rursum alia mediata, alia immediata.

XLI. *Ordinaria gubernatio est jugis & quotidiana, quam creata tenent*, veluti Solis & Lunæ cursus. Sed *extraordinaria, quandò creata vi divinâ aliter reguntur*, veluti quando Sol stat, Jos. X, 12. quâ Deus docet se naturâ semel constitutâ longè potentiorem.

XLII. Ad hanc referuntur *miracula*, Hebr.

אתת ומופתים *signa & prodigia* opera solius Dei, quæ omnem creaturarum vim transcendunt, Joh. III, 2. Ps. LXXII, 18. Nondum enim miraculum, quod opus mirum & cujus causam non statim novimus, qualia etiam in creaturas potentiores, callidiores cadere possunt. Probè itaque dispiciendum, an actio miraculosa. Cognoscitur autem in genere ex actione, quæ nova & cui similis in rerum natura non datur. Speciatim ex modo operandi supra vel præter vel contra naturales leges, aut etiam absque omni medio. Primi in miraculosa cibatione: Secundi in morbis tactu fimbriarum fugatis: Tertii in cursu aquæ impedito: Ultimi in sanationibus morborum inveteratorum verbo factis exempla sumere licet.

XLIII. *Plura, intercedentibus causis secundis,* ut dictum, *regit Deus.* vid. Hos. II, 21. 22. Ita tamen ut ipse etiam virtute sua in causas secundas immediatè influat. Non utitur illis virium impos, sed ad Majestatem, bonitatem, sapientiam testandum, quamobrem aliquando nobilissima effecta producturus media infirma adhibet & fortissima irrita addit, 1. Cor. I, 27. 30. Hos. IV, 10. *Alia vero absque mediis gubernat*, ut constet perinde ei esse cum & sine medio agere.

XLIV. *Quum omnia Numinis facta ad gloriæ suæ demonstrationem fiant, tum quoque continuatio & gubernatio rerum creatarum*

rum. Nemo paululum attentus non infinitam Majestatem Job. XXXVIII, summam libertatem Ps. CXV, 3. profundam sapientiam Ps. CXXXIX, 6. maximam potentiam Job. XXXIX. incredibilem bonitatem Ps. CXLV, 9. immaculatam sanctitatem, etiam in regimine peccatorum Deut. XXXII, 4. aliasque perfectiones clarè cernet, admirabitur, deprædicabitque.

XLV. *Egregium quoque usum hæc doctrina in fidelium animis relinquit*, utpote persuasi esse possunt, Deum, qui ex hac causa præcipuè mundana sustinet & gubernat ut consilium gratiæ suæ exequatur, cuncta ad suorum salutem recturum. Præclarè Arriani Epict. l. I. c. IX. *Si quis attingat propinquitate Cæsarem aut alium quempiam potentiorum Romæ, satis ad tuto vivendum, & ut ne despiciatur, præsidii habebit, nec sibi ab aliquo timebit.* Τὸ δὲ τὸν Θεὸν ποιητὴν ἔχειν καὶ πατέρα καὶ κηδεμόνα οὐκέτι ἡμᾶς ἐξαιρήσεται λυπῶν καὶ φόβων; *Deum verò quum habeamus conditorem, & patrem, & curatorem,* (adde Christiane, *in Christo Jesu,*) *is nos tristitia & metu non liberabit?* Si quis proximum divitem, se verò pauperem videt, mox cogitet de liberrima bonorum distributione. Si fata mirè sibi invicem innexa pensitat, admiretur Rectoris sapientiam. Si bona accepit, Deo, à quo omnia, grates referat impendatque ad ejus laudem. Si in infortunium

incidit, ne murmuret, digito labia compescat. Uno verbo hoc altè menti ejus infixum sit, Deum omnia videre, conservare, gubernare.

CAPUT IX.
De
STATU HOMINIS ANTE PECCATUM.

Σύνοψις.

DEus hominem ad imaginem suam creans intendit gloriæ suæ demonstrationem. §. I. II.

Ideò præscripsit illi leges, quarum observatione nomen suum glorificaretur. §. III.

Leges verò, quas dederat, comparatæ erant ad dotes animo, corpori concessas. §. IV.

Quatenus intellectu. §. V.

Voluntate. §. VI.

Corpore omne id agere debebat, quod ad gloriam Creatoris poterat. §. VII.

Quæ quidem leges disertè apud Mosen non memorantur. §. VIII.

Nec, ut videtur, externè rogatæ sunt: Attamen in natura Dei & hominis fundatæ. §. IX.

Quippe naturales sunt. X.

Leges hæ, quoniam pec-

peccatum illarum luci variè obest, splendori suo restituuntur, passim in Scriptura, maximè in Decalogo. XI. XII.

Deus præter naturales legem quoque positivam de fructu arboris scientiæ boni & mali non comedendo dedit. §. §. XIII. XIV.

Quæ sapientissima ad explorandum Adami obedientiam, aliaque docendum. instituta. §. XV.

Et illis & huic primi homines obedientiam debebant. §. XVI.

Debuissent quoq; omnes posteri, si peccatum per Adamum in mundum non intrasset. XVII.

Quorum omnium personam primus homo tanquā caput sumserat. §. XVIII.

Obedientia autē, quæ requirebatur, esse debebat totalis, perfecta, constans. §. XIX.

Quâ præstitâ majòr gratia à benigno Creatore certo exspectari potuisset. §. XX.

Licet illa disertè non non expressa à Mose. §. XXI.

At transgressio promerebatur mortem sive privationem vitæ jucundæ, naturalis, spiritualis, & æternæ. XXII. XXIII.

Quæ mox post peccatum inferri cœpit. §. XXIV.

Et quâ non solum Adamus & Eva, sed & posteri implicabantur. §. XXV.

Ex dictis fluit Deum hic considerandum,

instar sapientis, absoluti, sed simul benigni, justi, sancti Legislatoris: At homo ut integer & radix totius generis humani. §. XXVI.

Ad hunc primi hominis statum cognoscendum pertinet etiam notitia Paradisi. §. XXVII. XXVIII.

Qui Adamo spem majoris boni. §. XXIX.

Et typum cœli referebat. §. XXX.

Dein arboris vitæ, quæ filium Dei ante & post peccatum, quamvis diversa ratione, expressit. XXXI. XXXII.

Tandem sabbathi §. XXXIII.

Quod vel Dei nova opera creare cessantis. §. XXXIV.

Vel hominis in quiete diem septimum, opera Dei intuendo, Creatorem laudando, consumentis. §. XXXV.

Poteratq; ipsi signum & pignus esse felicioris temporis post curriculum obedientiæ absolutum transigendi. XXXVI.

§. I.

EX *præcipuis causis, quod Deus mundum creavit, eumque conservat ac gubernat, est demonstratio gloriæ suæ ad felicitatem hominis, unde illum in eo condidit statu, in quo dignus ad intimam cum Creatore suo communionem*, nam, ut supra notavimus, homo primus ad imaginem Dei creatus est, benigna adeo-

adeoque Creatoris manu datus ei est sapiens, intellectus, voluntas sancta, affectus ordinati, & corpus menti subjectum.

II. Hinc *constat hominem esse Dei creaturam, & ipsi ob excellentes dotes gratiosè datas summè obligatum.* Et quandoquidem Deus gloriam suam diligit, quærit, Rom. XI. v. ult. vult quoque ut creatura, maximè quæ tantis donis ornata, gloriam suam agnoscat, deprædicetque, 1. Cor. VI, ult. Vel dicendum Creatorem hoc fine certo scopo in hominem contuliſſe & perinde ei esse, num à creatura agnoscatur, vel non colatur, aut despiciatur, quod falsissimum.

III. *Quando verò à creatura glorificationem sui intendit, tum quoque hanc voluntatem ipsi revelavit, leges adeoque dedit, quomodo ipsum glorificare debeat.*

IV. *Leges illæ comparatæ sunt ad dotes animo, corpori concessas.* Prudens quippe Legislator non alia exigit officia, quàm quæ à viribus subditorum jure postulari queunt.

V. Creator homini dedit intellectum. Homo adeòque debebat Creatorem suum nosse, ad perfectiones ejus cognoscendas ingenii viribus rectè uti, nosse quoque se, aliaque à Deo creata esse, & ab eo dependere.

VI. Creator dein homini dedit voluntatem. Homo adeoque debebat id solùm velle, quod cum voluntate Creatoris & ratione congruit, velle,

velle per consequens amorem, cultum Dei, nec quidquam agere, quod Deo displiceat, amorem quoque proximi.

VII. Creator denique homini dedit corpus. Homo adeòque debet corpus ratione sua regere, membris ejus ad gloriam Creatoris & commodum proximi uti.

VIII. *Has quidem leges homini primo datas disertè non legimus. Ratio est, quia minus necessarium.* (1.) Fundatæ quippe sunt in natura Dei, qui odium, contemtum sui &c. neque præcipere, neque permittere creaturæ potest. (2.) Fundatæ dein sunt in natura hominis ratione præditi, *recti* Eccles. VII, 29. ad *similimam imaginem Dei* Gen. I, 26. ejus quoque, qui jam per peccata deperditus, Rom. I, 20. II, 14. 15. (3.) Insuper disertè legimus datam esse legem positivam, Gen. II, 17. quæverò minùs necessaria & præsupponit priores illas.

IX. *Imò probabile leges has non externè rogatas* (quarum ideò Moses non meminit) *sed ipsi menti insculptas esse*, v. Rom. II, 14. 15. Ps. XXVII, 8. Nequit enim mens vel ad seipsam reflectere aut alia creata intueri, quin hæc principia, Theoretica & Practica, in ipsa oriantur.

X. *Sunt adeòque leges naturales*, quæ absolutè necessariæ, dispensationem non admittunt, etiamnum durant.

XI. Pec-

XI. Peccatum quidem in causa, quod illæ ab hominibus solo rationis dictamine fruentibus in puritate sua non agnoscantur, doceantur & nunc non observentur, nam hi naturalia habent, quæ sibi & paucis utilia, carni grata sunt. Quum tamen hæc potius naturam, quæ omnium rationem habet, Creatoris maximè, turbent.

XII. Itaque Deus pro ingenti gratia sua lumini naturæ, cui nunc caro contradicit, & tenebras offundit, lumine Scripturæ succurrit, diserte præcipiens cognitionem & amorem Dei atque proximi, Deut. VI, 5. 6. Marc. XII, 29. 32. vocatque *primum magnumque præceptum*. Quod plenius in Decalogo ex legibus naturalibus, si circumstantiam temporis in IV. præcepto exceperis, tantùm constante continetur. Neque probabile videtur Deum alia officia olim, alia nunc, alia per naturam, alia per Scripturam poscere.

XIII. Præter has leges, quas naturales diximus, *Creator aliam arbitrariam homini primo tulit*, quæ à prioribus differt. Nam naturâ non patet, nonnisi in sapientis Numinis arbitrio fundata est, & ideò externa lege homini præscribenda.

XIV. Continetur autem verbis Gen. II, 17. *De Arbore Scientiæ boni & mali non comedes, quia, quo die comedes de ea, moriendo morieris.* Certa erat arbor aut arborum species, aspectu

aſpectu amœniſſima, quæ capiebat intuentium oculos, dicta עץ הדעת טוב ורע *Arbor ſcientiæ boni & mali*, quippe declaratura hominis vel in *bono* conſtantiam vel ejus ad *malum* aberrationem.

XV. *Sapientiſſima hæc Creatoris lex erat, ſtatui primi hominis conveniens.* Conſtituit enim Deus hominis obedientiam explorare. Hæc autem lege naturali (cujus obſervationem internum lumen pleniſſimè dictabat) explorari vix poterat. At poterat arbitrariâ, quâ Deus ad probandum ſuos utitur, vid. Gen. XXII, 2. Noverat Adam Creatori ſuo in omnibus parendum eſſe, ſed מחשבות *cogitationes multæ* variæ dictare poterant (uti dictarant) cibum hominem Deo non commendare, hunc cibum cum reliquis, qui comeduntur, ejusdem naturæ eſſe. Præterea hac lege docuit Deus ſe eſſe Dominum terræ, hominem nonniſi villicum, voluntatem Dei eſſe regulam actionum humanarum. Docuit inſuper vera bona haud eſſe terreſtria, adeoque appetitui frœnum non laxandum eſſe.

XVI. *Hanc poſteriorem ut & priores leges creatura ſapiens obedientiâ adimplendas ſuſcipere debebat, volebat.* Datæ quippe ſunt à Creatore, conſervatore, qui in creaturam plenum jus habet. Unde non legimus Deum ex homine quæſiviſſe, num velit obedire, ſed ei pro auctoritate ſua officium dictaſſe. Sunt quoque

quoque leges æquissimæ, nulla ratione rejiciendæ.

XVII. *Eædem obligabant non solum primum hominem, sed & alios ex lumbis ejus prognatos, si genus humanum in primigenio statu permansisset.* Quod naturales concernit, nulla est difficultas, & durant statu licet mutato. Nec videtur quoad arbitrariam. Eva, quæ, quantum ex ordine Gen. II. colligere licet, nondum existebat lege data, nihilominus ei subjecta erat. Dein ob quam sapientem rationem Adamo, ob eandem posteris danda, nam & horum obedientia exploranda fuisset.

XVIII. *Tenendum præprimis est Adamum cui datæ leges, non solum primum hominem, sed & caput, radicem reliquorum considerandum esse*, quemadmodum ex dicendis & probandis suo loco clarius constabit.

XIX. *Hæ verò leges præstandæ erant* (1.) *Omnes*, naturales, sive Deum sive proximum respiciant & arbitraria. (2.) *Omnibus viribus*. Deut. VI, 5. (3.) *Constanter*. Momentanea obedientia nulla habetur.

XX. *Si verò homo hac ratione leges servasset, à benigno Creatore & Legislatore promittere sibi potuisset majorem gratiam.* Certum enim est statum Adami, quamvis bonus exstiterit, longè meliorem & perfectiorem esse po-

potuisse. Erat ψυχικὸς, vita cibis sustentanda, terra colenda erat. Sapientia, prudentia consummata penes illum non erat, nec voluntas in bono confirmata.

XXI. At dices: Majus bonum obedienti promissum non est. Promissum fuisse Moses non quidem refert, sed forsan ex hac causa, quoniam illud nosse tantopere nostrâ non refert: Pœnæ itaque tantùm meminit, nam ejus notitia ad subsequentem Historiam necessaria. Vel concedamus Deum officia dictantem adimplenti nihil promisisse, adeoque obedientiam purissimam sine intuitu præmii, quod jure poterat, postulasse arbitramur, tamen perseveranti post aliquod tempus, uti Deo visum, dotibus naturalibus alias additas fuisse veluti majorem cognitionem, voluntatem in bono confirmatam, vitam sine cibis & labore in æternum mansuram, hinc perfectam tranquillitatem, lætitiam ex immutabilitate fluentem &c. Nam natura docet tantam esse Dei φιλανθρωπίαν ut genuinis cultoribus uno alterove bono laborantibus nova beneficia conferat. Idipsum Scriptura confirmat Hebr. XI, 6. Esa. XLV, 19. Gen. XV, 1. (quæ loca licet directè aliò pertineant, hic commodè applicari possunt.) Insuper certum est observanti legem Mosaicam vitam æternam promissam fuisse Matth. XIX, 16. 17. Si homini corrupto spes vitæ æternæ, quare non integro? Ne dicam de Paradiso, arbore

bore vitæ & Sabbatho, quæ ſpem vitæ æternæ excitabant, fovebant.

XXII. *Ne verò homo leges, ſpeciatim arbitrariam (quâ læſâ reliquæ quoque lædebantur) violaret, comminationem addidit Deus, quâ die comederis* ex arbore ſcientiæ boni & mali, *moriendo morieris*, Gen. II, 17. Gravis utique eſt, ſed pœna correſpondet crimini gravi, non ex fructu æſtimando, ſed ex æquiſſima voluntate Creatoris, Conſervatoris, Domini benigniſſimi, aliisque circumſtantiis, à creatura eaque tot beneficiis, in ſpecie affluentiâ fructuum donata, abſque ulla ratione turpiter violata.

XXIII. *Pœna generali* mortis *nomine exprimitur, generaliter itaque exponenda eſt.* Homo, qui conſtat ex corpore & anima, vivere dicitur, ſi quoad utramque partem valet, nullo dolore, malo premitur, ſi partes illæ conjunctæ ſunt, anima Deum cognoſcit, diligit, in illo lætatur: atque ita vixit Adamus. Quando igitur transgredienti comminatur mortem, intelligenda eſt privatio ejus, quod vitæ nomine venit, quam explicationem præter uſum vocis caput III. Geneſeos optimus Interpres hujus pœnæ confirmat, ut ſuo loco fuſiùs dicetur. Quando verò homo mente abalienatur à vita Dei, Deum non cognoſcit, non diligit, is æternùm miſer, nam nec poteſt nec vult Deo, & ejus gratia, in qua ſola feli-

citas consistit, frui. Unde patet, pœnam hanc comprehendere privationem vitæ jucundæ, naturalis, spiritualis & æternæ.

XXIV. *Pœna haec ea die, qua peccatum patratum, inferenda dicitur*, quod ita intelligendum. Mox peracto peccato homo mortis reus factus est, & unum alterumve, quod mortis nomine venit, Adamo inflictum, terror, ignorantia, fuga Dei, status corporis morbidus, quæ magis magisque ad alia sub generali mortis nomine comprehensa vi insita ducebant.

XXV. *Quando verò Deus Adamo transgredienti talem mortem comminatus est, constat voluisse, ut ea pœna implicarentur posteri.* Mortalis quippe non generat immortales. Voluit per consequens, ut Adamus, ex cujus sanguine omne genus humanum ortum trahit, omnes homines referret, ut, quod ipse fecit, illi, qui in lumbis ejus extiterunt, in eo idem feciſſe censerentur. Et quis Deum accusabit? Annon Creator de creatura sua ut figulus de luto disponere potest? Alia plura exempla tam supremi Regis quàm Regum terrestrium in historiis prostant, ubi Parentum delinquentium pœnæ in posteros quoque transierunt. Pollebat Adamus viribus officia sua præstandi, sed ipse eas lubens perdidit, & propriâ culpâ implicuit posteros, & ipsi, licet rectiora edocti sint, primum Parentem imitantur. Certum est, omnes vias Dei rectas esse & neminem

nem in judicio Deum injustitiæ cujusdam accusaturum.

XXVI. *Secundum dicta Deus hîc consideranaus est ut sapiens, absolutus sed simul benignus, justus, sanctus Legislator. Adamus verò ut creatura, viribus ad leges observandum instructa, ut caput sive typus futuri generis humani.* Hæc χίσις est propria, fundata in Scripturis, maximè sede hujus Materiæ Gen. I, II, III. in natura Dei & Creaturæ, non item fœderalis.

XXVII. *Tria alia, quae ad statum primi hominis pertinent*, quæque hominem ad leges has adimplendum, spem majoris boni habendum, excitabant, consideranda sunt, *Paradisus* scil., *Arbor vitae & Sabbathum.*

XXVIII. PARADISUS *hortus amœnissimus curâ Dei singulari ad ortum plantatus, fructuum & variarum & optimarum feracissimus, gemmis, auro & aquâ abundabat, in quem Adamus â Deo transpositus, ut illum sed sine molestia coleret, eximiam materiam de perfectionibus Dei cognoscendis, deprædicandis, officiis quoque suis haberet.*

XXIX. Præprimis Adam attenta jucundissimi viridarii pensitatione facta eximiam Creatoris sui benignitatem observabat, & hinc majorem sibi promittere poterat, si voluntatem ejus sanctè custodiverit, ut, quod in ipso adhuc imperfectum, tum auferendum, eique summa

felicitas substituenda sit. Adeoque spem melioris vitæ Adamo facere poterat, debebat.

XXX. Et hinc est, quòd cœlum, spirituum consummatorum longè felicissimum habitaculum tàm in sacris Luc. XXIII, 43. 2. Cor. XII, 4. quàm scriptis Judæorum *Paradisi*, *Edenis* nomine occurrat. Egregia quoque Paradisum inter & cœlum analogia est. Utriusque idem gratiosissimus Auctor: Iidem incolæ: Incolarum idem officium: Similia bona & voluptates, quas ex amœnissimo domicilio consequuntur, quamvis, quod omnibus præfigurationibus commune, bonum præfiguratum præfigurante præstantius.

XXXI. *Alterum est* ARBOR VITÆ: Unica arbor, vel potiùs una arborum species intra Paradisum, quæ ita nominabatur, erat. Dicitur *Arbor vitæ*, quia præstantibus frugibus suis vitam naturalem fulciebat, & simul vitam meliorem fruentibus efficaciter meditandam, more insignis gratiæ divinæ consueto, proponebat. Neque enim prior ratio sufficit, nam & fruges reliquarum arborum, quarum plures in horto erant, naturalem vitam alebant. Immortalitatis verò in homine producendæ causa nulli fructui sed soli potentiæ Numinis adscribenda est.

XXXII. Clara cum allusione ad Genes. II. Christus *arbor vitæ* Prov. III, 18. Apoc. II, 7. appellatur. Vult ergò Deus, ut fideles memores

mores hujus Historiæ in hac arbore symbolum Jesu Christi menti suæ sistant. Imò hic usus videtur etiam ante lapsum, quamvis alia ratione. Et rectè; nam Filius Dei semper vitæ nostræ naturalis, spiritualis, æternæ Auctor est.

XXXIII. *Tertium*, de quo dicere constituimus, est SABBATHUM, *quod vel Dei vel hominis.*

XXXIV. *Dei est, quo novas creaturas producere cessat.* Deus ingens & magni momenti opus faciendum certo tempore constituit. Quô nunc peractô operantis instar cessat, (conf. phrasin Exod. XXIII, 12.) opus intuetur ac in illo ceu voluntati suæ omni ex parte respondente lætatur. Quare etiam diem illum, quo cessavit (erat autem septimus) sanctificavit illique benedixit. Sive voluit ut ille distingueretur à reliquis, & opus creationis, cujus finis in hunc diem incidit, ad gloriam Creatoris pensitaretur. Clarissimum autem est hæc non ratione Dei sed creaturarum, maximè hominum ad imaginem Dei creatorum dici, unde surgit

XXXV. *Sabbathum hominis, quo is die septimo ab horto colendo desistere debebat, ut unicè cultui divino, speciatim operi Creationis maximo, sapientissimo, optimo considerando, ad glorificandum Deum vacaret.* Nam certum est, Adamo curam horti alioquin commissam fuisse, quæ verò hac die intermittenda.

Certum quoque tale Sabbatum & Deum & hominem integrum maximè decere. Nec aliter verba Gen. II, 2. exponi possunt, quum πρόλη-ψις locum non habeat. Etiam ratio, quæ ad Sabbathum celebrandum datur, Exod. XX, 11. generalis est, & hominem integrum æquè ac lapsum vel Israëlitam adstringit. Nec obstat, quòd Sabbathum Christum adumbraverit. Nam unum idemque ante & post lapsum obtinere potest, mutato aut potiùs aucto scopo.

XXXVI. Quando verò Adamus die septimo quiescebat atque unicè cultui divino intentus vitam agebat, collegit hinc gratius illud tempus Deo atque homini convenientius, quo misso labore terrestri id solum agit ut Deum glorificet, ejusque opera decantet, qua ratione ille ducebatur ad expetendum tale felicissimum tempus soli Deo sacrum.

CAPUT X.
De
PECCATO.

Σύνοψις.

Postquam primus homo legem Dei transgressus fuerat, peccatum in mundum introduxit. §. I.

Ad

Ad peccati hujus naturam plenius cognoscendum, tria notanda sunt. I. *Peccatum primum in se.* II. *Tristis effectus quoad Protoplastos.* III. *Tristis effectus ratione posterorum.* §. II.

Speciali pertractationi duo generalia præmittimus A. nomina scil. §. III.

B. Et naturam peccati in genere. §. IV.

Sequuntur nunc Peccati primi nomina, quæ ejus naturam & effectum docent. §. V.

Personæ, quæ ad id patrandum concurrerunt, tres sunt. §. VI.

Ex quibus prima Diabolus sub serpentis nomine. §. VII.

Et exuviis latens, ut fortius seducere queat. §. VIII.

Quare magna μετοδεία usus. §. IX.

Altera Eva, cujus peccatum in quinq; partibus ostenditur. §. X.

Tertia Adamus. §. XI.

Cui plurimùm transgressio in Sacris tribuitur, quamvis Eva primò peccaverit. §. XII.

Ostenditur natura & gravitas peccati. §. XIII.

Nec non modus, quo Protoplasti peccarunt. §. XIV.

Unde constat scelus propriè illis, non Satanæ, nulla ratione Deo adscribendum esse. §. XV.

Nec obstat quòd lapsus à Deo præcognitus & permissus fuerit. §. XVI.

Sequitur effectus primi peccati, quoad Protoplastos. §. XVII.

Estque mors, quæ vel in genere consideratur vel in specie. §. XVIII.

Generatim comprehendit privationem omnis veri boni ratione corporis vel animæ, vel corporis & animæ simul. §. XIX. XX.

Speciatim quoad Evam. §. XXI.

Quoad Adamum. XXII.

Unde gravior Evæ pœna quàm Adami colligitur. §. XXIII.

Tandem effectus primi peccati ratione posterorum. §. XXIV.

De quo sequenti modo discurrimus: Peccatum Protoplastorum non illis solis nocuit, sed etiam posteris. §. XXV.

Si verò his quoque nocuit, tum voluit Deus, ut transgressio Protoplastorum hæreditaria esset. §. XXVI.

Si verò hæreditaria, tum voluit Deus, ut, quod Adamus egit, egisse censeantur posteri, aut saltem ut hi unà patiantur.

Passio verò hæc non ob propria peccata infligitur sed Adami. §. XXVII.

Per consequens voluit Deus, ut peccatum Adami posteris ad condemnationem imputaretur. §. XXVIII.

Privarentur dotibus & felicitate, quæ homini integro erat, & subirent effectus tristes peccati primi in corpore & anima §. XXIX.

Ante

Ante quam durior hæc, ut quibusdam videtur, sententia probatur, præmittuntur theses, quæ eam emolliunt. §. XXX.

Postea variis argumentis adstruitur, tum peccatum imputatum §. XXXI.

Tum inhærens. XXXII.

Ex Scriptura. XXXIII. XXXIV.

Experientia. §. XXXV.

Ex his natura corruptionis patet, quâ homo destitutus imagine Dei nascitur. §. XXXVI.

Speciatim quis status animæ. §. XXXVII. XXXVIII.

Corporis docetur. §. XXXIX.

Probè tamen vitiositas naturâ inhærens ab acquisita distinguenda. §. XL.

Quæ naturâ inhæret, ea omnibus posteris Adami naturaliter ab eo descendentibus inest. §. XLI.

Fructus peccati primi etiam sunt peccata actualia, quorum nomina recensentur. §. XLII.

Suntque varia. §. XLIII. XLIV.

Ad majorem intelligentiam distribuuntur ratione objecti. §. XLV.

Et sunt vel omissionis, vel commissionis. §. XLVI.

Vel adversus Deum, vel adversus proximum. §. XLVII.

Dein ratione subjecti. Atque ita peccatum est vel cordis, vel corporis simul. XLVIII. XLIX.

Insuper ratione principii, vel causæ. Quomodo peccatum est vel ignoran-

tiæ, vel infirmitatis, vel malitiæ. L.

Præterea ratione substantiæ operis & circumstantiarum. §. LI.

Tandem ratione gradûs. Peccatum est vel grave vel gravius. §. LII.

Regnans aut non regnans. §. LIII.

Ultimò ratione effecti. Peccatum hac ratione est vel non ad mortem, vel ad mortem. §. LIV.

Huc pertinet peccatum in Spiritum sanctum §. LV.

Cujus natura & turpitudo ostenditur. §. LVI.

Hinc irremissibilitas. §. LVII.

Peccata, de quibus hactenus, Deus impunita dimittere nequit. §. LVIII. LIX.

Hinc nulla dantur peccata naturâ suâ venialia. LX.

Sed pro ratione sceleris inferuntur pœnæ graviores & minus graves. LXI.

Suntque vel hujus vitæ. §. LXII.

Quò pertinet liberum sive potius servum arbitrium hominis. §. LXIII.

Quod argumentis probatur. §. LXIV.

Vel alterius vitæ. §. LXV.

Pœnarum, quas fideles & infideles subeunt, convenientia & disconvenientia, ostenditur. §. LXVI.

Tandem rationes subnectuntur, quare etiam pii pœnis subjiciantur. LXVII.

§. I. *Legem*

§. I.

LEgem æquissimam & observatu facilem de non comedendo arboris scientiæ boni & mali fructu turpiter transgressus est primus homo.

II. Ut verò pleniorem & clariorem hujus cognitionem habeamus, tria generatim tractabimus. *I. Peccatum primum in se. II. Tristem effectum quoad Protoplastos. III. Tristem quoque effectum ratione posterorum.*

III. Antequam tamen ordine de tribus his partibus dicimus, pauca de nominibus peccati ejusque natura præponenda. (A) NOMINA varia in Sacris exstant, ut non una sub χάσει turpitudinem & agnoscamus & fugiamus. *Quædam generaliora: Specialiora alia: Quædam respiciunt naturam peccati in se*, uti חטאת ἁμαρτία, est quippe aberratio à scopo, qui Lex. Sic עון actio curva, quæ à rectitudine recedit, & ἀνομία, facinus legi contrarium עול *injustitia*, רשע *improbitas*, ἀδικία, παράβασις *transgressio*. *Quædam animum patrantis*, sicuti שגגה ἄγνοια, מעל *prævaricatio*, בגד *perfidia* animo sciente, plurimùm doloso, commissa. *Quædam Dominii excussionem*, פשע *defectio*, מרד & מרי *rebellio*. *Quædam denique reatum*, uti אשם *reatus*, חוב ὀφείλημα, *delictum*. *Quædam tandem effectum*, טומאה

טומאה *impuritas*, παράπλωμα *lapsus*, è dignitate filiorum Dei in mancipium satanæ.

IV. (B) NATURA vero peccati est ἀνομία, uti Johannes nervosè ait 1. Epist. III, 4. nam omni peccato τὸ νομικὸν rectum deest, etiamsi ex ignorantia, negligentia patratum. Sed & communiter inest oppositum curvum, actio à scopo aberrans. Ad naturam tamen peccati non requiritur, ut actio sit voluntaria, aut agatur cum proposito malum agendi vel suscipiatur ob malum finem. Hæc peccatum non constituunt, sed augent ejus gravitatem, quippe dantur delicta ignorantiæ.

V. His præmissis, quod attinet PECCATUM PRIMUM in se, notamus primò ejus nomina, qualia ἁμαρτία *peccatum*, παράβασις *transgressio*, παράπλωμα *lapsus*, quibus Adami & Evæ peccaminosa actio Rom. V. insignitur, & ejus natura atque effectus notatur.

VI. *Notamus dein Personas, quæ ad hoc peccatum concurrerunt, & quid ab iis præstitum, Diabolum, Evam, Adamum.*

VII. *Moses quidem expressis verbis non ait Diabolum ad hoc peccatum concurrisse, sed serpentis meminit. Attamen ex circumstantiis & collatione aliorum locorum, liquidum est, vel solum Diabolum adfuisse; vel minimum sub naturali serpente latuisse.* quod posterius præponendum videtur ob

Gen.

Gen. III, 1. 14. Licet prior explicandi ratio neutiquam absurda sit. vid. Cl. Vitringa in Apoc. XII, 9. Nam serpens hic loquebatur, ratiocinabatur, instabat, à Deo seducebat, quod in serpentem naturalem non quadrat 2. Nec pœna Gen. III, 15. dictata. Vel an inimicitia illa tanti momenti posita inter serpentem terrestrem & semen mulieris? conf. Rom. XVI: 20. 3. Alibi Protoplastorum seductor apertè Diabolus dicitur, Joh. VIII, 44. Apoc. XII, 9. XX, 2. 4. Unde in vetustis Judæorum scriptis נחש הקדמני *serpens antiquus* (hinc phrasin suam mutuatus est Johannes l. c.) & quod idem est, *draco* dicitur. *Conf. Bochart: l. III. c. XIV. f. in Hieroz.*

VIII. *Diabolus itaque seducturus sub serpentis exuviis latere voluit, arbitrans vim seducendi sibi majorem fore.* Serpens præ alia bestia placuit, animal enim naturâ astutum, Gen. III, 1. Matth. X, 16. Ps. LVIII, 7. venenatum, ad facinus callidum, adhibendum ipsi videbatur.

IX. *Magna autem μεθοδεία in seductione usus est.* 1. Adortus est Evam quæ non ipsa ex ore Dei interdictum audivit. 2. Non tentavit ad violationem legis naturalis, sed positivæ, adversus quam exceptiones formari possunt. 3. Imposuit sensibus externis, oculis, auribus, gustui, appetitui naturali, quæ communes

munes feneſtræ, per quas peccata in homines tranſeunt. 4. Propoſita, ut videtur, benignitate Dei, creaturæ quoque bonitate, Evam perſuaſam reddere conatur de præcepto non intellecto. אף כי *quanto minus Deus dixit, non comedetis de omni arbore horti* Gen. III, 1. 5. Tum Evæ mortem maximè timenti metum excutit, *non moriemini.* 6. Imò promittit bonum optimum, & quod ſibi à Deo benigno promittere poterant, *aperientur oculi veſtri & eritis ſicut Deus, cognoſcentes bonum & malum.* 7. In hunc finem abuſus videtur arboris *ſcientiæ boni & mali* nomine, ac ſi ob effectum nomen ſortita. 8. Tandem audacter Deum teſtem provocat, *Deus novit,* ac ſi nihil, de quo mala ſuſpicio ſuboriri potuiſſet, proferret. Deum teſtem voco me vera dicere, Noli ſuſpicari. Quæ abundè impuri ſpiritus fraudem & ſeducendi vim docent, & nos cautos facere debent.

X. Hæ ſeductoris circa primum peccatum partes, ſeductorum autem ſequentes ſunt. Et *Evæ* quidem. (1.) Adſtabat arbori interdictæ, Gen. III, 6. (2.) Auſcultabat voci ſeductoris, nec ſimpliciter credebat præcepto divino ſibi cognito. (3.) חשבנות *ratiocinationibus* variis ſtudio indulgebat, quales ob circumſtantias fuiſſe videntur; Benignus Creator reliquos fructus, cum quibus hic ejusdem naturæ, homini dedit; fructus ad comedendum bonus,

bonus, oculis gratus, comparatione scientiæ insignis (ex nomine seducta putabat) minimè adeò tristem effectum relinquet; Similitudo Dei summum ipsi videbatur bonum. Ex his tandem cupiditatibus plena concludebat, verba Dei à marito haud intellecta esse. (4.) In his cunctis illuminationem & conservationem gratiæ à Deo non petiit. (5.) Sed juxta cogitata & concupiscentias cordis, & oculorum tandem fructum decerpsit comeditque.

XI. *Adamus* verò ab Eva simili modo seducebatur, 1. Tim. II, 14. non à Satana immediatè: Accedit quòd post comestionem uxorem vivam conspexerit, unde tantò magis legem in dubium vocavit.

XII. *Peccatum hoc licet primùm ab Eva patratum sit, tamen Adamo subinde adscribitur, ac si is primus peccasset, & ita peccato alios involvisset*, Rom. V, 12. 1. Cor. XV, 22. Ratio est (1.) Quia tum consummatum. (2.) Adamus typus μέλλοντος *futuri* erat; qualis ille, tales futuri posteri esse debebant. (3.) Dein ipsi in faciem interdictum ferebatur, non Evæ.

XIII. Ex dictis facilè patet in hoc actu concurrisse dubitationem de verbo Dei, infidelitatem, pravam similitudinis divinæ affectationem, concupiscentiam oculorum & carnis. *Gravissimum* adeoque *fuit peccatum*, quod vili

vili fructui Deum, spiritui mendaci veracem postponebat. Et tantò gravius, quò major non peccandi facilitas & obligatio erat. *Non tamen elata manu, & deliberato animo adversus Deum committebatur*, quippe Satanæ seductione ortum. v. 2. Cor. XI, 3.

XIV. Quomodo autem homo imagine Dei præditus labi potuerit, nosse adeò non necessarium. Tristis pro-dolor! experientia satis superq; factum probat. Cæterum sciendum, quod Deus hominem non immutabiliter sapientem sanctumq; condiderit, atque hoc necessarium, quandoquidem eum explorare constituit. Adamus itaque à rectitudine concreata tentationibus satanæ succumbens lubens declinavit.

XV. *Peccatum primum adeòque propriè Protoplastis, quod Scriptura facit, adscribendum, non Satanæ, non Arbori, multò minus Deo.* Deus quippe interdictum tulit, idque comminatione sancivit: Impertitus quoque vires illud observandi, easque adversus Satanam tuitus fuisset, modò id homo decenter petiisset. Beneficia plurima in hominem contulit, quæ vim habere debuissent eum in obedientia continendi. Tandem, lege violata, pœnam in inobedientes dictavit, exequiturque. Hinc quando à Mose aliisque Scriptoribus facinus memoratur, culpa in hominem transfunditur, utpote is minimè coactus prævio judicio liber-

liberrimè peccavit, nec examinatus de ulla coactione queri poterat, Gen. III, 12. 13.

XVI. At dices; præcognitus & prædeterminatus erat Protoplastorum lapsus. R. Ita quidem, sed hi decreta adimplere non cogitabant, ea ignorabant, noverant legem, ad quam illis vivendum. Nec decreta homines cogunt. Instas: Attamen Deus hominem mutabilem condidit? Resp. Condidit quidem mutabilem, hoc est, qui mutari poterat, non qui naturâ suâ mutandus. Hic autem status bonus, & necessarius, si homo explorandus. Pergis: Permisit tamen lapsum? Resp. Permisit: Indicavit quoque se permissurum in lege, *noli comedere*: Hominis officium itaque erat, sibi à transgressione cavere, & auxilium numinis implorare. Permiserit licet, non effecit, non suasit, non probavit. Permisit tandem, quoniam viam noverat, quâ hominem, libertatem, sapientiam, justitiam, misericordiam demonstrando, juvaret. Cæterùm haud negamus, hanc quoque Numinis providentiam βάθη *profunditates* suas habere admirandas potiùs, quàm scrutandas.

XVII. II. Alterum, quod tractandum sumsimus, agit de EFFECTU PRIMI PECCATI QUOAD PROTOPLASTOS. *Is est Adami & Evæ mors.* Requirit eam veracitas, sanctitas, Justitia, eminentia divina, peccatum atrox.

XVIII. *Mors Protoplastorum spectari potest vel in genere vel in specie* quoad Evam aut Adamum.

XIX. *Generatim comprehendit privationem omnis veri boni ratione corporis vel animæ, vel utriusque partis simul.* Ex his quippe homo constat; quia autem mors homini dictata, in illo ejusq; partibus essentialibus ea ritè ostenditur. *Ratione corporis*: Hoc propter peccatum usum membrorum ad gloriam Dei non sistit; Variam peccandi, illicita concupiscendi materiam occasionemque præbet; spiritui resistit; morbis denique affligitur. *Ratione animæ*; Intellectus obscuratus, voluntas à Deo aversa, sui & creaturarum summus amor, odium, fuga Dei, terror, &c. *Ratione corporis & animæ.* Partes benignitate Creatoris conjunctæ vi peccati tandem solvuntur, 1. Cor. XV, 56.

XX. Hanc explicationem probant sequentia. *Primo* in opposito vita Protoplastorum consistebat. Dein homo, si non peccasset, nunquam mala memorata sibi contraxisset, adeóque mala hæc peccati effectus. At effectus & pœna mors audiunt. *Ultimo* clarissimè constat ex Gen. cap. III. certissimo vocabuli *mortis* interprete, nam mox recensetur talis corporis, animæ, totius hominis conditio, qualem jam jam dedimus.

XXI. *Speciatim quoad Evam.* Hæc ob peccatum

catum damnabatur (1.) Ad doloroſam geſtationem. (2.) Ad doloroſum quoque partum. (3.) Ad ſubjectionem duriorem marito, quem ſeduxerat. Gen. III, 16. Hæc alioquin Evæ perferenda non fuiſſent.

XXII. *Quoad Adamum.* Terram maledictam multo cum ſudore & dolore colere, ſibi ſuisque vitæ neceſſaria quærere debebat. Hæc pœna communis videtur utrique ſexui, potiùs tamen maſculino, qui naturâ magis ad culturam terræ factus & deſtinatus eſt.

XXIII. Ex his conſtat gravius judicium Evæ inflictum fuiſſe, nam & gravius promerebatur, quæ primò ſe ſeduci paſſa eſt & ſeducta maritum quoque ſeduxit.

XXIV. III. Tertiò conſiderandus venit EFFECTUS PRIMI PECCATI RATIONE POSTERORUM. Hunc rectè intelligere in re Theologica plurimùm refert. De eo ſequenti modo diſſerimus.

XXV. *Peccatum Protoplaſtorum vel illis ſolis nocuit vel poſteris quoque.* Prius dici non poteſt. Alioquin poſteri imagine Dei, ſapientia, ſanctitate, pleno membrorum uſu ad gloriam Dei prædiți, Paradiſi incolæ in lucem edendi eſſent, fruerenturque omnibus commodis, quæ in integrum hominem collata. At nobiſcum imò & primis Protoplaſtorum liberis rem aliter ſe habere & habuiſſe triſtis experientia & Hiſtoria abundè probat. Ergo peccatum

quod Adamus & Eva patrarunt, posteris quoque nocuit.

XXVI. *Si verò nocuit posteris, tum voluit Deus ut transgressio Protoplastorum hæreditaria esset*, sive, quod idem, illis infelicibus infelices quoque essent liberi. Neque enim dici potest hæc Deo non ordinante contigisse.

XXVII. *Ex hoc nunc porrò sequitur Adamum, volente Deo, posteros suos retulisse, ut, quod ipse egit, egisse censeantur posteri, aut saltem, quod ipse patitur, patiantur quoque ex eo nati. Quando verò hi cum Adamo patiuntur, patiuntur vel ob propria peccata, vel peccatum Adamicum, vel absque intuitu ad peccatum aliquod.* Illud quidem certum est, unumquemque ob proprias malas actiones à Deo judicari, sed & certum est mala Gen. III. perpeti etiam illos, qui actu nondum peccarunt. Passiones verò nemini unquam infliguntur, aut bona adimuntur, nisi ob genuinam rationem, quæ peccatum aliquod. E. patiuntur propter peccatum Adami.

XXVIII. *Si verò patiuntur propter peccatum Adami, tum vel quoniam id unà patrarunt, vel quoniam consenserunt, vel nunc consentiunt, vel quoniam voluit Deus ut posteris ad condemnationem imputaretur.* Duo priora dici nequeunt. Nec tertium, quandoquidem omnes, qui rationis usu pollent, illud improbant,

bant & qui non pollent, consentire nequeunt. Valet ergò ultimum.

XXIX. *His nunc præmissis affirmamus, Deum Protoplastis legem comminatione sancitam dedisse, ut eâ violatâ ipsi primò quidem punirentur, sed & reatu illo implicarentur omnes naturales posteri, tum privarentur dotibus & felicitate, quæ homini integro erat, tum subirent effectus tristes peccati primi in corpore & anima.*

XXX. Antequàm verò sententiam hanc pluribus probatam damus, consultum nobis videtur nonnulla, quæ primo intuitu duriorem emolliunt, præponere. 1. Effectum peccati primi in posteris non omnem notitiam Dei, veri, honesti extinxisse. 2. Sed reliquias illas tales esse ut Deum, officia erga eum & proximum exhibenda, cognoscere valeant. 3. Insuper Deum reliquias illas variè per beneficia, opera naturæ, institutionem sapientum, maximè ratione eorum, qui in Ecclesia externa vivunt, per verbum suum excitasse, auxisse. 4. Præterea homines in universali judicio maximè judicari propter propriam legum sive cordi tantùm inscriptarum sive insuper externo sanctorum hominum Ministerio inculcatarum transgressionem, atque intendi pœnas prout quis magis vel minus obediens exstitit, majori vel minori luce veritatis & officiorum faciundorum collustratus erat. 5. Tandem omnes, etiam infantes,

mori, quoniam peccatum Adami illis ad condemnationem juxta liberrimum beneplacitum Dei imputatum & infantes, qui non sanguinis Christi participes redduntur, etiam non participes reddi ingentis felicitatis conferendæ in Christi peculium. Quis verò illorum status futurus sit, nescimus: Certò talis, qui Deum, Creatorem decet, non ut eorum, qui vel Evangelio aut dictamini naturæ inobedientes exstiterunt. Occulta, nec revelata, non curiosè scrutamur.

XXXI. Nunc sententiam probandam imus. Probabimus autem per partes, quarum duas constituemus. Ex his prima est: *Deum Adamo tanquàm publicæ personæ, quæ retulit omnes posteros, legem dedisse, ut illo peccante peccatum ad condemnationem etiam imputaretur omnibus posteris atque hoc absque læsione perfectionum suarum, speciatim justitiæ.* In Scholis vocant PECCATUM IMPUTATUM. *Primò* exemplis non humanis tantùm (quæ plurima prostant & etiam legibus probata sunt) sed & divinis constat, pœnas peccatorum à Parentibus, Principibus patratorum, simul liberis aut subditis innocentibus inflictas fuisse, vel etiam aliquo respectu his tantùm, nam liberi ob facinus Parentum honore Deut. XXIII, 3. præclaris mediis vitam æternam consequendi Gen. IX, 25. ipsa vita Gen. XIX. Num. XVI, 32. Jos. VII, 24. 2. Sam. XXI, 9. Deut. XX, 16. ali-

16. aliquando privantur; Subditi quoque ob malefacta superiorum vel terrestribus judiciis Gen.XX,17.18. vel ipsa morte Exod.XI.1.Reg. XXI, 21. 23. afficiuntur. In his judiciis Deus justè egit vel non? Ultimum nemo nisi extremæ impietatis homo asseret. Si verò justè egit, patet Deum illæsa justitia sua peccata Parentum etiam filiis ad condemnationem horum & per consequens etiam peccatum primum Adami posteris ad condemnationem imputare potuisse. Neque enim solida diversitatis ratio dari potest. Accedit *secundò* quod ob semel sapientissimè constitutam naturam hominis ejusmodi imputatio tantùm non necessaria: Scil. statuit Deus ut Adamus esset radix, semen, unde omnes posteri oriundi. Jam cujus naturæ semen, radix, ejus fructus, arbor. Quoniam autem Adamus per peccatum peccator constitutus est, constituti quoque sunt omnes posteri, & malum ex radice ad truncum, arborem, ramos ascendit. Aliàs sapientissimus Creator alium hominem creare debuisset, ex quo genus humanum ortum traheret. *Quis enim dabit mundum ex immundo.* Quo non indigebat, quandoquidem novit alium modum juvandi miseros Adami posteros ut non habeant, quod justè querantur de hac liberrima ordinatione. *Tertio* hoc ipsum vult comparatio, quam Paulus inter Adamum & Christum instituit 1.Cor.XV, 22. Ille refert fideles, quibus justitia ad justifi-

cationem imputatur E. hic posteros, quibus peccatum εἰς κατάκριμα est. *Quartò* ex Rom. V, 12-20. ubi sedes hujus Materiæ est, clarè constat sive ad scopum Apostoli, sive verba ejus respiciamus. Scopus est illustrare doctrinam imputationis justitiæ Jesu Christi perceptu difficilem exemplo imputationis peccati primi hominis. Minimè autem illustraffet Paulus docens nos mori nonnisi propter nostra peccata, nam inde sequeretur nos vivere propter nostra opera, quod prorsus adversatur scopo. Dein verba ritè intellecta haud unum pondus suppeditant. (a) *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita mors omnes homines pertransiit.* E. Adami peccatum non tantùm personale, nam aliàs considerandum nonnnisi ut in Adamo, non in mundo: Mors quoque nonnisi peccantis, non omnium hominum. At ais: Mortis causa quoad reliquos homines peccato proprio adscribitur, verbis, *quia omnes peccarunt.* Missa varia vocularum ἐφ' ᾧ significatione respondeo hanc interpretationem scopo Apostoli, quem modo indicavimus, directè adversari, adeòque obtinere non posse. Quo modo ergo verba accipienda sunt? Puto Paulum optimum verborum difficilium interpretem esse, ut id ipsum notent, quod inferius v. 15. *Unius lapsu multi mortui sunt.* v. 18. *Unius lapsus ad omnes homines ad condemnationem.*

Et

Etv. 17. *Unius hominis inobedientiâ multi peccatores constituti sunt.* Adeóque ἁμαρτάνειν v. 12. est *peccatorem judicari & condemnari.* conf. 1. Reg. I, 21. (b) Antequam ἀπόδοσις respondens προτάσει, quæ commate 12, redditur, Apostolus operæ pretium duxit inserere, quæ imputationem peccati magis confirmant, & ab objectionibus liberant, itaque ait: *Nam usque ad legem peccatum in mundo,* quo aliàs tempore homines sine lege etiam sine peccato extitisse videntur. Unde objectionem format, *sed* (sic particula δὲ Jac. II, 6.) *peccatum non imputatur lege non existente?* Quomodo ergo tu dicis, peccatum ante legem fuisse. respondet v. 11. ἀλλὰ *imò* (v. Matth. XI, 9.) *regnavit mors ab Adamo ad Mosen etiam super illos, qui non peccarunt.* E. Sequitur peccatum Adami illis ad condemnationem imputatum fuisse, neque aliàs illis moriundum. Sed quare mors regnavit in hos? Explicati rationem reddit ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι *propter similitudinem transgressionis Adami, qui typus futuri.* Typus notat formam *in quam id transfunditur, quod liquefactum est, vid. Suic. Lex. p.* 1340. Unde ἔκτυπον quod expressum & ὁμοίωμα similem formam cum typo habet, qualis apud Dionysium ὁμοιοτύπῳ *simili forma expressa* dicitur. Sic ordinatione divina Adam erat τύπος τοῦ μέλλοντος ut qualis ille, tales *futuri* homines. At is παραβάτης, ἁμαρτωλὸς, Ergo &

hi; hinc regnavit mors in eos *propter similitudinem transgressionis Adami.* conf. Luc. I, 29. Act. II, 19. (c) Ex quo nunc ostendit peccatum Adami etiam posteris ad mortem imputari, per modum interrogationis fortissimè affirmat. *Sed annon sicut cum lapsu ita cum dono?* Multò magis; *Si enim unius lapsu multi mortui sunt, quantò magis &c.* Quibus verbis clarè unius lapsui multorum mors attribuitur, non verò eorum mors proprio peccato adscribitur. (d) Hoc ipsum v. 16. 17. 18. 19. confirmatur. *Quintò* denique observandum pœnam Protoplastis ob primum peccatum inflictam Gen. III. manere omnes posteros. Destituti sunt imagine Dei. Variis ærumnis uterque sexus expositus est. Omnes, etiam infantes recens nati, moriuntur. Unde hoc? An simpliciter imitationi adscribendum? Non. Nam & pœnam subeunt, qui non imitantur, vel imitari possunt. Dein illa ipsa proclivitas imitandi malos in homine integro non erat, quæ nunc in nobis est. Quare autem in nobis & quæ ejus origo? Licet dicas à proximis parentibus propagari, assurgendum tandem erit ad Protoplastos, dicendumque nos pœnarum participes reddi, quoniam primum peccatum posteris ad condemnationem imputatur.

XXXII. *Sequitur altera, quæ ex priori fluit, carentiam scil. imaginis divinæ, corruptionem facultatum mentis & corporis naturali*

rali generatione in omnes posteros propagari. Quod aliàs PECCATUM INHÆRENS vocant. Quia enim liberrimè ordinavit Deus, ut Adamus esset typus generis humani, qualis ille, tales etiam posteri essent, fit quoque ut omnes naturales posteri sine vera sapientia & sancta voluntate in tenebris & inclinatione ad malum in mundum edantur, quod ex testimoniis Scripturæ, ex Sacramentis, ex experientia denique probabimus.

XXXIII. I. *Ex testimoniis Scripturæ.* ℵ. Joh. III, 6. *Quod ex carne natum est, caro est.* Caro h. l. opponitur spiritui, excludit à regno cœli, deponenda est omni homini cœlum intraturo. E. notatur vitiositas. At caro est omnis homo naturâ tùm ob Joh. I, 13. tùm quia modo ante dicitur v. 5. omni homini regenerationem necessariam esse. Aliàs certis tantùm regeneratio necessaria. ב. Jobus miserlam hominis ploraturus hoc ipsum proponit, *Quis dabit mundum ex immundo?* Job. XIV, 4. At ais, hic locus agit de immunditie physica, quæ omnium infirmitatum ac morborum causa est. Sed quo argumento? Annon *purum, impurum* de morali dicitur. Ps. LI, 12. Esa. XXXV, 8.? An Jobus immunditiem physicam tantopere deplorat? Et quomodo illa sine morali? Si verò cum morali conjuncta, quare malum longè minus intelligendum est? Et quod proximè antecedit *Tu me trahis in*

iudi-

judicium. An ob physicam immunditiem? 2. Ephes. II, 3. *Eramus φύσει naturâ filii iræ, quemadmodum & reliqui*. Extollitur ingens Dei gratia, quâ *naturâ filios iræ* misericordia in Christo Jesu complexa est. Tales autem sunt omnes adeoque omnes peccatores naturâ. At φύσει filii iræ idem ac revera filii iræ? Plus indicat phrasis, v. Gal. II, 15. 7. Quod omnibus commune ex citatis locis, de seipso David speciatim ait: *Ecce in perversitate editus sum, & in peccato calefecit me mater mea*. Ps. LI, 7. Non ergò personale quid & proprium de se pronuntiat, & ita culpam in Parentes suos transfert. Nam, ut vidimus, omnis homo naturâ *immundus est*, & aliud omne agit pœnitens David, quam ut culpam in Parentes suos transferret. Potius se peccatorem ab utero confitetur, uti omnes natura sunt.

XXXIV. II. *Ex Sacramentis*, & quidem sacrificiis & circumcisione: Mater sacrificium hilasticum pro filio aut filia offerre tenetur, Luc. XII, 6. Pontifex die expiationis pro toto Israële, infantibus non exclusis, sacrificium piaculare Deo sacrum facit Lev. XVI, 5. Filius, qui actuale peccatum non commisit, octava die circumcidendus, E. naturâ liberi corrupti, spiritualiter præputiati sunt, & expiatione, circumcisione spirituali per sanguinem Christi indigent.

XXXV. *Ex experientia*. Omnes homines cor-

corrupti sunt, Ps. XIV, 2. 3. Unde hoc? Universalis corruptionis alia causa quàm originalis, perversitas assignari nequit. At aliàs unus alterve planè incorruptus ostendi posset. Imò ipsi infantes corruptionis testes sunt evidentissimi. Subinde mox post nativitatem moriuntur. At nemo moritur, qui purus, imagine Dei præditus. Qui vitam producunt, tardi ad cognoscendum verum, spirituale, proclives ad libidines, superbiam, mendacia, &c. si vel maximè diligentissimâ curâ hæc præcaventur. Quamvis& hoc ultrò concedamus imprudentiâ, stultitiâ Parentum aut quorum curæ traduntur, minorennes ad hoc illudve procliviores reddi. Latet tamen naturâ in illis infelix semen.

XXXVI. Unde nunc, quæ natura hujus corruptionis sit, cognoscitur. Κατ' ἄρσιν: Homo destitutus est imagine Dei, cum qua Adam creatus. In quo autem hæc imago collocanda, vide quæ dicta c. VI. §. LV. Hinc nunc homo imaginem Dei naturâ non fert Ephes. IV, 24. & gloriâ Dei destitutus, Rom. III, 23, Κατὰ θέσιν. Gestat imaginem Adami peccatoris, Gen. V, 3. 1. Cor. XV, 49. (quæ imagini Dei è diametro oppositа l. cit.) nam Adamus in filios per generationem propagat, quod ipse habet, non quod non habet. Hæc vero imago totum hominem inficit, perdit, sicut imago Dei etiam totum hominem perficit & exornat. Constat autem

autem homo ex anima & corpore. Ergò in utraque parte imago peccatoris cernenda.

XXXVII. Et quod animam concernit, illa non est pars animæ patris vel matris vel utriusque, (Spiritus quippe partes non habet,) sed lege naturæ existere incipit, quam primum fœtui in utero materno conjungenda. Deus autem, cujus est illa naturalis lex, non simpliciter ut Creator considerandus, sed & ut Judex & qui statuit talem corpori adjungere animam, quæ statui, in quo homo, conveniens. Voluit enim, ut Adamus esset typus posterorum, adeòque quum ille peccator, ὁμοιώμα παραβάσεως etiam in posteris esse debet. Neque Deus injustitiæ accusandus? Statuit enim ut fructus semini responderet: Semen autem bonum conditum erat. Quum verò hominis culpa malum, fructus bonus haud esse valet. Nec adeò Deus cogi potest, ut contra legem naturalem agat.

XXXVIII. Anima, quæ corpori jungitur, habet quidem principia intellectus & voluntatis, sed valdè tenuia & imperfecta. Facultatis percipiendi, judicandi, ratiocinandi vestigia ab initio vix cernuntur, successu temporis ex variis causis innatis & adventitiis nonnisi circa mundana vana occupata est, & pluribus erroribus obnoxia. In spiritualibus nihil percipit, nihil verè dijudicat, non ratiocinia Deo digna ducit, v. 1. Cor. I. & II. ut horum respectu intellectus meræ tenebræ. Qualis verò intellectus,

lectus, talis voluntas. Quando ille obtenebratus in Spiritualibus, nullus amor veri boni, potiùs fuga, odium, detestatio. Ex adverso, voluntas, concupiscentia fertur in vana, mundana. Affectus itidem inordinati esse debent, voluntate & intellectu sic se habente, quæ cuncta quotidianis exemplis non dicam adultiorum sed minorennium ductum naturæ simpliciter sequentium patent.

XXXIX. Quod attinet corpus, infirmum & rerum necessariarum summè indigens, hac in parte deterioris sortis, quàm plurium animaliũ. Et quoniam ab anima ita, ut diximus, comparata rectè regi nequit, hinc fit, ut animam subinde regat, terrestria concupiscendi occasionem præbeat. Oculi, aures, reliqui sensus concupiscentiis carnis materiam suppeditant: Sistit quoque membra sua injustitiæ, quorum ope mala patrantur, ut non uno titulo *corpus peccati sit.* Valet hic illud Matth. VI, 23. *Si igitur lux, quæ in te tenebræ, quantæ tenebræ erunt.*

XL. Verum quidem, quod vitiositas in adultioribus non simpliciter peccatum inhærens per generationem propagatum dici queat, sed & proprio studio contra dictamen conscientiæ & leges acquisita. Attamen ex allatis id sequitur, hominem naturâ carnem, non spiritum, impurum prognasci. Ex hoc venenato fonte venenata aqua majori vel minori copia profluit,

prout

prout peccator legibus magis vel minùs se duci patitur.

XLI. Omnes, qui juxta leges naturæ ordinarias in lucem eduntur, hujus originariæ corruptionis participes sunt. 1. Nam omnium eadem ratio. Adamus typus omnium fuit. Rom. V, 14. 2. *Quis dabit mundum ex immundo?* Job. XIV, 4. cf. Joh. III, 6. 3. Peccatorum, affectuum vestigia in omnibus cernuntur. 4. Omnes quoque moriuntur. Per consequens neque infantes excipi possunt, neque etiam Virgo Maria, quæ seipsam includit, Luc. I, 47. cf. Matth. I, 21. Nonnisi Salvator Jesus Christus, qui solus à peccatoribus separatus, Hebr. VII, 26. est & ideò non ex voluntate viri, carnis, concipiendus, sed virtute Spiritus S. ut fœtus esset perfectè sanctus, Joh. I, 13. Luc. I, 35.

XLII. Hactenus diximus, quomodo posteri Adami patre peccante peccatores constituti sint & carnales in lucem edantur. Nunc dicemus, quomodo homines sibi relicti in carne ambulent, nam uti arbor mala malos fructus profert, ita malus indies deterior fit, non obstantibus legibus internis vel simul externis, quas ille contemnit & conculcat. Hæ actiones communiter PECCATA ACTUALIA: In Sacris verò notanter *via peccatoris* Psal. I, 1. *carnales concupiscentiæ* 1. Petr. II, 2. *Opera carnis* Gal. V, 19. πράξεις τῦ σώμαλ@ *actiones*

cor-

corporis Rom. VIII, 13. πράξεις τ̃ παλαιᾶ ἀνθρώπ *actiones veteris hominis* Col. III, 9. *Opera tenebrarum* Eph. V, 11. vel *mortua* Hebr. VI, 1. μιάσμα τ̃ κόσμ *inquinamenta mundi* 2. Pet. II, 20. &c. vocantur. Quæ nomina declarant impurum fontem, instrumentum, studium, fœditatem, effectum peccatorum, maximè respiciunt originariam corruptionem (quæ hinc *caro*, *vetus homo*, *tenebræ* &c.) quam peccatores alunt, fovent, excitant, augent.

XLIII. Peccatorum horum numerus est innumerus, non solùm ratione irregenitorum, qui maris turbidi instar impura nonnisi evomunt, sed & ratione bonorum, quemadmodum ex exemplis omni ævo & Scripturæ testimoniis constat Ps. XIX, 13. Jac. III, 2. Prov. XXIV, 16. maximo tamen discrimine, quod verò alibi tradendum.

XLIV. Commodè tamen *peccata* ad naturam eorum meliùs cognoscendum, prudentiùs fugiendum in suas classes dispescuntur; scil. *ratione objecti*, *subjecti*, *principii sive causæ*, *substantiæ & circumstantiarum*, *gradûs*, *effectorum*. Quæ tamen ita minimè accipienda sunt ac si peccatum, quod ad hanc classem refertur, ob certum respectum & qui prævalet, alio respectu ad aliam classem referri nequeat. Imò sæpiùs fit, ut peccatum ad plures classes rectè referatur.

XLV. *Ratione objecti. Consideratur objectum vel reale vel personale: Illud Lex; Hoc persona*, adversus quam peccatum committitur.

XLVI. *Lex vel præscribit officia semper agenda, si occasio ad manus est, vel certas actiones simpliciter prohibet*, Unde legis præcepta in affirmativa & negativa dividuntur, & *peccata* quæ adversus illam legem patrantur, *omissionis*, Matth. III, 10. quæ adversus hanc, *commissionis* dicuntur. Qui agenda omittit, vel directè vel saltem indirectè actionem legi contrariam committit. Qui omittenda committit, negligit officium debitum, adeoque in omissione est commissio, & in commissione est omissio.

XLVII. *Persona est vel Deus, vel creatura.* Omne quidem peccatum adversus Deum, quatenus νομοθέτης; Sed dantur peccata, quæ ita adversus Deum, ut creaturam vel prorsus non lædant, vel saltem non ex intentione. Creatura est vel proximus, vel ipse patrans, vel ratione destituta. Adversus hanc peccamus officia debita non exhibendo, eâ abutendo, damnum, injuriam inferendo.

XLVIII. *Ratione subjecti*, quo crimen committitur, est vel cor solùm, vel corpus simul. *Peccata cordis*, quæ prava cogitatione Matth. XV, 19. aut vitiosa cupiditate committuntur, ut in præcepto decimo *non con-*

concupiſces. cf. Matth. V, 19. Non omnis quidem concupiſcentia prava eſt, nam datur vel naturalis vel ſpiritualis, quæ utraque bona eſt, attamen non ſolùm vitioſa illa, quæ proponit data occaſione exequi id, quod deſiderat, aut etiam, quæ in rem illicitam, turpem cum delectatione, mora fertur, ſed & imperfecta, quæ ſponte in homine oritur & carnem titillat, cujus objectum malum. Eſt quippe fructus peccati in nobis habitantis: Locum non habuiſſet in ſtatu integro, nec habitura in cœlo. Cupiditas aliò inclinat, quàm ex lege debet. Nec juvat eſſe materiam exercendæ virtutis, nam talis non eſt naturâ ſuâ, ſed gratiâ Spiritus ſanctificantis, quomodo ſubinde ipſum peccatum etiam eſt. Naturâ ſuâ potius eſt materia peccati conſummandi. Verum tamen, quod gradu minus ſit & à Deo condonetur, ſi quis ritè veniam implorat: & tum facit ad emendationem ſui. *Peccata corporis ſimul*, quæ per corpus veluti *os*, *manum* &c. patrantur Eph. IV, 29. Eph. V, 3. 4. Matth. XV, 19. Voco autem *peccata cordis & corporis ſimul*, nam corpore ſolo peccatum proprie ſic dictum non committitur, quod vel ex homicidio involuntario clariſſimè conſtat. Peccatum ejusdem generis ſemper gravius quod cordis & corporis ſimul, quàm cordis tantùm, non item peccatum alius generis.

XLIX. Huc referri poteſt diſtinctio *peccati*

in & extra corpus, quam Paulus 1. Cor. VI, 18. adhibet. Illud graviſſimum, quoniam corpus, habitaculum Spiritus S. & Spiritu cum Chriſto conjungendum ſit domicilium Diaboli & unum cum ſcorto.

L. *Ratione principii vel cauſæ.* Principium ſive cauſa eſt *vel ignorantia, vel infirmitas, vel malitia. Illo modo*, ſi quis actum vetitum committit, quem talem ignorat. 1. Tim. I, 13. Sed variat prout ignorantia varia. Nam hæc eſt vel invincibilis, vel vincibilis. Peccatum ignorantiæ invincibilis excuſat contrà agentem, non vincibilis. *Iſto modo*, ſi quis ſubitaneo ſenſu, paſſione judicium antevertente ad malum agendum rapitur. *Infirmitatis* nomen habet, quoniam ſpiritualis, corroboratus Chriſtianus non permittit ut affectus præcurrat mentem. v. Gal. VI, 1. Ad hanc ſpeciem tamen haud referendum eſt eorum, qui quidem vehementer abripiuntur, ſed talem animum ſemper fovent, alunt. *Hoc modo*; Si quis animo deliberato facinus, quod malum eſſe probè novit, explendæ cupiditatis gratiâ nihilominus patrat. Scriptura appellat peccare *elata manu, voluntariè, protervè agere* Num. XV; 30. Hebr. X, 26. Deut. XVIII, 20. Ad hanc claſſem referri poteſt *peccatum contra conſcientiam*, ſive ejus prorſus nulla ratio habeatur, ſive ad tempus, ita tamen ut crimen tandem contra rationis dictamen peragatur; vel *non contra*

con-

conscientiam, quando actus lege damnatus non cognoscitur.

LI. *Ratione substantiæ operis, & circumstantiarum. Peccatum ratione substantiæ*, quando tota actio vitiosa, sed *ratione circumstantiarum*, quando actio in se considerata bona quidem, sed deficit ob circumstantiam. Exemplum habes, Matth. VI, 1.

LII. *Ratione gradûs. Peccatum vel grave vel gravius.* (Nam nullum leve ad periculum animarum dicendum) Neque enim peccata æqualia sunt, quod constat ex Matth. VII, 3. Ezech. V, 6. Joh. XIX, 11. *Differentia petenda tum ratione personæ*, adversus quam peccatur, quæ vel Deus, vel homo, & hic vel Judex, vel pater, vel pauper &c. *Tum ratione causæ*; gravius est peccatum, quod ex malitia quam infirmitate ortum habet. *Tum ratione actûs ipsius*, quo vel adulterium, vel scortatio &c. patratur. *Tum ratione circumstantiarum*, loci, temporis, beneficiorum & similium.

LIII. Huc quoque pertinet distinctio *peccati regnantis & non regnantis. Illud*, quod longo tempore & usu hominem captivum tenet, eumque quavis occasione ad peccandum fortiter compellit, Rom. VI, 12. *Hoc*, quod ex subitanea inanimadvertentia, vehementi passione, patratum, mox tamen à patrante improbatur, serió deploratur & obex ponitur tali

inanimadvertentiæ aut passioni, Rom. VII, 15. &c.

LIV. *Ratione effecti.* Est scil. *peccatum vel non ad mortem vel ad mortem.* 1. Joh. V, 16, 17. Omne quidem peccatum, si Deus juxta rigorem justitiæ nobiscum ageret, mortem promeretur (de quo vero paulò inferius.) Sed datur, quod ob meritum Jesu Christi, accedente pœnitentia, remittitur. Sed & datur, quod ob defectum expiationis & pœnitentiæ ad mortem æternam imputatur, uti omnium infidelium peccata sunt. Præterea specialiori sensu sumitur, quod ob naturam suam tam grave, ut illud æterna morte punire peremtoriè decreverit Deus.

LV. Ex hac specie est *peccatum* vel significantius *blasphemia in Spiritum sanctum.* Matth. XII, 31. 32. Non enim omne peccatum, quod aliqua ratione adversus Spiritum S., ad hanc speciem pertinet. Sed est *abnegatio veritatis Evangelicæ clarè cognitæ totalis, nec non ejusdem oppugnatio, non ex infirmitate humana sed ex singulari malitia profecta, pœnitentiæ & veniæ omnis expers.* Paulus vocat, *Sibi ipsis crucifigere filium Dei, eum publica ignominia afficere,* Hebr. VI, 6. *Filium Dei conculcare, sanguinem Testamenti profanum ducere & Spiritum gratiæ convitiari.* X, 29.

LVI. Consistit autem peccatum juxta loca citata in sequentibus. 1. Qui illud patrant, illi

illi non rudes sed docti, de veritate, quam oppugnant, à Spiritu S. & operibus clarissimis informati, convicti. Marc. III, 22. Hebr. VI, 4.5. X, 26. 2. Veritas dein non quævis sed sanctissima, in oculis Dei pretiosissima, profundâ veneratione plena, uti *immediata Dei operatio, sanguis filii Dei, Spiritus S.* 3. Negatio harum veritatum non simplex sed conjuncta cum invidia, odio, contemtu, malitia, eum in finem ut mediante ejusmodi oppugnatione salva sit authoritas, honos, commodum, quod videre est ex l. cit.

LVII. *Hocce verò peccatum veniæ expers* traditur Matth. XII, 31. 32. Hebr. VI, 6. X, 29. Nam qui illud committit, *ad pœnitentiam revocari nequit.* At sine pœnitentia nulla venia. Quod insuper ex eo patet; Qui salutem adipisci vult, necesse ut Salvatorem agnoscat, media quoque, quæ ad eum ducunt, ritè adhibeat. At talis Salvatorem agnitum negat, contemnit, ignominia afficit. Media sive extraordinaria uti miracula, sive ordinaria, & ea vel externa uti verbum bonum de salute, vel interna, uti Spiritus S., negligit non tantùm sed ut operationes Beelzebul flagitiosè traducit, convitiatur.

LVIII. Hæc docent, quam variè peccatores leges supremi Domini sui, justissimas, sanctissimas transgrediantur. In posterum quoque dicendum, quomodo Deus se erga hos gerat,

an perinde ei sit, num creatura obediat vel non, an malam actionem impunitam dimittat vel non?

LIX. *Minimè impunitam dimittit, sed punit.* 1. Postulat id ὑπεροχὴ: Peccator eam negat, & actu ad Creatorem dicit: *Ego legi tuæ non obedio & mihi vivo.* 2. Postulat Sanctitas Dei, quæ peccatum detestatur, & hinc peccatorem à communione sui separat Jes. LIX, 23. Postulat justitia & veritas. Maledictum enim pronuntiavit, qui unum ex præceptis non stabiliverit Deut. XXVII, 26. 4. Quemadmodum peccatis gloria Dei offuscatur, deprimitur, ita pœnarum inflictione manifestatur, exaltatur Num. XIV, 21. Jes. V, 16. quum verò Deus gloriæ suæ studiosissimus Exod. XX, 5. sit, peccata non impunita dimittet. Nam cum silet, peccatori similis videtur Ps. L, 21. 22. 5. Rom. I, 32. Qui *talia (contra legem) faciunt, digni sunt morte*, nam hoc est δικαίωμα θεῦ adeò verum, ut illud ne quidem gentiles lateat. 6. Elucet ex missione Jesu Christi. Quod si enim peccata impunita dimitti possent, an putandum Patrem Filium suum unigenitum morti maledictæ tradidisse? Neutiquam.

LX. *Nulla adeòque dantur peccata naturâ suâ venialia.* Nam (1.) in quolibet peccato est transgressio voluntatis divinæ, cujus intuitu si vel obolus tantùm furto ablatus, peccatum graviſſimum. (2.) Dein Lex omni transgressioni

sioni maledictionem comminatur. Deuter. XXVII, 26. (3.) Qui in uno impingit, reus fit omnium Jac. II, 10. (4.) Ira, convitium, imò *verbum otiosum*, (non solùm blasphemum,) quæ homines leves levia peccata habent, in judicio ultimo damnabitur Matth. V, 21.22. XII, 36. 37.

LXI. *Pœnas itaque ob peccata infert justissimum Numen & quidem tales, quæ peccatis respondent, graviores ob graviora, minus graves ob minus gravia delicta.* (*a*) Postulat id justitia Dei, quæ creaturas suas pariter tractat. (*b*) Constat ex locis Scripturæ, Luc. XII, 47. 48. Matth. V, 22. XI, 22.

LXII. *Pœnæ illæ vel hujus vel alterius vitæ. Hujus vitæ.* Conscientiæ accusatio, Rom. II, 15. Angor Ps. VI. XXXVIII. Subtractio vel occultatio gratiæ divinæ illuminantis, justificantis, lætificantis, ob turpem donorum abusum, si non perpetuò 1 Sam. XVI, 14. Saltem ad tempus Ps. LI, 10-15. Præterea variæ ærumnæ externæ in corpore, familia, bonis fortunæ vid. Deut. XXVIII. Exemplum clarissimum in Davide prostat. Tandem mors, quæ ratione infantum simpliciter quidem arcessenda à peccato Adami Rom. V, 14. Sed ratione adultiorum simul à propriis peccatis, maximè in casibus extraordinariis Luc. XIII, 1.

LXIII. Huc præprimis pertinet LIBERUM (quod certa ratione potius *servum* Rom. VI,

20. Joh. VIII, 34. 2. Petr. II, 19.) ARBITRIUM, *per quod homo peccator circa bonum naturale & morale externum aliquid, circa spirituale verò nihil potest, sed tantùm fertur ad malum: utrumquè tamen prævio mentis cæcæ judicio liberè & sine coactione vult & agit.*

LXIV. Quod nunc omnis homo *caro* nascitur id originariò à peccato communis omnium nostrûm Parentis Adami est. Quando verò homo luce, quæ adhuc reliqua est, abutitur, tum ille indies ex justo judicio Dei magis carnalis & totale mancipium peccati evadit (1.) Quando enim homo peccat, tum conscientia dictat factum malum esse. Quando verò homo peccare pergit, nec ad lumen hoc attendit, illud sensim diminuitur, tandem extinguitur, intellectus obtenebratur, ut malum haud malum habeat, Eph. IV, 18. Joh. XVI, 2. (2.) Servitus miserrima peccati inducitur, nam actus sæpiùs iteratus majorem propensionem, voluptatem, consuetudinem inveteratam conciliat, hinc, quod Æthiopi cutis & pardo maculæ, huic malitia est, Jer. XIII, 23. (3.) Traditur à Deo in concupiscentiis cordis ad impuritatem Rom. I, 24. Unde (4.) *mortuus in peccatis.* Eph. II, 1. 2. Coloss. II, 13. In quo nullus motus sive operatio in bono spirituali intelligendo, vel volendo, vel faciundo 1. Cor. II, 14. Rom. VIII, 7. Joh. XV, 5. 2. Cor. III, 5.

Matth.

Matth. VII, 18. Motus (5.) verò & operatio fortissima. Eph. II, 1. 2. 3. in peccato, quod dominium suum in hominem exercet ad exequendum impia mandata Rom. VI, 16, 17. (6.) Unde omnes, qui verum bonum facere volunt, vivificatione, resurrectione, creatione, novo, carneo corde indigent Eph. II, 5, 6, 10. Ezech. XXXVI, 26. 27. quæ argumento sunt, homines ex se ad bonum impotentes esse, requiri verò ad hunc finem summam Dei ob mortem Jesu Christi potentiam Eph. I, 19.

LXV. *Pœnæ alterius vitæ.* Quas recensuimus, illæ divinæ justitiæ non satisfaciunt, plures communes sunt Ezech. XXI, 3. Imò subinde intensiores illis, qui ex infirmitate, inanimadvertentia, saltem non manu elata peccant, major cordis eorum angor, majora bonorum damna. Unde constat fore aliud judicium, quo unusquisque reportabit, prout egit: In hac vita Deus punit, ut peccatores doceat, moneat de evitando finali judicio, in quo demum propriè ἀνταπόδοσις futura 2. Cor. V, 10. Hæc in æternum privabit illos bono, quo hactenus fruebantur, infliget insuper dolores intensos vel intensiores quoad corpus, animam, prout gravia vel graviora erant facinora. Plenius de his pœnis, si de ultimo judicio dicendum erit.

LXVI. *Quod attinet pœnas, quas fideles in his terris ferunt, eæ cum infidelium con-*

veniunt & non conveniunt. A. *Conveniunt in ortu*: Pœna nulla absque præcedente peccato. *Infligente*: qui utrobique Deus. *Passione*: quæ gravis est & amara. B. *Disconveniunt in animo infligentis.* Pœnæ, quæ infliguntur fidelibus, proficiscuntur ex corde Patris, serió improbantis aberrationes filiorum, sed simul ex amore quærentis eorum emendationem, Hebr. XII, 1. 6. At infidelibus infliguntur in ira Rom. I, 18. *Dein modo.* Mitis, paternus, humanus, tolerabilis ille est 2. Sam. VII, 14. 1. Cor. X, 13. quo tractantur filii; Quo infideles, ille graviſſimus, consumens, intolerabilis Hebr. X, 27. 31. XII, 29. *Præterea scopo.* Deus quando impios punit, in illorum pœnis justitiæ suæ satisfacit, & gloriam læsam exaltat. At hoc pro fidelibus abunde præstitit Christus Joh. XVII, 1. Rom. III, 25. Aliud ergó Deus visitans intendit, de quo jam. *Tandem in duratione.* Pœnæ fidelium si diu durant, sunt τῶ νῦν καιρῶ, Rom. VIII, 18. & convertuntur in *æternum pondus gloriæ* 2. Cor. IV, 17. At impiorum ignis non extinguitur Marc. IX, 44. Illæ communiter *pœnæ analogicæ*, hæ *propriæ* dicuntur.

LXVII. Mirum videri posset, quare Deus etiam in filios suos animadvertat, quum tamen pro eorum peccatis ipse Salvator passus fuerit. At graviſſimas rationes Deus habet. 1. Docet enim hac ratione se sanctiſſimum esse, ut aberrationes ne quidem in filiis perferre queat. 2. Hinc

Hinc docentur filii prudenter vivere & Patrem cœlestem in actionibus suis imitandum sibi proponere. 3. Caro, quæ in iis residua, sæpiùs spiritui resistit, estque castigationibus Dei humilianda, debilitanda, crucifigenda, mortificanda. Ps. CXIX, 67. 2. Cor. IV, 16. 4. Castigationes ignis instar, qui scoriam ab auro separat: Producunt eximias virtutes, patientiam, experientiam, spem, quæ aliàs laterent, 1. Petr. I, 6. 7. Jac. I, 3. Rom. V, 3-6. Hebr. XII, 11. 5. Redargutio, castigatio est דרך חיים *via vitæ* spiritualis, æternæ, Prov. VI, 23. calcanda itaque ab iis, quibus vita destinata.

CAPUT XI.
De
CONSILIO GRATIÆ.

Σύνοψις.

Homo per peccatum in summam miseriam prolapsus est. §. I.

Deus verò constituit eum ex ea liberare. §. II.

Salvis tamen virtutibus suis. §. III.

Adeoque non absque satisfactione justitiæ per peccatum læsæ. §. IV.

Per

Per consequens maledictio Legis prius tollenda, & δικαίωμα adimplendum erat. §. V.

Hoc præstari non poterat ab homine peccatore. §. VI.

Itaque alius aliquis pro homine spondere debebat. §. VII.

Et quidem, qui quoque homo, sed sanctus, quique simul Deus. §. VIII.

Quam personam rectissimè sumsit filius Dei. §. IX.

Qui cum Patre & Spiritu S. de salvatione consilium pacis iniit. §. X. XI.

In quo totum genus humanum corruptum obversabatur. Quibusdam ingens gratia destinata. §. XII.

Aliis minor, eò tamen pertingens ut Deum & officia præstanda cognoscere valeant. §. XIII.

Quique in ultimo judicio juxta eam judicandi sunt. §. XIV.

Sed de prioribus consilium pacis concluſit Triunus Deus. XV.

Et Pater quidem cum Filio pactum iniit. §. XVI.

In quo stipulatus est perfectam obedientiam usque ad mortem. §. XVII.

Et vicissim promisit assistentiam, acceptationem vicariæ solutionis, glorificationem sui atq; peculium. §. XVIII.

Filius verò stipulationi Paternæ astipulatus est. §. XIX.

Unde Sponsor, Mediator, Sacerdos, Victima audit. §. XX.

Jus dein stipulatione præ-

præstita restipulandi habet. §. XXI.

Electos à Patre, redemtos à Filio sanctificat Spiritus S. §. XXII.

Pertinent autem ad hoc gratiæ consilium quidam tantùm. §. XXIII.

Qui semen Christi, quos itaque hæredes suos nominavit. §. XXIV. XXV.

Unde sequitur negotium salutis fœderis χάριν habere rationem Patris & Filii sed ratione nostrûm Testamenti. XXVI.

Solvuntur objectiones. §. XXVII. XXVIII.

Tandem notatur convenientia & disconvenientia status hominis sub lege operum & sub gratia. §. XXIX.

§. I.

PEr *peccatum, de quo ante, homo miser constitutus est.* Imago Dei, quæ in eo, obliterata, impotentia ad bonum attracta, spes felicitatis excisa est. *Nihilominus legi subjectus obedientiam debet*, nam peccatum jus Creatoris haud imminuit & peccator creatura manet. Subditus, qui peccat, delicto à jugo Principis minimè eximitur. *Unde fit, ut absque spe boni miseriam suam tantum augeat.*

II. *Noluit tamen Deus hominem, quem creavit, perdere*, ceu quod fini creationis adversatur, & contrarium clarissimè ex experien-

tia

tia constat. *Aliam itaque viam perducendi eum ad felicitatem inire debebat.*

III. *Hæc autem via salvas & illæsas tenere debet perfectiones Dei, maximè veracitatem, justitiam, sanctitatem.* Deus quippe seipsum non abnegat vel permittit ut splendor virtutum imminuatur.

IV. *Per consequens hominem in gratiam & spem boni absque satisfactione non recipit.*

V. *Hæc autem satisfactio postulat ut peccatum juxta comminationem puniatur, atque legi obedientia præstetur.*

VI. *Hoc verò homo peccator suis viribus, ut Deus glorificetur, neque pro se, multò minus pro aliis* Ps. XLIX, 8. *praestare valet.*

VII. *Quare necessarium ut alius aliquis pro homine spondeat*, & reddat Deo, quod homo injustè rapuit. Unde præstitâ vicariâ obedientiâ Deo jus restitutum, amicè conversandi cum peccatore reconciliato, illumque bonis suis mactandi.

VIII. *Is verò, qui spondet pro homine, oportet sit* (a) *Ejusdem naturae*, ut hoc vinculo cum genere humano conjunctus ejus גאל redemtor existere queat, Hebr. II, 10-17. Gal. IV, 4. 5. (b) *Insuper sanctus, justus.* Quomodo aliàs nos sanctificare posset? Unde sequitur, Sponsorem, licèt carnis & sanguinis particeps esse debeat, non tamen via ordinaria

ex

ex voluntate carnis & viri in lucem edendum, sed extraordinaria, ut fœtus sanctus esset. (c) *Præterea viribus polleat ad id omne præstandum, quod ad reconciliationem peccatorum necesse.* Maledictionem enim Dei ob peccata innumera perferre, superare, justitiam perfectam acquirere, eamque ad sanctificationem impurorum applicare supra vires meræ creaturæ est.

IX. *Juxta allata constat, quàm rectè imò necessariò ad salutem hominum recuperandam postuletur* Θεάνθρωπος. Quam personam commodè sumit secunda in Trinitate sive Filius Dei, nam ut per illum homines imagine Dei prædíti creati sunt, ita per eundem ad eam imaginem renovantur, sicuti suo loco de his fusiùs dicendum erit.

X. Præmissis his pleniùs de Consilio Dei ratione salutis nostræ dicemus. Nihil est in rerum natura, quod non ab æterno, ut fieret, constitutum. Etiam *gravissimum hoc redemtionis opus, non casu vel in tempore evenit, sed ante tempora secularia in Consilio Dei definitum.*

XI. *Consilium autem hoc non captum cum ipso peccatore*, nam hic nondum erat, *sed solus Deus, Pater, Filius & Spiritus S. Consilium restitutionis formabat*, ut prius creationis Gen. I, 26. Nulla persona excludi potest, quum

omnium eadem voluntas & concurrant in opere redemtionis.

XII. *Consultanti Deo genus humanum ut per peccatum deperditum occurrebat*, una eademque massa, non melior, non pejor hic præ illo. *Tum Deus libertatem suam edocturus statuit quibusdam majorem, aliis minorem gratiam dare.* Et quum illa tantò major gratia, imo κατ' ἐξοχὴν gratia, illi, qui minori utuntur, ut sibi relicti in Scriptura proponuntur, Act. XIV, 16. 17.

XIII. *Quibus minor gratia destinata, illis minimùm lumen cognitionis Dei & perfectionum divinarum, nec non officiorum erga Creatorem, proximum & seipsum exhibendorum concessum*, Rom. I, 19. 20. II, 14, 15, Alioquin ab iis obedientia haud exspectari posset. Quibusdam insuper lumen clarius in Lege & Evangelio fulgens datum.

XIV. *Prout verò hâc gratia data utentur vel abutentur, ita eos judicandos esse statuit Deus.* Rom. I, 28. II, 12. Quò majus lumen, major occasio, fortiora argumenta cultûs erga Deum testandi data erant, tantò gravius judicium subsequetur, Matth. XI, 22.

XV. *Quod autem attinet Electos juxta §. XII. eos multâ gratiâ & misericordiâ complexus est Triunus Deus* & verè *consilium pacis* de iis iniit.

XVI. *Et*

XVI. *Et Pater quidem in Sacris proponitur ut eos tenerrimè diligens*, Joh. III, 16. misericordiâ complectens, Ephes. II, 4. *Quoniam verò absque læsione aliarum perfectionum peccatoribus hanc gratiam facere & iis uniri haud poterat, ideò cum Filio* PACTUM sive FOEDUS iniit, Luc. XXII, 29. quod vocatur *voluntas*, Matth. XXVI, 42. eaque *placida*, Ps. XL, 9. Item *Præceptum Patris*, Joh. *X*, 18. Hinc Filius toties *Servus* dicitur, & Pater *Dominus* Jesu Christi, quæ pactum aliquod præsupponunt, nam aliàs naturâ Filius *verus Deus*, non servus est. Patet insuper ex partibus fœderis, stipulatione, promissione, astipulatione, restipulatione, quæ de hoc consilio prædicantur. Hæ verò partes fœdus constituunt.

XVII. ℵ. *Stipulatio Patris.* Pater à Filio stipulatus est, ut occultata ad tempus gloria divina formam hominis & quidem servi assumeret, Joh. XVII, 5. Philipp. II, 7. 8. eamque præstaret obedientiam, quam ii, quos tanto amore complexus est, præstare debuissent, atque morte maledicta commeritam eorum maledictionem auferret, Philipp. l. cit. Joh. X, 18. XVII, 4. quo sic gloria sua in judicio exaltaretur, Joh. XVII, 1.

XVIII. ב. *Promissio ejusdem.* Quoniam servitus hæc contemtissima, prorsus spontanea, Pater Filio eam subeunti promittit. (*a*) Fortem

assistentiam adversus omnes adversitates, Diabolum, mortem, Es. XLII, 1. XLI, 13. Psal. LXXXIX, 20. 27. (*b*) Acceptationem vicariæ solutionis, propter quam ii, pro quibus solutio facta est, liberi habendi, Joh. XVII, 19. (*c*) Glorificationem, qua opere commisso præstito gloria æterna modo clarissimo demonstratur Joh. XVII, 4. 5. Ipse ceu θεάνθρωπος super omnia evehatur, Philipp. II, 9-12. Eph. I, 20-f. cum plena potestate ordinandi in Ecclesia, quod sibi videtur. Matth. XXVIII, 18. (*d*) Peculium Es. LIII, 10. ex Judæis & Gentibus Ps. II, 8. Es. XLIX, 6. 7. 8. quod ipsi Pater ex mundo dedit Joh. XVII, 6.

XIX. 3. *Astipulatio Filii.* Quandoquidem eadem Patris & Filii voluntas, hic ad postulatum Patris non poterat non astipulari, suscepit itaque libentissimè servitium in forma humana Ps. XL, 7. 8. 9. ad expiandum peccata liberandorum l. c. morte sua Joh. X, 11. 15. ut Pater glorificetur. Joh. XVII, 1.

XX. Ab hac astipulatione varia nomina sumit Filius. (α) *Sponsoris.* Nam spondet reddere id, quod à nobis raptum, quod alii nemini licitum Jer. XXX, 21. (β) *Mediatoris.* Medium enim se sistit inter Creditorem & Debitorem illi loco hujus sufficiens lytrum solvendo, 1. Tim. II, 5. 6. (γ) *Sacerdotis & victimæ.* Hebr. VII, 26. 27. Joh. I, 29.

XXI. 4. *Restipulatio ejusdem* quâ bonum pro-

promissum restipulatur. Restipulatur scil. (a) Assistentiam Joh. XI, 41. 42. maximè in hora tenebrarum Matth. XXVII, 46. (b) Acceptationem vicariæ obedientiæ, Joh. XVII, passim. Ps. XVI, 9. (c) Glorificationem sui, ceu qui conditionibus præscriptis satisfecit Joh. XVII, 4. (d) Semen pro labore suo Jes. XLIX, 4-8. pro quo gratiam Patris vi mortis suæ implorat Joh. XVII, 9. 11. 17.

XXII. *Quos Pater elegit, & Filio redimendos, eosdem Spiritui S. sanctificandos*, 1. Petr. I, 2. 2. Thess. II, 13. Eph. I, 4. *dedit*. Nondum enim ad communionem Electorum cum Deo sufficiebat redemtio. Iidem sanctificandi erant à Spiritu S. Unde sanctificatio in Sacris proponitur tanquam quæ ex morte Christi immediatè profluit. Spiritus S. dicitur *Spiritus Filii*, Gal. IV, 6. ceu qui jus habet conditione sua præstita rogandi à Patre Spiritum S. eumque mittendi ad redemtos Joh. XIV, 16. 17. 26. XVI, 13. XVII, 17.

XXIII. *Ad illos, de quibus Pater, Filius, & Spiritus S. hoc ingentis gratiæ consilium iniit, non omnes & singuli homines pertinent, sed certi quidam.* Rationes (1.) Pater quosdam, non omnes, non mundum Filio dedit, Joh. XVII, 6. (2.) Quos Pater Filio dedit, illi omnes vitam hæreditant, nemo perit l. c. v. 2. 12. At plurimi eâ excidunt. (3.) Filius quoq; pro certis tantum spospondit, se obtulit, Joh.

XVII, 19. X, 15.28.29. (4.) Pro quibus spospondit seque obtulit, pro iisdem rogat Patrem. At rogat pro quibusdam Joh. XVII. *passim* exclusis aliis v. 9. (5.) Ad quos pertinet gratia hæc ingens, ad illos etiam gratiæ hujus præconium pertinet, nam nemo gratiæ particeps redditur, nisi qui illam fide recipit, fide autem recipere nequit, nisi de illa audiverit. At volente Deo gratia in Christo Jesu innumeris nunquam annuntiata. Non Gentibus sub V. T. Act. XIV, 16. Non Samaritanis Salvatore inter nos existente Matth. X, 5. Non Judæis & Gentilibus in plurimis locis sub N. T. Imò aliquando Spiritus S. in certis locis Jesum annunciare vetuit, Act. XVI, 6.7. Conf. quæ cap. V. *de Electione particulari* scripsimus.

XXIV. *Vi pacti, quod Patri cum Filio intercesserit, electi sunt semen hujus*, Es. LIII, 10. *Et quemadmodum naturalis Pater jus habet disponendi de hæreditate sua inter hæredes, ita Salvator.* Luc. XXII, 29. Tum verò Testamentum validum, est quando testator mortem obiit, Gal. III, 15. Sic hæreditas in morte Christi hæredibus rata reddita Hebr. IX, 15-18. Matth. XXVI, 28. Hebr. XIII, 20.

XXV. *Hæreditatem hanc constituunt, & vita æterna*, 1. Petr. I, 4. Matth. XXV, 34. *& reliqua bona morte Jesu Christi parta*, quæ viam ad salutem consequendam faciunt 1. Cor. I, 30. Tit. III, 5-8. Act. II, 33.

XXVI.

XXVI. *Ex dictis sequitur negotium salutis fœderis χίσιν habere, quatenus Patrem & Filium spectat: Quatenus verò nos, sumit χίσιν Testamenti*, quo hæreditas sanguine fœderis æterni acquisita ad nos transit. Unde fidelium ratione vita æterna ut donum, mera gratia, absque ulla conditione in Sacris proponitur. Hoc ipsum jam olim observarunt Cloppenburgius Op. T. I. p. 509. & Witsius *Oecon. fœd.* lib. III. cap. 1.

XXVII. At dices: Deus ab æterno cum electis fœdus iniit, ut præstitâ resipiscentiâ, fide, sanctitate vitam haberent. Resp. (1.) Fœdus, quod his conditionibus cum electis ab æterno initum, nullibi traditur. (2.) Electi tum nondum erant, nondum ergò fœdus cum illis contrahi poterat. (3.) Hæc non sunt in viribus peccatoris nec ergò promittere valet. (4.) Salus hac ratione non esset ex gratia sed ex opere, & hinc debita. Ea tamen ratione, qua cum Christo ut capite nostro, bono & loco nostro, initum, etiam nostrum dici potest, & si fide Christo inserti sumus, jus habemus bona fœderis rogandi.

XXVIII. At instas: Resipiscentia, fides, studium sanctitatis toties tanquam salutis consequendæ conditiones necessariæ citantur. Ita est. Attamen non proponuntur ut conditiones viribus nostris præstandæ, verùm potenti gratia Dei ob meritum mortis Christi in nobis produ-

cendæ Eph. II, 8. 9. 10. I, 17. 18. 19. quæ itaque ex consilio gratiæ & ex Testamento profluunt. Christus enim, ut ex supra dictis patet, morte sua electis Spiritum S. promeritus est, quem in eorum corda ad illuminandum, sanctificandum mittit. Hinc ubi purè absque schemate legali de officiis nostris secundùm Testamentum æternum sermo est, omne Deo attribuitur, Ezech. XXXVI, 25-28. Jer. XXXI, 33. 34. Esa. LIX, 21.

XXIX. *Ex dictis elucet convenientia aut & disconvenientia statûs hominis sub lege operum & sub consilio gratiæ. Illa.* Eadem est utrobique causa vitæ, scil. δικαίωμα τ νόμυ: Idem quoque bonum vitæ cœlestis in communione cum Deo. *Hæc. Ibi* duæ partes Creator & Creatura integra. *Hic* Deus summè misericors, sanctus tamen, & Mediator. *Ibi* Creator legem fert Creaturæ integræ. *Hic* præceptum dat Mediatori. *Ibi* vita ex propria justitia. *Hic* ex aliena, fide tamen à peccatore apprehensa. *Ibi* Legislator monstratam dabat ὑπεροχὴν, sanctitatem, bonitatem. Hic insuper multivariam sapientiam in medio reconciliationis invento, absolutam libertatem, summam charitatem & misericordiam, intemeratam denique justitiam.

CAPUT

CAPUT XII.

De

OECONOMIA CONSILII GRATIÆ IN GENERE.

Σύνοψις.

Consilium Gratiæ ab æterno captum in tempore manifestat Deus. §. I.

Manifestat autem duobus diversis modis. Quorum unus sic se habet ac si salus unicè gratiâ & virtute Dei produceretur: Alter verò, ac si homo ad salutem non aliter pervenire posset ac præstitâ conditione. §. II.

Cujus rationes dantur. §. III.

Præterea ratione promulgationis tenendum, quod quoad substantiam eadem semper, varia autem quoad circumstantias. §. IV.

Prior probatur ex auctore, medio salutis, iisdem bonis sub V. & N. Testamento, eadem justificatione, sacramentis deniq; idem bonum obsignantibus. §. V.

Posterior itidem confirmatur. §. VI.

Adduntur que rationes. §. VII.

Maxima differentia est in promulgatione consilii gratiæ sub Veteri & sub N. Testamento. §. VIII.

Quamvis etiam modus promulgationis nonnihil alius ante Mosen, alius sub Mose & post eum §. IX.

Ab utroque diversissimus ille sub N. T. §. X.

Modo promulgationis externæ additur operatio divina interna. §. XI.

§. I.

QUod nunc ab æterno de salute peccatoris consultatum, id suo tempore promulgandum exequendumque, nam hic consilii scopus & finis erat.

II. Sapienter ordinavit Deus, ut promulgatio gratiæ non una ratione institueretur. Modò illa simpliciter & ut purè ex Testamento gratiæ fluit, prout eam Spiritus Dei in nobis productus est, proponitur veluti Gen. III, 15. *Ego inimicitiam ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen ejus. Hoc conteret caput tuum, tu verò conteres calcaneum ejus.* cf. Ezech. XXXVI, 26-28. &c. Modò verò cum conditione, qua præstita demum boni promissi participes reddendi sumus, Joh. III, 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*, cf. Rom. X, 9.

III. Hæc verò varia promulgandi ratio sapien-

sapientissimas rationes habet. Monstrat quippe indissolubilem nexum officii & beneficii, ducit dein fideles ad abnegationem propriæ justitiæ ut causæ vitæ, docet insuper modum, resipiscentiam, fidem, conditiones ad vitam necessarias ex gratia Dei consequendi, fundat denique fiduciam & consolationem vitam certò adipiscendi. Et quum mali bonis permixti vivunt, edocentur & ii, quæ sit salutis consequendi ratio, quam quum negligunt, contemnunt, seipsos justo judicio Dei tradunt.

IV. Præterea ratione promulgationis tenendum, quòd eadem semper quoad substantiam, sed quòd diversa sit quoad circumstantias. Sive; omni tempore annuntiatum est salutem peccatori in semine mulieris paratam esse, in eum conferendam qui promissioni fidem habet & integro corde coram Deo ambulat. Sed placuit Deo peccatores diversa ratione ad hanc salutem quærendam ducere.

V. Prius quod attinet, ex iis, quæ sequuntur, patet. Nam (1.) Sub omni œconomia consilii gratiæ semen mulieris salutis Auctor prædicabatur; Ante Mosen, Gen. III, 15. Sub Mose, Joh. V, 39. In diebus Messiæ Act. IV, 12. Unde Paulus Hebr. XIII, 8. *Jesus Christus heri, hodiè, idem & in secula.* In quem fideles, mutato licèt tempore, constanter crediderunt, monens ideò Hebræos ut & illi in doctrina constantes sint. Et Patres Hierosolymitani

tani Act. XV, 11. *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum* κἀκεῖνοι scil. πατέρες sub jugo Ceremoniarum gementes, de quibus proximè v. 10. Hinc rectè concluditur Gentes Ceremoniis haud onerandas esse, quoniam Patres onusti tamen unicè credebant per gratiam Jesu Christi salvari. (2.) Salus feminis mulieris semper resipiscentibus, credentibus, integrè ambulantibus, nunquam aliis, promissa, Gen. III, 15. XV, 6. XVII, 1. Habac. II, 4. Act. XV, 11. X, 43. (3.) Eadem bona electis data, promissa sunt. Bona sunt vel hujus vitæ vel alterius. *Hujus* sunt doctrina de Messia, promissio beneficiorum ejus Rom. IX, 4. cultus externus l. c. adoptio *ibidem*: remissio peccatorum, Ps. XXXII, 1. 2. conf. Rom. IV, 6. 7. sanctificatio Exod. XXXI, 13. Spiritus S. Ps. CXLIII, 10. atque ita omnia ejus dona. *Alterius* verò est vita æterna, quæ legitur promissa Joh. V, 39. Act. XXIV, 14. 15. Matth. XXII, 31. 32. Hebr. XI, 10. Gen. XLIX, 18. Job. XIX, 25. 26. Loca, quæ produximus, bona hæc fidelibus V. T. attribuunt. Eadem fidelibus N. T. data esse nemo in controversiam vocat. (4.) Justificatio sub V. T. in exemplum justificationis sub N. T. sistitur Rom. IV, Et promissiones fidelibus ante Christum factæ continuantur in diebus Messiæ, Act. II, 39. (5.) Sacramenta idem bonum obsignant, 1. Cor. X, 1-5. sicut ex inductione exemplorum patet. (6.)

Requi-

Requiritur hoc tandem à parte Dei & a parte peccatoris. Nam is aliter cum glorificatione nominis sui salvare, hic aliter salvari nequit.

VI. At diversa ratione verbum salutis proponi jussit Deus. Modò quæ adducenda; Modò quæ adducta. Modò mediante præconio breviori & quod rei summam tantùm tradebat; Modò prolixiori. Modò ritus, qui ad Salvatorem venturum ducebant, paucos & (saltem comparatè) liberos; Modò plures eosque satis molestos præscripsit; Modò hos omnes sustulit. Modò lucem parciorem; Modò uberiorem impertitus illis, quos alloquio suo dignatus est. Modò præcones salutis ad plures, tanta familiarum non habita ratione; Modò ad pauciores eosque ex certo stemmate prognatos; Modò ad omnes gentes sine discrimine misit.

VII. Tantam promulgationis differitatem tenens Deus demonstravit summam in bonis suis dispensandis libertatem, πολυποίκιλον σοφίαν. Naturam Ecclesiæ infantilis, adolescentis, virilis observavit seque ad eam accommodavit. Maximè rationem habuit fœderis æterni per sanguinem sponsoris confirmati, nam, ut constaret hinc omne bonum in filios Dei redundare, cuncta melius se habebant, ex quo sanguis hic fusus, servitus in libertatem, nox in diem, gratia parva in uberrimam convertebatur.

VIII. Præcipua omnium, quæ memoranda diver-

diversitatis in promulgando consilio gratiæ, distinctio est in V. & N. Testamentum. Per Vetus Testamentum intelligitur ea voluntatis divinæ de beatitudine peccatoris dispensatio, quâ fideles, qui vixerunt usque ad Messiam, non solùm verbo sed & ceremoniis umbratilibus suo tempore abolendis ad salutem promissam quærendum ducebantur. Atque hoc constat tum ex natura rei, tum phrasi. *Illô modô*. Omnibus enim ceremoniæ typicæ, veluti sacrificia, observandæ præscribebantur. Omnibus eadem promissio in semine mulieris, Abrahami &c. data. *Hôc modô*. Sic phrasis *Vetus Testamentum* omne quod Christum antecessit tempus Hebr. IX, 15. includit, nam eorum quoque peccata sanguine Christi expiantur, qui ante legem vixerunt.

IX. Attamen quia diversimodè tractabantur fideles, qui ante legem in vivis, & qui sub ea, commodè œconomia V. Testamenti in duas periodos subdistinguitur. Prior currit ab Adamo ad Mosen: Posterior à Mose ad N. Testamentum. In illa verbum de salute brevius, clarius, Ceremoniæ pauciores, liberiores. In hac verbum salutis prolixius, magis involutum, Ceremoniæ plures, serviliores. Una quæque periodus rursum gradus suos admittit.

X. Novum verò Testamentum est ea voluntatis divinæ de beatitudine peccatoris dispensatio, qua fideles ex omni gente, Messia manifestato absque

absque molestis figuris claro gratoque Evangelii præconio atque Sacramentorum usu ad salutem sanguine æterni Testamenti jam partam vivida fide apprehendendam vocantur. Quod adeoque à Vetere multum differt. Novum quippe Messiam per passiones consummatum, salutem actu pro nobis promeritam esse tradit: Annexas habet pretiosissimas promissiones: Viam ad Deum perveniendi facilem sine figura clarè docet: Cultum à nobis poscit tantùm λογικὸν, in Spiritu & veritate.

XI. Hæc docent externam de medio reconciliationis nostræ promulgationem. Verbo etiam dicendum de operatione divina interna. Agit Deus cum homine ceu ratione prædito. Proponit itaque illi externè voluntatem suam, præscribit officia, quibus præstitis gratiosam pollicetur ἀνταπόδοσιν. Intus verò oculos illuminat ut voluntatis divinæ æquitatem, ingens, quod ex ejus observatione oritur, commodum, damnum, quod transgressorem manet, nosse & ritè æstimare queant: Tum in illuminatis oritur amor Dei, studium vivendi ad regulam, quam Deus statuit. Inimicitia verò & hostilitas adversus omne id, quod mandato divino præstando adversari putant. Quæ tanquam viribus suis facienda postulantur, illa sibi ex Testamento æterno largè suppeditari intelligunt, modò decenter & in fide gratiam & auxilium divinum implorent neque beneficia εἰς ἀσέλγειαν

fœdè

fœdè impendant. Quandoquidem inferiùs de his prolixiùs agendum erit, Scripturæ testimonia, quibus dictis fidem faciam, nunc omitto.

CAPUT XIII.

De OECONOMIA CONSILII GRATIÆ AB ADAMO AD MOSEN.

Σύνοψις.

OEconomia hæc tribus partibus constat. (1.) *Doctrinâ de salute.* (2.) *Signis.* (3.) *Fide, quam fideles sub hoc tempore testati sunt.* §. I.

I. Doctrina consideratur vel in se vel ratione modi revelationis. §. II.

Doctrina in se considerata non absolvitur septem Noachi præceptis. §. III.

Potius ejus fundamentum est Prot-Evangelium Gen. III. 15. §. IV.

Satanæ privationem omnis veri boni denuntians. §. V. VI.

Sed piis gratiam pollicitans. §. VII.

Postea subjicitur brevis

vis epitome totius doctrinæ salutaris sub hac Oeconomia. §. VIII.

Sub qua edocti erant Creatorem, speciatim hominis integri creationem. §. IX.

Qui postea seductione satanæ malus factus §. X.

Restitutus verò solâ gratiâ Dei. §. XI.

Per semen mulieris. §. XII.

Cujus naturam humanam §. XIII.

Passiones, gloriam. §. XIV.

Naturam quoque divinam noverant. §. XV.

Unde colligebant, salutem in viribus propriis quærendam haud esse.

Noverant quoque, salutem eorum tantùm esse, qui adversus Satanam inimicitiam gerunt. XVI.

Noverant tandem, tum demum plenam salutem dandam fore, quando in his terris certamen feliciter absolverint. §. XVII. XVIII.

Doctrina hæc vario modo, immediato, mediato, vigilantibus, dormientibus &c. facta est. §. XIX.

Cujus divinitatem tum illi, quibus revelatio obtigit. §. XX.

(Quorum nomina recensentur.) §. XXI.

Tum illi, quibus revelatio facta annuntiata, ex certis figuris & Characteribus nosse poterant. §. XXII.

II. Signa â Deo instituta, ut gratiam in Redemtore adumbrarent, obsignarent. §. XXIII. XXIV.

Unde sequitur, signorum

rum scopum esse Jesum Christum XXV.

Prudenter tamen in hoc labore versandum, ne quod typus Jesu Christi revera est, negetur, aut ex opposito fingatur typus, qui talis non est. §. XXVI.

In quem finem dantur Characteres typi dignoscendi. §. XXVII. XXVIII.

Signa solent distingui in Sacramenta & typos, inter quæ duo realis differentia non est. §. XXIX XXX.

Rectius distinguuntur in personalia, naturalia, & ritus lege præscriptos. XXXI.

Ex signis personalibus nominatur Adamus, ostenditurque ejus cum Christo convenientia. §. XXXII. XXXIII. XXXIV.

Etiam Melchisedecus, qui cum Salvatore comparatur. XXXV. XXXVI.

Insuper Isaacus, cum quo quoque & Christo comparatio instituitur. §. XXXVII. XXXVIII.

Ex signis naturalibus refertur creatio. §. XXXIX.

Diluvium. §. XL.

Iris. §. XLI.

Ex ritibus mixtis lege præscriptis primum locum habent Sacrificia, quorum Convenientia. §. XLII. XLIII.

Et disconvenientia à Sacrificiis Mosaicis ostenditur. Ubi speciatim traditur Sacrificiorum ortus divinus. XLIV.

Finis, qui Jesus Christus. XLV.

Dein Circumcisio. §. XLVI.

Cujus

Cujus partes notandæ, veluti ritus circumcisionis in se. XLVII. XLVIII.

Dein subjectum, quod omnis masculus. §. XLIX.

Tum Tempus. §. L.

Præterea Origo. LI.

Insuper pœna contemtûs. LII.

Denique scopus. LIII. LIV.

Tandem ratio. LV.

Ultimò abrogatio. LVI.

III. Fides, quam pii sub hac Oeconomia testati sunt erga promissiones in doctrina & figuris. LVII.

Fideles illustriores sunt Abel, Enochus, Noachus. LVIII.

Abrahamus, Isaacus, Jacobus. LIX.

Lothus, Melchisedecus, typus Christi, non ipse Christus, Jobus, Eliphas, Bildad, Zophar, Elihu.

§. I.

Dicenda de hac gratiæ divinæ dispensatione tribus partibus includemus. I. *Continebit Doctrinam de Salute.* II. *Signa ejus.* III. *Fidem, quam pii sub hoc tempore promissionibus, in doctrina prolatis, in signis præadumbratis & confirmatis adhibuerunt, atque eam vitâ sanctâ testati sunt.*

II. *Quod ad doctrinam, illam tum in se considerabimus, tum in modo revelationis.*

III. *Doctrinam in se quod attinet, Judæi ex antiqua traditione habent, Deum jam*

Adamo sex præcepta, qualia sunt, de fugienda Idololatria, maledictione Nominis divini, homicidio, revelatione turpitudinis, furto, judiciis habendis; septimum verò Noacho de non comedenda carne in sanguine suo tulisse. *vid. Maim. tr. de Regib. c. IX. ab init.* Facilè largimur Patriarcharum ævo hæc officia cognita observataque fuisse, quamvis cuncta à Deo externè rogata non legamus. Sex priora naturâ patebant, septimum verò à Deo externè revelatum Gen. IX, 4. At hisce doctrina salutis minimè comprehendebatur. Potiùs ad externam tantùm vivendi rationem spectabant.

IV. *Fundamentum doctrinæ salutaris sub hac Oeconomia est Protevangelium* Gen. III, 14. 15. verbis breve, sensu fœcundum, continens in summa omnia, quæ ad vitam consequendum tenenda sunt. Illud procul dubio Patriarchæ jugiter in animo, ore habuerunt, volverunt, & divitias gratiæ erga peccatorem, hujusque officia attentè eruerunt.

V. *Continet autem gratiosam voluntatem Dei, tum in condemnatione Satanæ, tum liberatione piorum ex potestate ejus.*

VI. *Condemnatio Satanæ comprehendit privationem omnis boni*, quod à Deo priùs acceperat, quodque ipsum beatum reddebat, *summam ignominiam, abrogationem potestatis ob peccatum in pios quoque exercitæ, quæ* verbis

verbis impropriis, ad Serpentem, cujus nomen Satanas habebat, alludentibus, proponuntur.

VII. *Liberatio verò continet* (1.) *malum à quo liberati*, quod infeliciſſimum Satanæ & ſeminis ejus regnum. (2.) *Bonum, quod conſecuti ſunt*, & eſt amicitia Dei, quam omnibus viribus adverſus hoſtem tuentur. (3.) *Subjectum ſcil. Evam & ejus ſemen*, Satanæ adverſans, quod ſanctificans & ſanctificatum, Chriſtus & Fideles, Hebr. II, 11. (4.) *Modum*, quatenus ſemen mulieris divina virtute Satanam ſuperaturum, deleturum, non tamen ſine vulnere, quod ei ſerpens conterendus infliget, ſcil. intelligitur paſſio, mors ſeminis mulieris, quâ demum victor Satanæ evadit. (5.) *Auctorem*, qui ipſe gratioſus & potens Deus.

VIII. *Ne verò percurrendo omnes revelationes hoc tempore factas ultra inſtitutum noſtrum prolixiores ſimus, doctrinam hujus Oeconomiæ ſequentibus includimus.*

IX. *Pii ante Moſen noverant, Deum eſſe, qui omnia ex nihilo creavit, quique ſpeciatim hominem ad imaginem ſui condidit.* Gen. I.

X. *Noverant dein, hominem antiqui Serpentis ſeductione propriâ culpâ peccaſſe & mortem ſibi attraxiſſe.* Gen. III.

XI. *Noverant porrò, ſolâ Dei gratiâ infelicem hominis cum Diabolo amicitiam tolli.* Gen. III, 15.

XII. *Et tolli quidem abrogatâ omni modò hostis potentiâ per semen mulieris.* l. c.

XIII. *Noverant adeoque, Liberatorem fore hominem, qui ex Eva, saltem mediatè, ortum sumturus* l. c. *per Abrahamum, Judam, quorum quoque semen dicitur.* Gen. XXII, 18. Gal. III, 16. Gen. XLIX, 10.

XIV. *Noverant quoque, liberatorem suum in perpetuo cum Satana certamine multa passurum, tandem tamen victoriam reportaturum,* Gen. III, 15.

XV. *Noverant præterea, hunc suum liberatorem nudum hominem non fore, ceu qualis Satanam destruere minimè valeret.*

XVI. *Noverant insuper, omnem salutem illi soli adscribendam esse, nec talem in propriis viribus quærendam esse,* Genes. XXII, 18. XLIX, 18.

Noverant denique, salutem hanc non ad omnes pertinere. Nam Satanas quoque semen, quod eum imitatur, habet, Gen. III, 15. Sed ad illos primùm ex Sethianis, tum Semitis Gen. IX, 26. posteà etiam Japhetis c. c. v. 27. Gentiles XLIX, 10. qui gratiâ Dei sanctificati sunt, atque Satanæ regnum omnibus viribus destruunt, qui cum Deo, coram Deo, animo integro, in fide ambulant, & malorum consortia fugiunt, Gen. III, 15. v. 22. XV, 6. XVII, 1. IV, 26. quales quoq; de gratia Dei persuasi esse poterant, variis quidem argumentis,

eo ma-

eo maximè, quòd Deus se sub χέσει partis fœderatæ sistere voluerit, Gen. XV.

XVII. *Tandem noverant, variæ licèt ærumnæ, & molestiæ in his terris propter peccatum perferendæ sint*, Gen. III, 16-f. *post hanc vitam repositam esse piis aliam felicissimam in intima cum Deo conjunctione, in qua* ἐν ἐμφάσει *quoad corpus & animam Deus se talem, qualis est, probabit*, Job. XIX. 25-27. Gen. XLIX, 18. Matth. XXII, 31. 32. Hebr. XI, 10. *impios verò à Domino judicandos, puniendos esse*, Jud. v. 14. 15.

XVIII. Hæc sunt præcipua, quæ ex Sacris clarè constant revelata Patriarchis. Non tamen negamus, alia adhuc ab iisdem cognita aut hæc ipsa latiùs deducta esse.

XIX. *Propositâ nunc doctrinâ sequitur, ut de modo revelationis agamus. Et quod modum revelationis concernit, varius ille fuit*, Hebr. I, 1. Aliquando revelatio immediatè facta ab ipso Deo Gen. III, sub forma humana, ut amicus cum amico loqui solet, Genes. XVIII. Aliquando intercedente signo aliquo divino, quale probabiliter ἐμπυρισμὸς, Gen. IV, 4. Hebr. XI, 4. Aliquando Deus allocutus est vigilantes die Genes. XVIII. vel noctu Genes. XXXII, 24. Aliquando dormientes sola voce sed forti, terribili, uti Eliphazum Job. IV, 12-f. Abimelechum Gen. XX, 3-7. Labanem XXXI, 24. Aliquando unâ cum imagine extraordi-

nariæ impressionis Gen. XXVIII, 12-16. XXXI, 11-13. Aliquando absque voce, imagine tantùm, uti Pharaonem Gen. XLI. Servos ejus, Gen. XL, 5. &c. Etiam illuminatione internâ Spiritus S. quâ futura præfari poterant, quo Isaaci Gen. XXVIII, & Jacobi Gen. XLIX, exempla pertinere videntur.

XX. *Illi, quibus revelatio obtigit, de ejus divinitate persuasi esse poterant*, tùm ex modo Majestatis divinæ pleno Gen. XV, 12. tùm ex materia vera, sancta, Diabolo inimica, seq; ad conscientiam validè adprobante, Gen. III. tàm ex interna persuasione, quæ omnem dubitationem præscindebat atque causa exequendi ejus, quod alioquin nullis rationibus persuaderi posset, Gen. XXII, 1. 2. &c.

XXI. *Ex iis, quibus revelationes factæ, præcipui sunt Adam, Abel, Enochus, Noachus, Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Josephus, Jobus, etiam, quamvis in minori gradu, Abimelech, Pharao, servi Pharaonis.*

XXII. *Illi verò, quibus revelatio facta proponebatur, de Divinitate certi erant.* (1.) Ob materiam, quæ ad pietatem tantùm ducebat. (2.) Proponentium candorem, integritatem, sincerum affectum, quô auditores, (qui plurimùm liberi erant) prosequebantur, quos fallere adeoque non cogitabant. (3.) Prædictionum eventum Gen. XL. XLI.

XXIII. Alterum, de quo in hoc capite,

spectat

spectat *signa salutis. Quippe placuit Deo, gratiam per Redemtorem non solùm in verbo proponere, sed & in signis præadumbrare, obsignare.* In quo singularis sapientia ac bonitas Dei elucet, quatenus suos ad salutem quærendum non solùm per auditum, sed & visum, tactum ducebat.

XXIV. Hoc verò intendisse Deum constat, & ex natura rituum, qui aliâs Deo & cultu divino dignum nihil continuissent, & ex explicatione infallibili in N. Testamento & ex speciali inductione sacrificiorum, circumcisionis, Melchisedeci, &c.

XXV. *Unde nunc sponte fluit, Interpretem in signis & ritibus hujus Oeconomiæ exponendis sic versari debere, ut præmeditatè observet eorum finem, Christum,* qui Spiritus doctrinæ, rituum, signorum V. & N. Testamenti, nam quoniam in illo solo salus, ideo prudentissima ordinatione divina ad eum solum quærendum, appetendum, colendum, omnia omni tempore dicta, facta fuerunt.

XXVI. *Prout verò in defectu peccat, qui, quæ ad futurum præadumbrandum dicta fuere, nonnisi literaliter accipit & de eo tantùm tempore, quo dicta, intelligit. Sic in excessu is, qui promiscuè omnia, quæ merè Historica sunt, typica, fatidica habet, & mox id, quod luxurianti imaginationi videtur, tanquam intentionem Spiritus S. aliis obtru-*

dere vult. Vitium hoc posterius fictâ aliquâ dulcedine plurimos ut olim ita hodienum capit, qui tùm sibi maximè sapientes bonique literarum Interpretes videntur, quando Allegoriis comminiscendis frœnum laxarunt. Sed vitium non minus ac prius. Abducit à βεβαιότητι, solida certa explicatione, quâ nihil prius nobis esse debet. In causa, ob quam studium Scripturæ de existimatione sua multum amittit & quæ alioquin demonstrationem ad conscientiam continent, his admixtis eam perdunt, aut saltem suspectam reddunt. Unde aliquando allegoriæ ex eadem Historia oppositæ cuduntur.

XXVII. *Medii tutissimi imus. Figuras, typos, quos tales esse ex certis Criteriis constat, habemus. Quæ verò iis destituta sunt, ea ad hanc classem non referimus.* In illis sufficiens suppetit materia, in qua studium & ingenium nostrum ad gloriam Dei & ædificationem proximi exercemus.

XXVIII. *Ut verò tutiùs in hoc labore versemur, sciendum est, figuram nondum constitui, si historia quædam in Sacris relata est, aut si cum figurato, quod Allegorista putat, convenientia quædam monstratur, vel etiam si ejus in N. Testamento simplex allegatio occurrit. Hæc ad figuram, typum constituendum non sufficiunt. Verùm requiritur.* (a) *Institutio divina ad hunc usum.* Nequit enim

enim ex se res terrestris, vilis, rem cœlestem pretiosissimam præfigurare, obsignare: Constat quoque, cultum ceremonialem, qui totus typicus, ad minimam circumstantiam usque, à Legislatore præceptum esse Exod. XXV, 4. Hebr. VIII, 5. (b) Et *institutio hæc certo indicio nobis perspecta esse debet.* Indicium autem hoc (1.) Si historia vel ritus quidam V. Testamenti in specie ut typus in Novo allegatur. (2.) Aut si generali vocabulo clarè comprehenditur, veluti Hebr. X, 1. *Lex habet* σκιὰν *umbram futurorum bonorum*, hinc rectè infero: Labrum æneum & ejus usus ad bona futura respiciebat. (3.) Vel etiam si ritus aliquis in se nullam veri cultus rationem habens, prolixè descriptus & curatè observandus traditus est, quemadmodum Sacerdotum vestitus, Exod. XXVIII.

XXIX. Generalibus his præmissis *specialia dicemus de signis, quæ in Sacramenta & Typos distingui solent sub hac Oeconomia. Inter hæc magnum discrimen haud ponendum videtur.* Nam conveniunt nomine: Ritus, quos Sacramenta vocant, אתת *signa* dicuntur Gen. XVII, 11. Typi quoque Matth. XII, 39. Commune nomen est σκιὰ, ὑπόδειγμα Hebr. VIII, 5. X, 1. Conveniunt dein præadumbratione, nam & Sacramenta ita dicta & Typi ad Christum & ejus beneficia respiciunt. Conveniunt insuper partibus, ex quibus constant, signo scil. exter-

externo, & re signata latente. Conveniunt tandem institutione divina. Posterior ætas typos, qui illustriores, universaliores, quique lege aliqua præscribebantur, Sacramenta nomine peregrino à militia desumto dixit.

XXX. Mittimus, quæ de voce, numero, definitione Sacramentorum controversa haberi solent. Rem ipsam, prout eam in Sacris reperimus, exponere constituimus. Generaliore notione per Sacramenta, Typos intelligimus *Signa à Deo instituta ad futurum quid, speciatim gratiam in semine mulieris præadumbrandum, obsignandum.*

XXXI. Signa hæc non sunt ejusdem generis. Vel sunt *personalia*, vel *naturalia*, vel *ritus lege præscripti.*

XXXII. *Signa personalia dicuntur, quando ex ordinatione divina certæ personæ semen mulieris referre debebant.*

XXXIII. *Primum ex personalibus est Adamus*, quem Paulus Rom. V. 1. Cor. XV, 22. 45. 1. Tim. II, 13. Christi typum esse indicat. Convenientia hæc est

XXXIV.

ADAMUS JESU CHRISTI TYPUS.

Primus homo vocatur אדם ἀδὰμ, 1. Tim. II, 13. *Primus Adam.*

Semen mulieris vocatur quoque Adam, 1. Cor. XV, 45. *Ultimus* ἀδὰμ.

Hic

Hic *Filius Dei*, Luc. III, 38. sapiens & sanctus creatus est, Gen. I, 26.

Ex illo omnes mundi habitatores vitam habere debebant, Act. XVII, 26.

Ipsa quoque Conjux ei alto sopore oppresso condebatur.

Adamus denique *typus futuri*, Rom. V, 14. ut illo sapiente, sancto, felice, posteri tales quoque, sed illo peccante & infelice, peccatores & infelices quoque censeantur ii, qui ex eo prognati. Rom. V, 12-20.

Tandem ut in Adamo omnes mortui sunt 1. Cor. XV, 22.

Hic ἐν ἐμφάσει *Filius Dei*, Hebr. I, 4. 5. in quo omnes thesauri sapientiæ & sanctitatis absconditi sunt, Coloss. II, 3. Luc. I, 35.

Hic quoque toti fidelium *mundo* ζωὴν *vitam* dat Joh. VI, 33.

Atque tum Conjugem sibi acquisivit, quando mortis somno oppressus, Ephes. V, 25-28.

Etiam Christus persona publica refert semen suum, cui sapientia, justitia, sanctificatio, quam is promeritus est, imputatur, 1. Cor. I, 30.

Sic in Christo omnes vivificantur, 1. Cor. XV, 22.

XXXV.

XXXV. *Secundum est Melchisedecus*, quem Paulus Hebr. VII. pluribus ut Christi typum proponit.

XXXVI.

MELCHISEDECUS PRÆADUMBRAVIT JESUM CHRISTUM.

I. *Ratione ortûs.* Melchisedecus homo merus licèt exstiterit, factum tamen singulari Providentiâ Dei, ut Parentes non exprimerentur à Mose, qui reliquorum piorum ortum studio aliàs docuit, quô, qui naturâ esse non poterat ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, esset ex silentio Scripturæ posteritati. Heb. VII, 3.

II. *Ratione nominis.* Appellabatur מלכי צדק ex interpretatione *Rex justitiæ*, Hebr. VII, 2. qui regnum in justitia administrat. Dein appellabatur Rex Σαλὴμ שלום sive *Rex*

I. *Ratione ortûs.* Jesus Christus secundùm naturam humanam ἀπάτωρ, secundùm divinam ἀμήτωρ & cujus genus, prosapia recenseri nequit. Est quoque principium & finis Alpha & Omega. Apoc. I, 11. XXII, 13.

II. *Ratione nominis.* Christus passim *Rex* audit, & quidem צדיק *justus*. Zach. IX, 9. in omni *δυνάμει* & *pacificus* sive *Princeps pacis*. Jes. IX, 5. cum Deo, conscientia, pro-

pacis,

pacis, quâ is fruebatur, quando infideles Reges Canaan bello impliciti erant.

III. *Ratione muneris.* Duplex est, regium & sacerdotale. Illud tenebat in Salem, plurimorum, Josephi speciatim, calculo, Hierosolymam. Hoc reportavit à Deo, quod vult עליון כהן לאל *Sacerdos Dei altissimi*, Gen. XIV, 18. absque antecessore & successore. Ut Sacerdos duo agebat, pro populo victimas Deo offerebat, tum quoque benedicebat, sicuti benedixit Abrahamo, Gen. XIV, 18.

III. *Ratione muneris.* Christus Rex inunctus *super Sion, montem Sanctitatis.* Ps. II, 6. Christus quoque Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci Ps. CX, 4. à Patre interpositô juramentô constitutus l. c. cujus Sacerdotium æternum Hebr. VII, 3. 16. consistens in oblatione victimæ, quæ corpus ejus Hebr. VII, 27. & intercessione pro omnibus fidelibus, ex qua omnigena benedictio in hos Hebr. VII, 25. Rom. VIII, 34. fluit.

XXXVII. *Tertium personale signum Isaacus* est, qui quidem disertè typus Salvatoris nullibi dicitur, neque enim huc referendus videtur locus Hebr. XI, 19. quoniam tamen χίσιν עולה *holocausti* ex præcepto divino sumit Gen. XXII,

XXII, 2. & omnia Sacrificia ad Christum respexerunt, rectè omninò signis præfiguratibus accensetur.

XXXVIII.

ISAACUS TYPUS CHRISTI.

I. *Ratione Nativitatis.* Isaacus diu ante à Deo Patri fidelium promittebatur, quæ mora desiderium Parentum valdè exercuit. Tandem verò ex utero ad generandum inidoneo natus lucem vidit. Erat Patris sui filius יחיד *unigenitus*, dilectus Gen. XXII, 2.

II. *Ratione vitæ.* Vita, quam Isaacus duxit, Parenti obediens grataque sed irrisioni Ismaëlis expositа.

III. *Ratione Oblationis.* (a) Pater amorem erga Deum testaturus filium charissi-

I. *Ratione Nativitatis.* Christus quoque multò ante fidelibus promissus est, qui nativitatem ejus percupiverunt. Tandem statuto apud Deum tempore ex utero Virginis fœtûs naturâ non capaci in lucem edebatur. Existebatque Filius dilectus, in quo Pater acquievit, Matth. III, 17.

II. *Ratione vitæ.* Etiam Christus in vita sua Patri omnem obedientiam exhibuit, Phil. II, 8. & à fratribus suis secundùm carnem illusus est.

III. *Ratione Oblationis.* (a) Cœlestis Pater ingentem suum amorem erga mundum mon-

mum immolare constituit.

(b) Isaacus Patris durissimæ licèt voluntati non obstrepit seq; in holocaustum sistit, Gen. XXII.

(c) Imò ipse lignum, quo comburendus, in unum ex montibus terræ Moriah portat, atq; manibus pedibusque ligatus imponitur aræ. Gen. XXII, 9.

IV. *Ratione Liberationis.* Tridui spatio Isaacus in mente Patris ut mortuus habebatur, Gen. XXII, 4. illô verò finitô ipsi quasi de novo redditus censebatur.

monstraturus Filium unigenitum in mortem tradere statuit, Joh. III, 16.

(b) Christus pariter poculum excandescentiæ, quamvis animus horrore perculsus, ebibere promittit, Matth. XXVI, 39. & obediens fit usque ad mortem crucis, Phil. II, 8.

(c) Etiam lignum crucis, à quo suspendendus & igne iræ divinæ ob peccata accenso urendus, in quemdam terræ Moriah montem, posteà Golgotha dictum, gestat, manibus pedibusque ope clavorum cruci affigitur.

IV. *Ratione Liberationis.* Triduo in statu mortis exstitit Christus. At illô absolutô ad vitam resurgebat.

XXXIX. *Sequuntur Signa naturalia, quæ ex institutione divina spirituale quid signant. Huc refertur creatio totius mundi, hominis speciatim*: unde S. Literæ modum operandi in spiritu hominis phrasibus, quæ ex creatione desumtæ sunt, quæque regenerationem cum creatione conferunt, exprimere solent. Clarissimè huc pertinet Aqua Diluvii & Iris. Gen. IX, 8-18.

XL. *Et Aquam Diluvii quidem typicam fuisse tradit Petrus*, 1. Epist. III, 21.

Terra sceleribus erat polluta, unde immittebantur aquæ.

Aquæ vim habent suffocandi, maculas eluendi.

Aquæ Diluvii suffocabant illos, qui verbo Dei inobedientes exstiterunt.

Eluebant verò eorum peccata, qui præconio resipiscentiæ fidem habebant & confidebant Deo, quòd in

Super mundum impurum effundit Deus aquam, quâ in genere omnia externa media sanctificationis speciatim Baptismus sistitur.

Prout Aqua hac homines utuntur, exerit vel vim mortis vel vitæ.

Vim mortis in illis, qui se Deo sanctificandos non tradunt, sed pollutionibus mundi delectantur.

Sed vim vitæ, qui se puros ab inquinamentis carnis & spiritus servare studentatque Deo fidem habent.

mediis

mediis undis ipsos salvos conservare queat.

Qui quoque post quam ex aquis egressi erant, sacrificium laudis Deo gratissimum obtulerant.

Qui quoque juge laudis sacrificium in Christo cœlesti Patri sacrum faciunt.

XLI. Iris verò expressè אות *signum* לזכור ברית עולם ad *commemorandum fœdus seculi* Gen. IX, 18. 17. dicitur. Quatenus φαινόμενον in natura est, diu ante diluvium exstitit. *Nunc verò* post diluvium Dei institutione (quomodo quoque pleraque alia signa ante accommodationem ad usum sacrum priùs exstiterant.) Longanimitatis & gratiæ divinæ signum esse cœpit. Et quidem universale omnibus creaturis, quæ in posterum tali diluvio nunquam perdendæ: particulare verò fidelibus, quorum maximè gratiâ mundus conservatur. Unde Christus Iride circumdatus sistitur. Apoc. IV, 3. X, 1.

XLII. *Tandem dicendum de ritibus, quos Deus fidelibus hujus Oeconomiæ observandos dedit, ut per eos ad Christum quærendum ducerentur. Ad hanc classem pertinent sacrificia & Circumcisio.*

XLIII. *Quæ tum offerebantur Sacrificia, in plurimis circumstantiis differunt ab iis, quæ lege Mosis introducta.* Tum enim per-

sonæ, locus, tempus, materia, ritus, aliaque liberiora: quæ postea severis legibus circumscribebantur.

XLIV. *Conveniunt tamen in Auctore & fine. Auctor sive qui sacrificia præcepit, Deus est.* De Sacrificiis Mosaïcis vix quæstio. Quæstio de Patriarchalibus, quæ affirmanda est: mentibus quoq; hominum ante Legem viventium à Deo ea suggesta, præceptaque existimamus, unde ritè offerentes certi esse poterant, se oblationibus suis Deo gratum odorem excitare, atque ob virtutem calcanei seminis mulieris à Satana conterendi veniam peccatorum consequi. Probatur autem (1.) *Testimoniis*, quæ Deum Sacrificia præcepisse docent, veluti sunt Gen. XV, 9. XXII, 2. XXXV, 1. Job. XLII, 7. 8. (2.) *Exemplis*, ex quorum attentâ pensitatione hic ipse divinus jussus elucet; sunt autem Abelis, qui πίστει *fide* obtulisse dicitur, Hebr. XI, 4. Fides autem præsupponit revelationem divinam, cui credit. Dein Melchisedeci, qui כהן לאל עליון *Sacerdos Dei altissimi*, hoc est, à Deo constitutus, unde exemplo Melchisedeci vocatio Christi ad Sacerdotium facta dicitur Hebr. VII, 15. Denique Jobi, qui c.l. 5. pro peccatis liberorum Sacra fecit. Certè peccata sanguine bestiarum expiari ex natura minimè nosse poterat. (3.) *Rationibus*. Ratio non dictat, in carne vel sanguine victimarum quidquam esse, quod Deo Spiritui gratum esse possit, atque

atque iram sceleribus provocatam in favorem convertat. Unde ipsi quoque Gentiles stultos illos dixêre, qui *existimant, Deos seu bilis ustæ sive crudorum ossium projectû, quæ vix tangat esuriens canis, gaudere donis, idque honori ducere, facientibusque gratiam reponere.* Apud Porphyr. περὶ ἀποχῆς l. II. §. 58.

XLV. *Finis Sacrificiorum, quæ sub lege offerebantur, Christus*, quod maximè Paulus in Epistola ad Hebræos docet. Neque aliàs sub Novo Testamento cultus victimarum tantæ abominationi Es. LXVI, 3. Jam idem finis Patriarchalium vel non. Posterius dici nequit, nec indicio aliquo patet. Et quod Paulus de Christo sub Sacrificiis adumbrato habet, generale est, nec restringendum ad quædam sacrificia tantùm. Imò quoniam Mosaica quoad substantiam eadem sunt cum Patriarcharum & nonnisi horum continuatio, clarè sequitur, sacra ævo Patriarcharum Christum quoque respexisse. Atque inde Sacrificiorum institutio divina rursum constat. Nam uti mors Christi ex sola revelatione, sic quoque præfiguratio ejus absque ea fieri nequit.

XLVI. *Sequitur Circumcisio.* Cujus Historiam, scopum, & quæ hinc profluit, abrogationem trademus.

XLVII. Ad *Historiam Circumcisionis referimus ritum in se, ritûs subjectum, Tempus, Originem, Necessitatem.*

XLVIII. א. *Ritus dicitur Amputatio,* בשר ערלה *carnis præputii*, Gen. XVII, 11. Græcis περιτομὴ, Rabb. מילה *quâ, mediante acuto cultro, extrema pudendi virilis cutis abscinditur*, quod ex praxi Judæorum continua constat. Quamvis hi præter מילה ad circumcisionem insuper necessariam agnoscant פריעה dilacerationem cuticulæ inferioris, ut glans planè nudetur. Unde constat, ritum esse & dolorosum & pudendum, maximè in provectioribus.

XLIX. ב. *Ad hunc ritum tenebatur* כל זכר *omnis masculus* Gen. XVII, 12. nulla fœmina. Nec refert, an masculus ille semen Abrahami an verò pecuniâ emtus vel ex servo Abrahamico prognatus Gen. XVII, 12. c. c. quomodocunque is familiæ Abrahami insertus circumcidendus erat, unde posteriori tempore proselyti ex quacunque gente circumcidendi aut in jam circumcisis *sanguis fœderis*, ut *Maim. Tr. de Circumcis.* c. l. eliciendus erat.

L. ג. *Tempus verò est dies octavus*, Genes. XVII, 12. puta à nativitate. Consuluisse videtur Deus infantibus, qui statim post partum admodum infirmi, atque doloribus ferendis vix pares sunt. Observant Judæi, tempus illud, si fieri potest, præcisè tenendum, nec ob incidens Sabbathum mutandum esse, rectè tamen mutari ob periculosum morbum iidem notant.

LI. ד. *Hujus ritus Origo divina est.* Antea

inter

inter homines receptum fuisse ex nullo fido testimonio constat. Nec Abrahamus signum hoc abs Deo petiit, sed ipse Deus & quidem sub gravi pœna mandavit ut omnis masculus circumcideretur. Posteà verò factum, ut ritus ad alias gentes quoq; transiverit; scilicet omnes Domestici Abrahami, Isaaci circumcidendi erant. Ex his verò præter stirpem promissionis etiam Ismaëlitæ, posteri ex Ketura, Idumæi erant, qui, quamvis sensim à vera Religione recesserint, circumcisionem nihilominùs retinuerunt. Sed præterea Ægyptii, Æthiopes, Colchi circumcisi leguntur, *Herodot. l. II.* Hi credibiliter studio imitationis tantæ Gentis inducti sunt.

LII. ה. *Ad ritum hunc ii, qui ad Familiam Abrahami pertinebant, severâ lege obligabantur, nam incircumcisi anima è populo exscindenda*, Gen. XVII, 14. Gravissimam addidit pœnam, ne ritus dolorificus, & qui non sine pudore in corpore peragitur, prætereatur. Variè verò pœna hæc exponenda prout circumstantiæ variant. Vel is, qui in eam incurrit, excluditur à privilegiis populi fœderati. Vel etiam morte temporali à Deo immissa punitur. Vel ipsam æternam mortem quoque subit. *Illô modô*, quamdiu infans incircumcisus genuinum membrum cœtus Judaici haud est. *Istô*: si adultus incircumcisus manet, aut Pater scandalum aliis præbens, filioli minorennis circum-

cisionem omittit Exod. IV, 24. *Hôc*: si omissio cum contemtu signi conjuncta.

LIII. *Dicendum nunc est de scopo circumcisionis.* De hoc ipse Deus, quando eam vocat ברית *fœdus*, Gen. XVII. 10. vel magis propriâ phrasi אות ברית *Signum fœderis*, v. 11. *Signum erat* ratione Dei & ratione hominum. *Ratione Dei.* Quòd cum Abrahamo & ejus semine fœdus iniverit, bona pollicitus fuerit, id in peculium signo suo notatum receperit. *Ratione hominum.* Quòd sint gens Dei, illum unicè revereri debeant, atque ita jus habeant promissionum divinarum, unde etiam *sigillum* audit Rom. IV, 11.

LIV. *Ex ritûs hujus curatiori pensitatione magnam Dei sapientiam cognoscemus.* Nam (1.) ita populum suum mansuro signo à quovis alio distinxit. (2.) Effecitq;, ne cum incircumciso commisceretur, atque hujus impietate ad peregrinum cultum abduceretur, quod pro ratione ejus temporis necessarium. (3.) Dein docuit, hominem naturâ animo incircumcisum prognasci, Deum non diligere, spiritu Deo non servire, atque ita esse extra fœdus Dei, nec aliter populo Dei accenseri, quàm si deponat corpus peccati, carnem crucifigat, diligat Deum. Perpende loca Deut. X, 16. XXX, 16. Coloss. II, 11. Phil. III, 3. Unde ex adverso *præputium* malè audit.

LV. *Elegit verò Deus tale signum ob duas ma-*

maximè rationes. I. *In fœdere hoc promisit multiplicationem seminis, elegit itaque generationis membrum atque illi notam impressit.* II. Alteram verbis Philonis exprimam: Indicatur ἡδονῶν ἐκτομὴ *excisio voluptatum*, αἱ καταγοητεύουσι διάνοιαι. Ἐπειδὴ γὰρ τὰ νικητήρια φέρεται τῶν ἐν ἡδοναῖς φίλτρων ἡ ἀνδρὸς ὡρὸς γυναῖκα συνουσία, τὸ ὑπηρετῆν ταῖς τοιαύταις ὁμιλίαις ὄργανον ἀκρωτηριάζειν ἔδοξε τοῖς νομοθέταις, αἰνιττομένοις ἐκτομὴν περιττῆς καὶ πλεοναζούσης ἡδονῆς, οὐ μιᾶς, ἀλλὰ δυοῖν μιᾶς δὲ βιαιοτάτης καὶ τῶν ἄλλων ἁπασῶν, *quæ mentem fascinant, quoniam enim inter omnes voluptatum illecebras principatum tenet viri congressus cum muliere, instrumentum ejus Legislatores mutilari jusserunt, innuendo, resecandas voluptates superfluas, non unius tantùm hujus generis sed omnes per unam indicantes.* in libro de Circumcisione p. 811. *Ed. Francof.*

LVI. Ultimum, *quod de Circumcisione, spectat ejus abrogationem sub N.T.* Quæ clarissimè in Scriptis Apostolorum fundata. 1. Concilium Hierosolymitanum clarè decrevit, Christianum ad Circumcisionem ut & reliquas leges ceremoniales non obligandum esse. Utpote onus importabile & quod ad salutem nihil quidquam facit, Act. XV, 10. 11. 28. 29. 2. Paulus speciatim Gal. V, 1-7. VI, 15. Coloss. II, 11. Phil. III, 3. qui hoc ipsum variis argumentis probat, inter quæ præcipua (a) quòd Christi morte à Ceremoniis atque sic Circumcisione

liberi ſimus. (b) Quòd ſtudioſus Circumciſionis nullum ex Chriſto fructum ſibi promittere queat. (c) Quòd cum Circumciſione conjunctiſſima ſit totius legis obſervatio. (d) Quòd ſub N. Teſt. *nova creatura* Deo tantùm grata ſit. (e) Unde per contemtum κατατόμην appellavit. 3. Scopus Dei in circumciſione hic erat, ſemen Abrahæ ab alio quovis diſtinguere. Quando verò in diebus N. Teſtamenti populum ſuum ex omni gente, lingua collegit, ceſſat hæc nota. Nec obſtat, quòd circumciſio dicatur fœdus עולם: Neque enim vox עולם *æternitatem* ex natura ſua aut conſtanti uſu notat.

LVII. *Tandem ſequitur* tertia capitis hujus pars, ſive *Fides, quam pii ſub hoc tempore promiſſionibus in doctrina prolatis & ſignis præadumbratis adhibuerunt, eamque vitâ integrâ teſtati ſunt.* Non putandum eſt, alios fideles non extitiſſe, quàm quorum nomina Moſes reliquit. Vel cognitionem & cultum veri Numinis in ſola Abrahami, per Iſaacum, Jacobum poſteritate extitiſſe. Certos nominavit Hiſtoriographus, quia præ aliis excelluerunt, aut quoniam ex aliis cauſis ejus mentio injicienda.

LVIII. Memorabimus non omnes, de quibus bene ſperare charitas jubet, ſed illos tantùm, quorum fides vitaque clarè laudatur à Moſe & Paulo Hebr. XI. *Primus eſt Abel*, qui *fide* erga promiſſionem Gen. III, 15. Sacra

fecit

fecit Hebr. XI, quique divino testimonio, ἐμ-
μαρτυρισμῷ ut videtur, *justus* declaratus est. *Tum Enoch*, qui התהלך constanter *ambulavit cum Deo* Gen. V, 24. eam vivendi rationem tenuit quam Deus præscripsit, quum tum Cainitæ *viam Caini* ingressi fuerint. Unde tantopere Deo placuit, ut μετετέθη τὸ μὴ ἰδεῖν θάνατον *transpositus, quò minùs mortem videret*, Gen. V, 24. Hebr. XI, 5. *Insuper Noachus*, ipse *justus* & hinc *hæres justitiæ secundùm fidem*, Hebr. XI, 11. *Integer*, qui toto corde Deo adhæsit, Gen. VI, 9. (corruptus licèt fuerit suo tempore mundus,) atq; etiam *præco justitiæ* 2. Petr. II, 5. prædicans resipiscentiam & piam vitam, si aliter manum vindicem effugere velint impii.

LIX. *Post diluvium excelluerunt ex Familia Abrahami* א. *ipse Abrahamus* inter Idololatras educatus & credibiliter priùs Idolorum cultor. Hic ad jussum Dei relicto Ur Chaldæorum per Charran, terram Canaan, quam nunquam vidit, ingressus est, atque simpliciter in fide se suosque benignæ Numinis Providentiæ dedit. Promissionibus divinis, quæ juxta leges naturæ impleri haud poterant, credidit. Nec credidit solùm, sed fidem per opera demonstravit, *integer coram Deo ambulavit*, suosque ad cultum divinum sedulò manuduxit. ב. Patris vestigia secutus *Isaacus* Deo cœli & terræ constanter serviit. ג. Etiam *Jacobus* variis periculis expositus Majorum Deo fidè adhæsit atque

atque ab eo *salutem* exspectavit, Gen. XLVIII, 16. XLIX, 18. Tres hi viri præ aliis dignati sunt, quòd Deus voluerit eorum Deus haud semel dici. *Deus Abrahami, Isaaci, & Jacobi.* Quæ dictio carentiam omnis veri mali, fruitionem veri boni quoad corpus, animam in hac, in altera maximè vita infert.

LX, Præter hos notandi sunt α. *Lothus* justus, qui multùm passus inter flagitiosos Sodomitas habitans Genes. XIX, 2. Petr. II, 7. 8. β. *Melchisedecus* Sacerdos & Rex Hierosolymitanus, Christi, quod supra dictum, typus, non ipse Christus. Obstat enim (a) simplex narratio Gen. XIV. diversissima ab illis, quæ manifestationem Christi tradunt (b) Dein Ps. CX, 4. (c) Insuper Hebr. VII, 3. Nequit enim Aaron Sacerdos dici secundum ordinem Aaronis aut Aaron Aaroni assimilatus. (d) Tale nomen Hierosolymitani Reges gestarunt, quod patet ex Jos. X, 1. γ. *Jobus* credibiliter ex Nachoris posteritate Arabs insigne patientiæ exemplum præbuit atque fidem in *Goelem* præclarè testatus est, c. XIX, 25. 26. δ. Amici Eliphas, Bildad, Zophar, Elihu maximè, magnâ Dei & rerum divinarum notitiâ instructi fuerunt. Errarunt quidem, sed in persona Jobi, non tàm in doctrina in se spectata. Hi sufficiant.

CAPUT

CAPUT XIV.

De

OECONOMIA CONSILII GRATIÆ A MOSE AD CHRISTUM.

Σύνοψις.

SEquitur *Dispensatio Consilii Gratiæ à Mose ad Christum.* §. I.

Ad quam referuntur, (1.) *Fœdus Sinaiticum.* (2.) *Leges reliquæ Israeli latæ.* §. II.

Præparatio ad fœdus Sinaiticum. §. III. IV.

Circa fœdus notantur I. Partes contrahentes: Deus & Semen Abrahami, Isaaci & Jacobi. §. §. V. VI.

II. Mediator Moses. §. VII.

III. Conditiones quinque. §. VIII.

(a) *Stipulatio.* §. IX.

(b) *Promissio.* §. X.

(c) *Comminatio.* §. XI.

(d) *Astipulatio.* §. XII.

(e) *Restipulatio.* §. XIII.

IV. Sanctio. §. XIV.

Præterea locus, qui mons Sinai, unde Fœdus Sinaiticum: Insuper Ministri: Tandem Symbola Majestatis Legislatoris. §. XV.

San-

Sancito hoc fœdere aliæ Leges addebantur, veluti §. XVI.

Morales. §. XVII.

Ceremoniales. § XVIII.

Judiciales. §. XIX.

In hoc Fœdere Deus eandem χάριν sumsit quam habuit erga Abrahamum. Considerandus ergò ut Deus in semine mulieris gratiam faciens. §. XX.

Non qui ob propriam justitiam vitam daturus. §. XXI.

Attamen non negatur, discrimen dispensationis Gratiæ ante Mosen & sub Mose. Potius in quinque partibus ostenditur §. XXII.

Objectio solvitur. §. XXIII.

Porrò ostenditur quo modo Deus scopum ratione verorum & carnalium Israelitarum talem legalem χάριν subintroducendo attigerit. XXIV. XXV.

Media Oeconomiam hanc conservandi propagandique §. XXVI.

(*I.*) *Symbolica præsentia Dei in medio Israelis.* (*II.*) *Consignatio voluntatis divinæ.* (*III.*) *Descriptio prælectioque Legis sæpius repetita.* (*IV.*) *Institutio Sacerdotum, Levitarumq;.* (*V.*) *Etiam Prophetarum extraordinem missorum.* §. XXVII.

Juxta Judæos huc facit Lex Oralis, quæ divina esse negatur. XXVIII.

Utilis tamen conceditur. §. XXIX.

Tandem finis Oeconomiæ. §. XXX.

§. I.

§. I.

SUperiori Ordine ſuccedit illa Conſilii Gratiæ Diſpenſatio, quæ à Moſe ad Chriſtum currit. Quâ populus Iſrael fœdere & placitis âquavis alia gente diſtinctus, in peculium Dei cooptatus, in terra Canaan cultum umbratilem exhibere jubebatur. Et illa & hæc in eſſentialibus conveniunt, diſconveniunt in variis circumſtantiis, de quibus ſupra.

II. *Quæ in hac Oeconomia notatu digniora, illa referri poſſunt vel ad Fœdus Sinaiticum in ſpecie, vel ad Leges reliquas, quæ ferebantur populo Iſrael.*

III. Circa Fœdus Sinaiticum duo diſtinctè obſervari poſſunt. Primum de eo quod anteceſſit, & viam ad id paravit; Alterum de Fœdere agit.

IV. Anteceſſit autem, quod Deus jam olim Patriarcharum Abrahami, Iſaaci, Jacobi ævo horum poſteros ad Gentem peculiarem deſtinaverit, qui hinc, quando injuſta Ægyptiorum ſervitute premebantur, tanquam peculium Dei, manu forti & glorioſa in libertatem vindicabantur. Quæ ingens gratia, ſi vel ſola, Deum Regem & Dominum Iſraëlitarum ſpeciali modo conſtituiſſet, ſed noluit Liberator Domini jus in eos exercere, niſi id ipſum in eum transferant. Unde propoſitis per Moſen beneficiis jam actu collatis & in poſterum con-

conferendis ad subjectionem populum ex Ægypto liberatum invitat Deus. Quando verò hic spontè annuit, mox ferebantur leges præparatoriæ, ut fœderi, ejus postulatis audiendis, suscipiendis, debita sanctitate & reverentia interessent.

V. Ipsum Fœdus quod attinet, notandæ sunt partes contrahentes, Mediator, conditiones, earum sanctio.

VI. Partes contrahentes Deus & homo. Et Deus quidem consideratur ut *Deus Abrahami, Isaaci, Jacobi.* Exod. III, 6. ut *Jehovah Deus* Israëlis, *qui eum eduxit è terra Ægyptiaca, domo servitutis.* Exod. XX, 2. Filio tamen speciatim attribuitur, Act. VII, 38. Homo verò ut semen Abrahæ Ægyptiorum tyrannide, potentiâ Dei liberatum, Exod. XIX, 3. Hoc adeoque fœdere non comprehendebantur aliæ Gentes, quippe tum solus Israël סגלה *populus peculiaris* Deut. VII, 6. Huic statuta & judicia dedit, non ulli Genti Ps. CXLVII, 19. hinc gentiles dicuntur *sine Christo*, qui ipsis non prædicabatur, *alieni à politia Israel*, per leges positivas maximè, *peregrini à testamentis promissionis* veluti Abrahami, Mosis, *spem non habentes* verorum bonorum, quæ ipsis non promittebantur, *sine Deo* vero *in mundo.* Observandum tamen, quòd illi ex Gentibus, qui ortum suum penitùs abnegabant, atque eandem cum Judæis legem subibant, sicque *Judæi facti* eidem fœderi

deri inſeri potuerint. Hos poſterior ætas vocat גרי צדק *proſelytos Juſtitiæ.*

VII. Ab utraque parte Moſes ex Levi oriundus ſingularibus fatis clarus Mediator electus probatusque eſt: Qui quoque μεσίτης audit Gal. III, 19. utpote medius ſtabat inter Jehovam & Iſraëlitas Deut. V, 5. ejus juſſus ad hos, horum ſubjectionem ad illum, ut in toto miniſterio ſic ſpeciatim in fœdere ferebat Exod. XIX--XXV. Docebat hoc mediatoris munus, populum reum adhuc, impurumque eſſe, qui cum Deo immediatè conjungi nequeat.

VIII. Conditiones fœderis ſunt quinque ſcil. Stipulatio, Promiſſio, Comminatio, Aſtipulatio, Reſtipulatio.

IX. *Stipulatio eſt illa fœderis pars, quâ Deus immediatè & mediatè per Moſen à populo ſuo peculiari obedientiam popoſcit.* Obedientia, quæ poſcebatur, reſpicit (a) fidem, mores. (b) Cultum dein Ceremonialem. (c) Vitam denique civilem. Vide Exod. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. Sapientiſſimè hæc inſtituebat Deus, nam Iſraël conſiderandus tum ut populus Dei, tum ſpeciatim ut populus, qui de futuro Meſſia ejusque morte informandus, tum ut populus peculiaris ab alia Gente diſtinctus. *Ob illam* χίσιν inſtruendus in fide & moribus. *Ob iſtam* in umbris Chriſtum præfigurantibus. *Ob hanc* in ſtatutis civilibus.

X. *Promiſſio verò dicitur, quâ Deus obſer-*

vanti stipulationem, gratiam suam pollicitus est. Exod. XX,6. *Facio gratiam in millesimos, qui præcepta mea custodiunt.* Deut. c. v. 12. *Ut prolongentur dies tui in terra, quam Jehova Deus tuus tibi daturus est.* Præterea c. XXIII, 20-26. promittitur Angelus faciei divinæ, tutus per desertum ductus, potens & gratiosa introductio in terram Canaan cum affluentia bonorum.

XI. *Comminatio autem est severa voluntas Dei erga transgressorem stipulationis, quem ad gravissimam pœnam condemnat.* Exstat Exod. XX, 5. *Ego Jehova Deus, Deus Zelotes visitans perversitatem Patrum in filios, in nepotes, in abnepotes, scil. illos, qui me odio prosequuntur.* Cf. v. 7. & c. XXIII, 21. Hæc notanda sunt à parte Dei. Sequuntur nunc ea, quæ à parte Israëlitarum agebantur.

XII. *Astipulatio est ille actus populi, quo Deo stipulanti omnem obedientiam addixit.* Quum præcepta justissima, æquissima, illa adstipulatione quoque dignissima. Unde Israëlitæ una voce: *Omnia verba, quæ dixit Jehova, faciemus*, Exod. XXIV, 3. In quo tamen minùs rectè fecerunt, quòd gravitate præceptorum, prava ad peccandum inclinatione non pensitata, obedientiam universalem absque auxilii divini imploratione polliciti fuerint, quam vecordiam notavit Deus Deut. V, 28. 29.

XIII. *Restipulatio, quâ Israelitæ stipulatione*

tione adimpleta jus habent divinas promiſſiones debitâ reverentiâ expetendi. Non quidem inter bonum promiſſum & obedientiam Iſraëlitarum proportio invenitur, attamen quia Deus benignus, verax, ἀψευδὴς, Iſraëlitæ ex legis præſcripto viventi jus ad vitam natum, utpote valet, *Qui fecerit hæc, vivet in iis.*

XIV. Et ne fœderi huic deeſſet quidquam, pro more eo tempore in fœderibus conſueto confirmabatur Scripturâ, beſtiarum occiſione (unde phraſis כרת ברית *ſecare fœdus*) ſanguinis ſparſione & convivio ſacro, Exod. XXIV. Qui ritus omnes ſignificantiſſimi erant.

XV. Notabile inſuper hoc fœdus א. ob locum, qui mons Sinai *à rubis*, aliâs Horeb *à ſiccitate*, Agar ob *adjacens oppidum Agar* dictus. Talis eligebatur locus, ut legis naturam effectumque nonnihil referret, v. Gal. IV, 24. 25. ב. Ob miniſtros, Angelos, qui in ordine diſpoſiti Legislatori à manu Gal. III, 19. Deuter. XXXIII, 2. erant. ג. Ob terribilia Majeſtatis divinæ ſymbola, fulgura, tonitrua, nubes atras, montem fumigantem, terræ motum, quæ uti Legislatorem Judæorum ſuper omnes alios longè evehebant, ſic docebant, quantâ reverentiâ excipiendæ ſint ejus leges, qui tam terribilis & potentiſſimis Miniſtris ſtipatus.

XVI. Sancitô hoc fœdere ſub hac Oeconomia alia & alia tum Moſis tum aliorum Miniſtrorum operâ addebantur. Et quidem quæ

fidem spectant. Quoniam enim tum temporis Idololatria passim grassabatur, adversus eam quavis ratione muniebantur Israëlitarum pectora: Erudiebantur propius de semine mulieris, ejus persona, naturis, muneribus, beneficiis, & quæ hinc fluunt, nostris erga id officiis, nam quo adventus ejus propinquior, clariores de eo dabantur revelationes.

XVII. Tum quoque moralia, quæ Decalogus continet, partim repetebantur, partim illustrabantur, partim rationibus confirmabantur, partim in compendium, quod Dei & proximi amore absolvitur, contrahebantur.

XVIII. Etiam Ceremonialia plurima augebantur. Pauca quippe leguntur capp. XX-XXV. in Exodo. At postea in ingentem numerum præcepta de figuris excrescebant, quod videre est ex legibus de rebus, personis, locis, temporibus, capp. XXV. ad finem Exodi, per totum Leviticum, Numeros.

XIX. Tandem Judicialia multiplicabantur. Judices passim constituebantur, quorum Summi, qui juxta locum sacrum sedere atque causas graviores cognoscere debebant. In his omnibus breviores sumus, quoniam de Moralibus cap. XV. de Ceremonialibus c. XVI. de Judicialibus c. XVII. ex professo dicturi sumus.

XX. His, quæ in Controversiam vix vocari possunt, præmissis, faciliùs de magis Controversis

verſis judicium ferri poteſt. Et quidem primò probabimus, Deum eandem χάριν ad populum Iſraëliticum habuiſſe, quam priùs ad Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum. Præſupponimus, quod vix quiſpiam negabit, horum ævo Teſtamentum Gratiæ in Jeſu Chriſto annuntiatum fuiſſe, atque illos ſalvatos, qui annuntiationi vivam fidem adhibebant. At hoc ipſum præconium ſub ſequenti Oeconomia manſit. 1. Vel ubi dixerat Deus, ſe promiſſiones ſuas gratioſas non ultra Jacobum extenſas velle? 2. Annon toties promiſerat, *Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te*, Gen. XVII, 7.? 3. Annon liberaturus ex Ægypto ſe eandem gratiam exhibere velle clariſſimè indicavit toties repetita phraſi: *Ego ſum Deus Abrahami, Iſaaci, Jacobi*, Exod. III, 6. 15. 16. Deut. VII, 11. 12. XXIX. 11. 12.? 4. Annon ingentem gratiam peccatori pollicitus eſt Exod. XXXIV, 6. 7. XX, 6.? Præterea tot de gratia loca, in Pſalmis, Prophetis exſtant, quæ omnia ad hanc Oeconomiam pertinent. 5. Denique annon omnes umbræ, Sacerdotes, Sacrificia, Lotiones, Tabernaculum, ejusque Vaſa, Feſta, Manna, Aqua ex Petra, Serpens æneus Chriſtum præfigurarunt, Hebr. X, 1. 1. Cor. X, 1-5. Joh. III, 14. 15.? 6. Ultimò legatur Paulus Gal. III, maximè v. 17. *Teſtamentum ante ſancitum à Deo ad Chriſtum lex poſt* 430. *annos lata non abrogat* εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν, *ad de-*

struendam promissionem. At sublata est promissio à lege, si qui sub Oeconomia Mosaïca ex propriis operibus justificandi.

XXI. Ex dictis nunc fluit, Legem in Sinai Israëlitis non datam esse, ut propriâ justitiâ justificarentur. Hoc quippe ἀσύστατον cum antecedentibus. Dein sapiens & benignus Deus tale pactum cum peculio suo de gratia consequenda non init, quod nemo observare valuit. Nemo autem observare valuit Legem Mosaïcam, ut ipsi jus ad vitam æternam tribueret.

XXII. At dices: Evidentissimum est, Deum aliter longè cum Fidelibus ante Mosen egisse: Aliter verò cum Israëlitis in deserto. His solis, non illis, Legem prolixam dedit, quæ observata demum jus ad vitam concedit. Facilè concedimus magnum discrimen inter dispensationem primam & secundam, imò non abnuimus, Ecclesiam sub dispensatione secunda, ἐν ἐμφάσει ζύγῳ δουλείας *jugo servitutis* constrictam fuisse Gal. V, 1. à servo non differre IV, 1. cf. Jer. XXXI, 32. Hebr. VIII, 9. Act. XV, 10. Sicuti ex sequentibus partibus constat (a) Ceremoniæ, quæ ante Mosen usitatæ, non solùm confirmabantur, sed pluribus novis iisque molestis circumstantiis circumscribebantur. (b) Tum innumeræ aliæ, difficillimæ, pretiosissimæ, ad arguendum injustitiam & impuritatem comparatæ dabantur. (c) Hæ cæteræque leges summa cum ἀκρίβεια, propriis viribus, præstandæ com-

communiter proponebantur. (d) Transgreſſoribus maledictiones divinæ denuntiabantur. (e) Imò horribiles pœnæ in Ceremoniarum neglectores animadvertebantur. His non obſtantibus arbitramur ſcopum Legislatoris non alium eſſe quàm ut ſemen Abrahæ ſub lege ſalvetur, uti ipſe Abraham.

XXIII. Inſtas: Quare ergo Deus jugum hoc Iſraëlitis impoſuit? Et quomodo illum ſcopum attigit? De utroque dicemus. Quod primum attinet, Legem promiſſionibus addidit παραβάσεων χάριν *propter tranſgreſſiones*, Gal. III, 19. ſcil. quemadmodum providus Pater petulantem puerum duriter tractat, & inobedientiâ creſcente diſciplinam ſeveriorem conſtituit; ita Deus Eccleſiæ Judaicæ peccatum peccato adjicienti jugum aggravavit. Sunt autem plures παραβάσεις in Ægypto, deſerto patratæ, ex quibus non ultima μοχολατρεία. Exemplum ſeveriorum legum occaſione tranſgreſſionis habes Lev. XVI, 1. 2.

XXIV. Quoad alterum: An ergò Deus hac ratione ſcopum attigerit? Utique attigit; Lex enim varium uſum præbuit ratione verorum & carnalium Iſraëlitarum. *Ratione illorum*: Perfectam habebant fidei & vitæ normam, quam quantum poſſibile, exprimere tenebantur: convincebantur ex ea de propria ἀδυναμία legem ad vitam conſequendam adimplendi: Hinc humiliabantur: Propterea anhelabant gratiam Dei

Patribus clarius promissam, in Lege rarius & sub involucro reperiundam. Ad eam ducebat Cultus Ceremonialis. Unde Paulus Rom. X, 4. *Finis* scopus *legis est Christus ad justitiam omni credenti*, à quo scopo turpiter aberrarunt, qui justitiam propriam erigebant. cf. Gal. III, 23. 24. *Ratione horum*: Etiam hi habebant, quo exercebantur: Legibus illis intra limites compescebantur: Nam in causa erant, quominùs cum Idololatricis populis in unam gentem coalescerent. Tum ad denuntiatas pœnas, fine legis neglecto & præceptis divinis violatis, condemnabantur. Cæterùm haud difficulter fatemur, hos scopum legis, quem intentum habuit Legislator, non penetrâsse, propriô vitiô velamen oculis eorum impositum fuisse, quia enim toties exstat *Fac hoc & vives*, propriam justitiam unicam vitæ causam dixerunt.

XXV. Unde constat, eandem ad salutem consequendum viam sub Dispensatione prima & secunda præscripsisse Deum scil. agnitionem peccatorum, fidem erga benignum & misericordem Deum, studium sanctæ vitæ. Licèt sapientissimus Deus nonnihil aliter illos, qui ante Mosen, aliter illos, qui sub Lege Mosaica vixerunt, duxerit.

XXVI. Porrò nunc dicendum, quibus mediis Deus uti voluerit ad Oeconomiam hanc usque ad tempora correctionis conservandum, pro-

propagandum. Quando enim paulò aſperior eſt, facilè intelligimus, Judæos mitiorem percupiviſſe, adeoque intra cancellos genuinis mediis continendos fuiſſe.

XXVII. Media plura variaque. I. Ipſe Deus in medio Iſraëlis habitavit, præſentiæ ſuæ ſymbolum clariſſimum, maximè primis temporibus, exhibuit, quod quum cernere potuerant Iſraëlitæ, maximam vim pro ſolicita præceptorum obſervantia in iis reliquit, tantò magis, quando iratum Numen ſubinde in trangreſſores cœleſti vindicta animadvertit. II. Tum quoque voluntatem ſuam ſcriptis manſuris commiſit, Decalogum quidem ipſe in tabulis lapideis exaravit, alias leges per Moſen ſcribi curavit, juſſitque, ut ſcripta loco ſacerrimo includerentur, atque à corruptione præſervarentur. III. Præcepit dein ut deſcriberetur, Deut. XVII, 18. publicè prælegeretur, Deut. XXXI, 11. 12. 13. Poſteriori tempore ordinârunt Sapientes, ut Lex Moſaica in partes diviſa quovis anno diebus Sabbathi legendo abſolveretur, unde Act. XV, 21. IV. Inſuper inſtituit cuſtodes Ordinarios, Sacerdotes & Levitas Malach. II, 7. qui tamen officio ſuo ſæpenumerò defuerunt Malach. III, 3. Matth. V. V. Quare miſit aliquando extra Ordinarios Prophetas, qui Spiritu Dei acti legem reſtituerunt, ex mente Dei expoſuerunt, quorum ſub hac diſpenſatione magnus proventus. Inter hos excelluit

celluit Moses *fidus servus in tota domo Dei*, familiari aditu ad Deum præ aliis omnibus fruens. Num. XII, 6-9. Deut. XXXIV, 10.

XXVIII. Addunt Judæi aliud medium, *Legem* puta *Oralem*, scriptæ clavem, à Deo Mosi in monte Sinai traditam, quæ ex voluntate Numinis non literis consignanda, sed ore sanctorum Virorum propaganda erat. Eadem tamen, urgente necessitate, seculo post Christum secundo, conscribebatur, quam vulgò משניות δευτέρωσιν appellant, quam postea Magistri Hierosolymitani & Babylonici illustrarunt, unde *Talmud Hierosolymitanum & Babylonicum*. At hocce medium genuinum esse negamus. Nam 1. Moses hujus legis nullibi meminit. 2. Dein ad eam non provocant Prophetæ aut alii Viri sancti. 3. Nec aliud monumentum ἀξιόπιστον prostat. 4. Imò integræ ex Gente Judaica Sectæ reperiuntur, quæ Legi scriptæ quidem fidem adhibent, sed illam Orali negant, uti *Sadducæa*, *Karræa*. 5. Insuper ipsorum Patronorum confessione manca est. 6. Denique stylus, modus tradendi alius à Lege Divina. 7. Ultimò plures difficiles nugæ, aliaque absurda, falsa in utraque Gemara, maximè Babylonica, inveniuntur. Non ergò *Lex* uti vocant, *Oralis* divina est, sed farrago sententiarum de Moribus, Ceremoniis maximè, à Magistris diversi temporis latarum.

XXIX. In eo quidem facilè consentimus Deum

Deum plura cum Moſe & ſubſequenti tempore cum aliis Prophetis locutum fuiſſe, quàm quæ in ſcriptis relinquebantur. Concedimus quoque Prophetarum, aliorumque ſanctorum virorum operâ Legem, vaticinia clariùs expoſita, in cultu varia ordinata fuiſſe. Verùm deeſt nobis horum omnium Authentica traditio. Mala bonis, falſa veris commixta ſunt quæ ad manus noſtras pervenerunt. Quare non licet abſque δοκιμασία, διακρίσει traditiones legere, iisque credere. Qui verò hoc animo lectionem Legis Oralis, præcipuè Textûs Miſchnici, ad ritus clariùs intelligendos perutilis libri, aggreditur, ille ex ea varia commoda hauriet.

XXX. Oeconomiæ Conſilii Gratiæ, cujus hactenus initium & modum conſervationis vidimus, videndus nunc quoque Finis & Antiquatio. Quoniam enim non erat ἀμεμπτία conſummata, ut in ea nihil deſiderari potuerit, Hebr. VIII, 7. (a) Nam nondum advenerat promiſſus Salvator, vera peccatorum expiatio, fons omnium bonorum ſpiritualium. (b) Hinc anxia ſpes. (c) Publica in ſacrificiis profeſſio reatus ſui per ſanguinem Meſſiæ abolendi. (d) Servitus Legis Ceremonialis. (e) Minor menſura cognitionis, fiduciæ, gaudii, ideò teſtamento melioribus promiſſionibus inſtructo locus dandus erat. Quod conſtat ex natura præmemoratæ Oeconomiæ utpote præfigurativæ.

Dein

Dein ex illustri vaticinio Jer. XXXI, 31--35. Insuper ex Hebr. c. VIII, 6--f. Tandem ex facto. Quando enim Deus Dispensationem hanc morte Christi *jure* sublatam ministerio Apostolorum sufficienter docuerat, neque institutioni plures credere volebant, Templum terramque Canaan, in quibus sedes, perdidit ac perpetuo anathemate percussit.

CAPUT XV.
De
LEGIBUS FIDEM ET MORES SPECTANTIBUS SUB OECONOMIA MOSAICA.

Σύνοψις.

EX variis generis Legibus per Mosen latis, eæ spectandæ hoc capite veniunt, quæ fidem & mores continent. §. I. II. III. IV.

Quæ fidem spectant, præcipuæ tantùm ut in compendio stuntur, veluti quòd Deus sit, isque unus essentiâ, pluralis personis, spiritualis naturæ, fons omnium bonorum, gratiosus, sanctus, justus, qui Prophetam M. missurus. §. V.

Sed

Sed morales prolixè deducuntur, quarum primò ostenditur disconvenientia â Legibus Ceremonialibus & Forensibus. §. VI.

Tum traditur ratio, quare, quamvis naturâ notæ sint, eas chartis mansuris committi voluerit Deus. §. VII.

Postea indicatur, eas tum in Decalogo, tum etiam in reliquis V. Testamenti libris memorari. §. VIII.

Decalogus constat ex X. præceptis, quorum IV. priora officia erga Deum, VI. posteriora officia erga proximum præscribunt. §. IX.

Ejus leges quasvis alias in quatuor partibus superant. §. X.

Octo dantur regulæ Decalogum clarè intelligendi. §. XI.

Proœmium continet cultûs & objectum & rationem. §. XII.

Ordine nunc recensentur decem præcepta, quorum primum reliquis rectè præmitti, rationibus probatur. XIII.

Ostenditurque, præcipere sufficientem agnitionem omnemque cultum Dei. §. XIV.

Præcepti fundamentum est partim perfectio divina, partim natura hominis §. XV.

Præcepto secundo vetatur falsus Deum colendi modus. §. XVI.

Qualis tum inter gentes obtinebat. XVII.

Simul vetabatur omnis alius posteriori tempore ortus imaginum

ginum sive veri Dei sive creaturarum in cultu religioso usus. §. XVIII.

Objectio solvitur. XIX.

Præscribitur verò verus spiritualis Deum colendi modus. XX.

Præcepti tertii nexu cum antecedentibus indicato. §. XXI.

Explicatur, tum quid intelligatur NOMINE JEHOVA, scil. omne id, quo Deus nobis innotescit. Tum quomodo illud in vanum sumatur. §. XXII.

Modi notabiliores subjiciuntur. §. XXIII.

Mandatur vi oppositi sanctificatio Nominis Divini, quæ mente, gestibus, sermone, opere peragitur. §. XXIV.

Ad Sanctificationem hoc præcepto mandatam refertur juramentum, cujus natura describitur. §. XXV.

Ostenditurque quòd licitum sit sub omni tempore. §. XXVI.

Puta si ritè dicitur. tum verò rectè dicitur, si juramentum nonnisi in nomine Dei præstatur: Si dein causa juramenti est: Si præterea tempus juramenti naturam pensitandi datur: Si denique perspectum illud, propter quod juramentum profertur: Si tandem juransloquitur ex integro animo. §. XXVII.

Præcepto quarto tempus solennis cultûs describitur. XXVIII.

Quod septimus dies jam à creatione celebratus, sub Mose novis

novis circumstantiis definitus. §. XXIX.

Figura Christi. XXX.

In hoc præcepto aliquid morale, aliquid ceremoniale. §. XXXI.

Morale, quòd aliquod tempus sine distractione cultui divino dandum sit. XXXII.

Ceremoniale verò, quòd speciatim dies septimus sacer esse debuerit. §. XXXIII.

Hinc ratione posterioris mutari poterat. §. XXXIV.

Imò sub N. Testamento mutabatur & convertebatur in diem primum. §. XXXV.

Sanctificatio Sabbathi in duobus consistebat, in intermissione laboris servilis, atque cultu divino variè obeundo. §. XXXVI.

Eadem sub N. Testamento requiritur. §. XXXVII,

Hactenus præceptare spiciebant officia erga Deum. Sequentia proximum, qui Deo semper postponendus. §. XXXVIII.

Inter proximum eminent parentes, quare de honore ipsorum Præceptum quintum latum. §. XXXIX.

Intelliguntur autem Parentum nomine & progenitores, & omnes alii, qui similia officia & beneficia nobis præstant. §. XL.

Honor iis debitus ex corde profluere, sequeper gestus, verba, maximè actualem Obedientiam probare debet. XLI.

Ipsi quoque Parentes & qui Parentum loco

loco filiis officia debent. §. XLII.

Nexu ostenso. §. XLIII.

Docetur generali homicidii nomine. §. XLIV.

Vetari homicidium proximi. §. XLV.

Et αὐτοχειρίαν. §. XLVI.

Nec actuale & externum tantùm, sed etiam internum, potentiale, quodq; ad actuale ducit. XLVII.

Contra hoc Præceptum non peccant (1.) *Magistratus, qui homines scelerum morte dignorum reos neci tradunt,* §. XLVIII.

Vel quando bella legitima ducunt. XLIX.

Quorum notæ adferuntur. §. L.

(2.) *Dein qui violentum aggressorem ad propriæ vitæ consulendum occidunt.* §. LI.

(3.) *Tandem qui vel sibi vel aliis præter intentionem vitam adimunt.* §. LII.

Ex opposito mandatur φιλανθρωπία, *humilitas, patientia, placabilitas, auxilium proximo ferendum.* §. LIII.

Sequitur præceptum septimum, ubi נאף *generaliter sumendum.* §. LIV.

Vetatur quippe adulterium externum, §. LV.

Internum. §. LVI.

Omne id, quod occasionem & materiam adulterii præbet. §. LVII.

Cujus species nonnullæ traduntur. §. LVIII.

Speciatim huc pertinet scortatio. §. LIX.

Ex adverso præcipitur cordis mundities, sermo castus, gestus verecundus, opus

opus sanctum. §. LX.

Et probatur conjugiũ secundum leges ritè institutum. §. LXI.

Quod legitimum, si justa sanguinis distantia observatur: Si adest consensus sponsi & sponsæ: Consensus quoque Parentum: Si deniq; neuter contrahentium alii fide conjugali conjunctus, unde Polygamia illicita constat. LXII. LXIII.

Qui verò sibi invicem fide conjugali conjuncti sunt, officia sibi debent. §. LXIV.

Quæ vel communia. §. LXV.

Vel specialia mariti erga uxorem, aut uxoris erga maritum §. LXVI.

Atque hoc Conjugii vinculum indissolubile, nisi intercedat adulterium. LXVII.

Præcepto octavo voce גנב *intelligendæ sunt omnes injustitiæ species.* §. LXVIII.

Quæ considerantur vel ratione bonorum. §. LXIX. LXX.

Pro quorum diverso intuitu variumfurtum, & hinc variæ pœnæ. §. LXXI.

Vel ratione modi. §. LXXII.

Veluti quæ vi LXXIII.

Dolo §. LXXIV.

Clam aguntur. LXXV.

Vel ratione personarum, à quibus furtum committitur. §. LXXVI.

Uti sunt divites. §. LXXVII.

Pauperes. LXXVIII.

Hoc furti interdictum præsupponit dominium, quod describitur. §. LXXIX.

Cujus ortus à Deo. §. LXXX.

Qui hominem Dominum terræ constituit. §. LXXXI.

Voluitque ut omnes homines unà absque querela rebus creatis fruerentur, quod quoque obtinuisset in statu integritatis §. LXXXII.

Sed peccatum dominium magis proprium fecit. LXXXIII.

Cujus proprietas probatur. §. LXXXIV.

Speciesque proprietatis subjiciuntur. §. LXXXV.

Speciatim mercatura licita adstruitur. §. LXXXVI.

Cujus Characteres notantur. §. LXXXVII.

Præterea usura moderata. §. LXXXVIII.

Præcepto nono prohibetur omne testimonium falsum adversus quemcunque dictum. §. LXXXIX.

Sive publicè coram Magistratu, sive privatim. XC.

Recensentur varii modi falsi testimonii. §. XCI.

Variæ personæ, quæ illud perhibere solent, uti partes litigantes, delatores, testes, advocati, judices, XCII.

Item illi, qui in discursibus suis famam proximi lædunt. §. XCIII.

Aut de eo temerè judicant. XCIV.

Turpitudo testimonii falsi monstratur. §. XCV.

Classi falsorum testium non annumerandi illi sunt, qui de insigni peccatore vera narrant. XCVI.

Ad interdictum præcepti noni pertinet non solùm mendacium perniciosum, sed etiam jocosum & of-

& officiosum. XCVII. §. XCVIII.

Vi oppositionis mandatur veracitas. §. XCIX.

Cui semper studendum, maximè quando nomen Dei protendum. C.

Non tamen veritas quæ dicentem in periculum conjicit, sine necessitate propalanda est. CI.

Præcepto decimo narrato. CII.

Concupiscentia consideratur in genere & in specie, ut bona vel mala. CIII.

Malæ, de qua hic sermo, gradus referuntur. CIV.

Objecta ejus innumera sunt. CV.

Præceptum hoc generale præ superioribus, sanctissimum, & quod primam radicem omnium peccatorum resecat, monstratur. CVI.

Concupiscentiæ opposita virtus, quae hic praecipitur, est abnegatio sui ipsius & animus sorte sua contentus. CVII.

Exposito Decalogo docetur summa ejus amor Dei & proximi. CVIII.

Tum indagatur amoris Dei natura & Origo CIX.

Gradus intensissimus. CX.

Cujus signa perhibentur. CXI.

Indagatur quoque natura amoris proximi. CXII.

Qui intra cordis penetralia non subsistit, sed se largâ mensurâ per actiones externas effundit. CXIII.

Et proximo id officium præstat, quod ipsi utile. CXIV.

Tum rectè se habet, quando similis amori, quô quis seipsum aut Christus fideles vel Deus creaturas diligit. CXV.

Proximus verò, cui amorem debemus, est omnis homo, etiam inimicus. CXVI.

Quamvis non eodem gradu omnes diligendi. CXVII.

Ultimò Decalogi usus sub N.T. ostenditur. CXVIII.

§. I.

DE quibus superiori capite §. IX. XVII-XX. *in genere diximus* (scilicet quòd Deus Ecclesiæ sub hac Oeconomia viventi leges, quæ fidem, mores, Ceremonias, forum spectant, præceperit) *ea specialim hoc & duobus sequentibus capitibus pertractanda erunt.*

II. *Judæi communiter in universum DCXIII. Præcepta Legis Mosaicæ computant,* Tract. מכות Exc. Gem. c. III. דרש ר׳ שמלי תורגמ׳ מצות נאמרו למשה בסיני שס״ה לאוין כמנין ימות החמה ר״מ עשה כנגד איבריו של אדם Ex Cocceji interpretatione. *R. Samlæi hæc est observatio: DCXIII. præcepta dicta sunt Mosi in monte Sinai. CCCLXV. prohibentia pro numero dierum anni solaris. CCXLVIII. jubentia pro numero membrorum hominis.* Singulorum epitomen dedit *Rev. Leydeckerus in Rep. Hebr. l.V. c.X.*

III. *Cuncta commodè ad quatuor Classes redu-*

reduci possunt. Quarum prima tradit præcepta, quæ notitiam de Deo continent. Altera mores perpetuæ observantiæ. Tertia Ceremonias. Quarta Jura Civilia complectitur. Fit tamen subinde, ut unum aliquod ad duas Classes respiciat.

IV. *Quod attinet præcepta, quæ ad notitiam Dei pertinent, pauca illa sunt*. Nam Deus maximè delectatur accurata obedientia populi sui, non curiosa essentiæ & Majestatis divinæ scrutatone. Et quæ de se revelavit, ita revelavit, ut vim pietatis in animis relinquerent.

V. *Ad hanc Classem referenda sunt, quæ leguntur* Exod. XX, 2. *Ego Jehova Deus tuus, qui eduxi te è terra Ægyptiorum: Non erunt tibi Dii alii præter faciem meam*. Deut. VI, 4. *Audi Israël, Jehova Deus noster Jehova unus*. cf. Exod. XX, 5. 6. XXIII, 20. 21. XXXIV, 6. 7. Num. VI, 24. 25. 26. Deut. IV, 15. Ex his aliisque locis noverant Israëlitæ (a) Deum existere. (b) Eundem unum. (c) Plures tamen Personas esse, quibus divina Essentia, nomina, actiones, honor competunt. (d) Deum non esse similem ulli creaturæ, aut oculis hominum cerni, sed Spiritum (e) à quo alia quævis vitam suam habent. (f) Israëlitas in specie non solùm communia sed singularia beneficia illi unicè debere. (g) Eundem gratiosum erga obedientes, sed justum sanctumque vindicem

erga inobedientes. (h) Fore ut aliquando Propheta Mosi par, imò illo major, excitandus sit. Idem sub varia χίσει, pluribus signis, quæ personam determinabant, cognoscendus proponebatur, sed instituti ratio non permittit, ut in his deducendis prolixi simus. Præcipua capita attigisse sufficit.

VI. *Progredimur ad alteram Classem sive Præcepta moralia, quibus præscribuntur officia erga Deum & proximum præstanda.* Hæc à Ceremonialibus & Forensibus in his maximè differunt, quòd in natura & sanctitate Dei fundata omnem hominem omni tempore & loco obligent.

VII. *Jam quidem naturâ nota sunt*, Rom. II, 14. 15. quoniam verò homines carnales φιλαυτίας vitio affecti sunt, solent illi lucem, quæ in cordibus splendet, variè obscurare, adversus eam excipere. Atque hæc ratio, quare *Deus*, quod naturâ cordi inscribit, *in usum populi sui tabulis, chartis partim ipse inscripserit, partim inscribi curaverit.* Hoc quippe modo voluntas Dei disertis verbis exprimitur, seductioni, exceptionibus ansa magis præscinditur.

VIII. *Horum officiorum summam Deus nervosâ brevitate, pulcherrimo ordine in Decalogo exhibuit. Quæ ipsa per Mosen cæterosque Prophetas iterato inculcari, confirmari, illustrari, deduci &c. jussit.*

IX. *Et*

IX. *Et quod Decalogum attinet, constat ille ex decem Præceptis* Exod. XXXIV, 28. (unde etiam nomen habet) quorum quatuor priora officia erga Deum, posteriora verò, quæ proximo debemus, tradunt, illa probabiliter uni, hæc alteri tabulæ inscribebantur. Cum iis, qui aliam divisionem malunt, non multum litigabimus. Nec Deus delectatur accurata divisione sed observatione. Modo nihil, quod Legislator præcepit, omittatur.

X. *Habet Decalogus præ reliquis legibus,* quod (1.) illum ipse Deus altâ voce pluribus Majestatis Divinæ symbolis elocutus fuerit. (2.) Dein quod ejus pronuntiationem totus Israël ingenti consternatione audiverit. (3.) Insuper quod eum Deus & quidem geminâ vice tabulis lapideis, (quarum priores pretiosiores erant) digito suo inscripserit. (4.) Tandem quod intra arcam asservatus fuerit.

XI. *Caeterùm ad illum clarius intelligendum sequentia notasse juvabit.* 1. Spiritualis est, sive non solùm externas hominis actiones sed simul internas obligat, Matth. V, 28. 2. Dein plus præceptis & interdictis inest, quàm verbis exprimitur. Sapientissimus Legislator mandatorum copia Israëlitas onerare noluit, ut ipsi studiosi φρονήσεως τῶν δικαίων agnoscant unâ specie prohibitâ prohiberi alias omnes, quæ ad idem genus spectant, Matth. cap. V. 21, 22. 3. Insuper sub præceptis interdicta

& sub interdictis præcepta comprehenduntur. 4. Præterea *negativè* potius quàm *affirmativè* proponitur, ut & de corruptione nostra moneamur & fortius obstringamur ad obedientiam. 5. Hinc quoque ad singulos Honora &c. dirigitur, ne quispiam, cujus sexus, conditionis, ætatis est, se eximat. 6. Nec non *in futuro*, mandans constans obsequium. 7. Tandem tenendum hunc in eo ordinem teneri, ut primò officia erga Deum, tum quæ proximo debemus, præscribat, quò doceamur omnium primò Deo obediendum esse. 8. Ultimò notandum leges Decalogi, si Sabbathum septima die celebrandum exceperis, in natura Dei fundatas esse atque dispensationem quamvis respuere.

XII. *In Decalogo distinctè notandum occurrit Præmium: Dein Præcepta.* Præmium his verbis continetur: *Ego Jehova Deus, qui eduxi te è terra Ægyptiorum, è domo servorum.* Præterquam quod verum Deum cognoscendum tradit, continet quoque gravissimas rationes, ex quarum pensitatione Israëlitæ obedientiam omnibus præceptis (nam ad omnia spectat) debent.

XIII. *Præcepta sunt decem. Ex his primum: Non erunt tibi Dii alii coram facie mea.* Quia verus cultus præstari nequit, si quis falsum Numen colit, ideò id omnium primò vetatur. Atque hoc necessarium, quoniam illo

illo tempore idololatria passim grassabatur, nec grassabatur tantùm inter vicinas gentes, verùm ipsi Israëlitæ crassum hunc errorem jam in Ægypto imbiberant.

XIV. *Eo ipso præcipitur, ut solus Jehova Israelitarum Deus sit*, sive habeatur, quod etiam ex antecedentibus constat. *Comprehendit autem hoc præceptum præter sufficientem agnitionem Dei*, perfectionum, virtutum, operum, *omnem cultum, qui Deo debetur*. Sacræ Literæ variè eum exprimunt, veluti diligere, Deut. VI, 4. 5. Timere, ℣. 13. Credere, 2. Chron. XX, 20. Obedire, 1. Sam. XV, 22. Humiliter cum Deo incedere, Mich. VI, 8.

XV. *Horum officiorum fundamentum est summa Dei bonitas, excellentia, Majestas, veracitas, jus, quod in creaturam habet ob creationem, conservationem, redemtionem; Etiam status hominis in se summè indigus & dependens.*

XVI. *At non solùm vult Deus, ut tanquam Numen colatur sed insuper decenti modo*, quare falsum additis gravissimis rationibus præcepto secundo proscribit: *Non facies tibi sculptile & ullam imaginem eorum, quae in cœlis desuper & quae in terra deorsum & quae in aquis infra terram. Non incurvabis te coram illis & non servies illis, quoniam ego Jehova Deus tuus, fortis Zelotes visitans peccata Patrum in filiis ad tertiam & quartam genera-*

tionem scil. iis, qui me odio prosequuntur: sed facio misericordiam mille, qui me diligunt, & praecepta mea custodiunt.

XVII. Nempe Gentiles tum temporis imagines, maximè dolatas rerum *cœlestium*, Solis, Lunæ, stellarum, Deut. IV, 19. Amos, V, 25. *terrestrium*, veluti hominum utriusque sexûs, animalium quadrupedum, humi repentium, Deut. IV, 16. 17. 18. Rom. I, 23. *aquaticorum* piscium *formasse, coram iis procubuisse*, aut aliud reverentiæ signum dedisse, præterea *iis cultum*, veluti precando, sacrificia offerendo, suffiendo, consultando, templa extruendo &c. *praestitisse videntur*. Quare necesse habebat Deus imagines, earumque usum populo Israël prohibere, ne hic aliàs ad Idololatriam pronus in eam incidat.

XVIII. Atque hic est ex circumstantiis primus interdicti scopus. Attamen idem vetat omnem alium quocunque tempore & loco imaginum sive veri Dei sive creaturarum in cultu religioso usum: Quippe (1.) talis quoque verbis *praecepti secundi* refragatur. Dein (2.) nemo unquam vidit Dei imaginem, ne quidem quando in Horeb externo symbolo præsentiam suam testatus est, Deut. IV, 15. 16. Nec (3.) sub alia re visibili. Es. XL, 18. materia aurea, argentea, lapidea referri potest Act. XVII, 29. (4.) Talis enim repræsentatio cedit

in

in ignominiam Dei, viles de Deo excitat cogitationes atque ita in errorem inducit.

XIX. *Nec juvat dicere nullam imaginibus tribui Divinitatem aut honorem divinum; referri verò mente ad ipsum Deum.* Nam nequidem Gentiles censendi sunt θεὸν ipsi imagini adjudicasse. Et Israëlitæ sub vitulo coluerunt Deum verum. Nihilominus & illi & hi Idololatræ arguuntur, in quos Deus gravissimè animadvertit, Rom. I. Exod. XXXII. Experientia quoque, quod nequidem Adversarii diffitebuntur, constat plebem indoctam in statuis subsistere, nec altius mentem attollere. Unde elucet imagines non esse rudium informatores sed seductores. Certius & magis tutum institutionis medium Deus sub utroque Testamento ordinavit, hoc verò improbavit.

XX. *Rejectô falsô Deum sub imaginibus colendi modô verus, qui inculcatur, is est, quô Deus ut spiritus omniscius, omnipræsens in spiritu colitur.* Ubicunque verus cultor est, vel mente tantùm, vel mente & corpore, ore, gestu Deum adorat, genua flectit, prosternit se, preces coram illo fundit. Unde Maimonidi servitium est precatio ad Deum fusa. עבורה זו היא תפלה tr. תפלה c. I.

XXI. *Sequitur tertium Praeceptum unâ cum seria comminatione: Non sumes nomen Jehovæ Dei tui in vanum, quia non innocentem habebit Jehova (eum), qui sumserit nomen*

nomen ejus in vanum. Non solùm verus Deus cognoscendus, spirituali modo colendus est, sed & profunda veneratione nomen ejus sumendum.

XXII. *Nomen Jehovae omne id est, quo nobis innotescit.* Malach. I, 11. Act. IX, 15. sive nomen strictè sic dictum, sive proprietas divina, verbum aut factum divinum sit. Cuncta hæc Dei sunt nomen adeoque ejus & nominum eadem ratio. Hoc *nomen Dei non est sumendum* vel in animo tantùm vel ore simul, Exod. cap. XXIII. v. 1. לשוא *in vanum*, quod facit is, qui absque reverentiâ cogitat de Deo aut qui non perpendit, num elocutio οἰκοδομὴν adferat cf. Ps. CXV. 11. vel qui illud falsò usurpat mentiendo Deum sibi aliquid revelasse, Ezech. XIII, 6. aut transferendo illud in Idolum, unde שוא sumitur aliquando pro *mendacio*, cf. Exod. XX, 13. cum Deut. V, 20.

XXIII. Plurimi alii casus sunt, in quibus interdictum hoc generalibus verbis conceptum violatur. Notabiliores sunt blasphemia, perjurium, juramentum temerarium, vanum, voti nuncupati violatio, impia vita illorum, qui in nomen Patris, Filii & Spiritus S. baptizati Matth. XXVIII, 19. Rom. II, 24. Jac. II, 7.

XXIV. *Virtute oppositionis ergò præcipitur Sanctificatio Nominis Divini.* Atque hæc peragitur *primò mente*, quæ Gloriam & Majesta-

jestatem Dei, perfectionum, verborum, factorum divinorum ingenti cum humilitate, filiali metu intuetur, admiratur, attollit, seque totum servitio Divino destinat. *Tum* internam hanc de Deo venerationem signis externis religiosus declarat *gestibus, sermone, opere.* De Deo sæpius, nunquam tamen sine reverentia, magna quoque cum voluptate ex cordis abundantia loquitur, alios ad dulce hoc colloquium invitat. Zelo ardet, quando nomen Dei profanatur, καλὴν ἀναστροφὴν inter quosvis, etiam hostes veræ Religionis & pietatis, ducitnec præmiis nec adversitatibus, ipsa morte ab officio hoc se abduci patitur, adeoque totus in eo, ut *sanctificetur nomen Dei.*

XXV. Ad sanctificationem Nominis Divini rectè refertur Juramentum, quod est *religiosa invocatio Dei, quâ is, tanquam cordium scrutator, testis appellatur de eo, quod coram alio affirmamus, negamus & vindex, si aliud in corde clausum tenemus, ad omne dubium eximendum iis, cum quibus nobis res est.*

XXVI. *Nam licitum est* 1. Ceu quod olim in V. T. ad decidendum controversias institutum Deut. VI, 13. Exod. XXII, 10. Non certè institutum, si nomen Domini in juramento in vanum sumeretur. 2. Hinc illud dixerunt Viri pietate inclyti, Abrahamus, Jacobus, tot alii. 3. Etiam in N. T. Angeli Apoc. XI, 5. 6. homines sancti, veluti Paulus, juravisse leguntur,

Rom.

Rom. I, 9. Phil. I, 8. 1. Thess. II. 5. 2. Cor. I, 23. 1. Thess. V, 27. Rom. IX. I. 4. Et quæ ratio juramenti ad controversias finiendum olim, ea hodienum Hebr. VI, 16. 5. Tandem ritè jurans sanctificat Deum ceu cui omnipræsentiæ, omniscientiæ, justitiæ, sanctitatis aliarumque perfectionum gloriam attribuit. Nec obstat Matth. V, 34. &c. Vetantur ibi temeraria juramenta, formulæ jurandi pravæ, sicuti ex circumstantiis elucet atque aliunde ex Historia notum est.

XXVII. *Licitum quamvis juramentum, si ritè dicitur, magna tamen prudentia & pietate circa id opus.* Detestandus abusus, qui corruptis his temporibus obtinet, meritò Magistratus cautos sollicitosque reddere deberet. *Sequentes verò regulas observasse juvabit. Primò* jurandum unicè est in nomine Dei, non creaturæ cujusdam, in quam non cadunt requisita, quæ cadunt in illum, in cujus nomine jurandum. *Dein* res gravis & magni momenti sit oportet, propter quam imponitur juramentum. *Præterea* juranti tempus dandum ad naturam juramenti perpendendum aut cum inscius, non prius admittendus est quàm rectè instructus de juramento. *Insuper* requiritur ut perspectum id sit, propter quod juramentum pronuntiatur. *Tandem* juranti loquendum est ut coram Deo, plenè, planè, verè. Nihil reticendum, nihil addendum.

XXVIII. *Succedit Præceptum quartum, tempus cultûs solennis describens. Memento diei Sabbathi, ut sanctifices illum. Sex diebus laborabis & facies opus tuum. At dies septimus est quies Jehovæ Deo tuo. Non facies ullum opus, tu, filius tuus, filia tua, servus tuus & ancilla tua, & jumentum tuum, etiam proselytus tuus, qui in portis tuis, nam Jehova sex diebus condidit cœlos & terram, mare & omnia, quæ in iis, & quievit die septimo, quare benedixit Jehova diei Sabbathi & sanctificavit illum.* Exod. XX, 8--12. cf. Deut. V, 12--16.

XXIX. *Superius c. IX. §. XXXV. jam notavimus diem septimum mox à creatione ex voluntate Dei celebratum fuisse. Tempore Mosis consultum videbatur Deo voluntatem renovare atque novis circumstantiis circumscribere, quod illa tempora poscebant,* Quoniam enim hoc ævo Idololatria serpebat, diem septimum accuratè observare jubebantur Israëlitæ, quippe permultum faciebat ad hunc errrorem tollendum & docendum, Solem, Lunam, stellas, non Numina sed creaturas esse.

XXX. *Quemadmodum autem unius rei possunt esse fines plures, ita ordinavit Deus, ut Sabbathum etiam esset signum* Exod. XXXI, 13. *umbra, figura quietis in Christo.* Coloss. II, 16. 17.

XXXI. *Circa tempus cultûs duo accuratè distinguenda sunt* scil. *tempus aliquod in genere consideratum, quod tranquilla mente absque distractione cultui Divino dandum. Tum speciatim dies septimanæ septimus absque ullo labore in quiete transigendus. Prius morale est. Posterius arbitrarium typicum.*

XXXII. Quod enim prius attinet, utique Deus

Deus ab homine poscit cultum omnium præstantissimum. Talis verò non est, quando opera servilia tractantur atque animus distrahitur. Ex adverso is est, ubi animus vacat ab alio labore & unicè Divina cogitat, agit. Dein homo non solùm curare debet corpus ejusque sustentationem, sed Spiritum quoque atque id quàm fieri potest optimè, quod verò intermissionem alius laboris requirit, adeóque certum aliquod tempus huic fini destinandum. Unde omni tempore veri imò etiam falsi Cultores ferias fixerunt.

XXXIII. Alterum verò arbitrarium typicum esse constat (1.) Etenim nulla extra revelationem solida ratio dari potest, quare quies die septima agenda. (2.) Et quæ ratio loci, ea temporis quoque: Locus cultûs verò arbitrarius Joh. IV, 21. 21. (3.) Paulus umbris V. T. Sabbatha accenset, Coloss. II, 16. 17.

XXXIV. *Unde nunc fluit Præceptum IV. ex parte morale, ex alia parte arbitrarium & typicum esse.* Ratione posterioris mutari poterat, imò mutabatur adventu Christi, Coloss. II, 16. Gal. IV, 10. 11. Non item ratione prioris.

XXXV. *Quare etiam sub N. T. tempus aliquod cultui sacro destinandum erat. Conveniebant autem Apostoli die primâ*, atque ea verbum divinum exponebant, Sacramento corporis & sanguinis Christi utebantur, Act. XX, 7.

XX, 7. eleemosynas colligebant 1. Cor. XVI, 1. 2. quæ hinc ἡμέρα κυριακὴ *dies Dominica* dicta videtur. Hoc Apostolorum exemplum primi Christiani, hos ad nostra usque tempora sequentes, secuti sunt. Et rectè. Aliquod enim tempus cultui solenni dandum erat. Hoc dabatur ab Apostolis, quos alii tutò imitantur. Notabilis dein hæc dies resurrectione Jesu Christi, quæ fidei Christianæ fundamentum.

XXXVI. *Ad sanctificationem Sabbathi moralem duo pertinent, quorum primum intermissio operum laboriosorum*, ceu quæ animum distrahunt, *non facies ullum opus* Exod. XX, 10. Hæc in lege Mosaica magno rigore poscebatur, ut etiam exiguus labor mortem promeritus fuerit. *Minimè tamen otium constituebat Sabbathum, sed illud quoad opera servilia præscribebatur, ut homo totus occupatus sit in cultu divino, privato, publico*, meditando, orando, legendo, quiescendo in Deo, opera Dei deprædicando, benefaciendo proximo, maximè misero, Lev. XXIII, 3. Act. XVI, 13. Luc. IV, 16. Act. XV, 21. Matth. XII, 10. 11. 12.

XXXVII. *Eadem, quam modò expressi, Sabbathi sanctificatio sub N. Testamento requiritur.* Nam officia hæc moralia sunt & ideò perpetuò durant. Dein Cultus N. Testamenti illo sub Vetere præstantior postulatur; Præstantior autem is sine dubio, qui totus sine

distractione ad gloriam Dei & spiritûs totalem elevationem compositus est. Verum quidem Christianos sanguine Christi in libertatem vindicatos esse, sed libertas illa probè intelligenda est. Minimè tanto pretio acquisita illa, ut nos imperfectiorem cultum præstaremus, nedum, quod vulgò tamen fieri cernimus, tempus otiando, lautiùs edendo, bibendo, nitidiori vestitu corpus amiciendo &c. transigeremus. Liberi sumus ab eo, quod typicum in Sabbatho, sed tempus cultûs nostri purâ, tranquillâ mente, quantum fieri potest, impendere tenemur. Ais: Omne tempus Deo sacrum esse. Utinam esset! Quis de Christianorum vita hoc judicium ferre potest? Ergò præstat tempus aliquod secernere atque illud integrum in servitio divino consumere.

XXXVIII. *Primò quidem Deo officia nostra debemus. Nunquam tamen illi officia ritè præstabimus, nisi simul Proximo,* Matth. XXII,39. 1.Joh.IV,20.Quare recensitis officiis erga Deum adduntur eadem erga proximum.

XXXIX. *Inter Proximum primum locum tenent Parentes,* quare de iis primò כבד *gravitatem tribue Patri tuo & Matri tuæ,* additâ promissione, *ut prolongentur dies tui super terra, quam tibi Jehova Deus tuus daturus est.*

XL. *Ii, in quos honos conferendus, Patris & Matris nomine insigniuntur. Intelliguntur autem*

autem primo Genitores nostri, quibus ortum, conservationem, curam, benedicente Deo, debemus. *Tum omnes alii, qui similia officia, beneficia nobis præstant*, quoad animam vel quoad corpus, vel quoad corpus & animam simul, quales sunt Ministri Verbi Divini, Magistratus, Heri. Parentum ergo nomen & hi merentur, quandoquidem agunt, quod Parentes & aliquando plus. Unde in Scriptura etiam hoc nomine insigniuntur Gal. IV, 19. 1. Cor. IV, 15. Philem. 10. 1. Tim. V, 1. 2. 2. Reg. II, 12. Gen. XLI, 43. Jes. XXII, 21. XLIX, 23. & servi dicuntur *filii*, παῖδες *pueri* Gen. XV, 2. Matth. VIII, 6.

XLI. *Honor iis debitus continet præclaram de iis existimationem* ortam ex conscientia, Rom. XIII, 5. agnoscente divinam ordinationem, pensitante magnum, quod ab iis hauriunt, commodum. *Hæc se exerit per gestus verecundos, verba reverentiam testantia. Reverentia necessariò poscit obedientiam* in omnibus, quæ non adversantur obedientiæ, quam Deo debemus Eph. VI, 1. licet æqua non sint, 1. Petr. II, 18. Nam qui alteri inobediens existit, eum quoque irreverenter habet. Cum obedientia conjunctum sit oportet auxilium pro circumstantiis varium, quod filius, discipulus, subditus, servus, Patri, Præceptori, Magistratui, hero ferre tenetur.

XLII. *Eo ipso autem, quia filii Parentes*

aut qui eorum loco sunt, honorare jubentur, Parentes & qui similem χέσιν præ se ferunt filiis officia, quæ venerationem promerentur, vicissim debent, qualia tractare eos filiorum instar, commodum eorum quoad corpus, animam, bona promovere, defendere adversus hostes. Ex generalibus his fluunt officia mutua specialia.

XLIII. *Succedit præceptum VI.* לא תרצח *Ne occidas.* Quoniam vitâ nihil pretiosius, præceptum hoc antecedit reliqua, quæ legitimam hominum propagationem, bona, famam concernunt.

XLIV. *Præcepto hoc vetatur homicidium,* (רצח enim de hominum cæde tantùm usurpatur.) Quia autem generalibus verbis tulit νομοθέτης, docuit nos, ut illud generaliter quoque exponeremus, neque restringeremus, ubi ipse non restringit.

XLV. *Hac ratione vetatur cædes proximi sine discrimine ætatis, conditionis, sexûs.* Lex naturæ id unumquemque docet. A Deo homo vitam accepit, alius eam ipsi adimere nequit. Unde jam primis temporibus statutum, ut occideretur, qui occidit, Gen. IX, 6. Huc quoque referendum, si quis per alium mortem infert: Aut alteri negat, quod ei ad vitam ducendam absolutè necessarium: Vel non eripit præsenti periculo, a quo illum liberare valet. Aut denique si quis bellum injustum gerit,

vel

vel ultrò sequitur. Quale bellum nihil nisi grande latrocinium.

XLVI. *Vetatur dein* αὐτοχειρία, quæcunque causa prætendatur. (1.) Nam præceptum sextum non habet, ne occidas proximum, sed absolutè *ne occidas*. (2.) Quæ ratio mortis proximo non inferendæ, eadem non sibi ipsi. Nemo dominus sui ipsius. (3.) Vel quare manum violentam quis sibi infert? An periculum? An desperatio? An peccatum? An bonum majus consequendum in causa? Nullum valet. Potius αὐτοχειρ graviter peccat adversus voluntatem, Providentiam, longanimitatem Dei, & dum malo finem facere cogitat, aggravat illud. (4.) Flagitiosi & à Deo rejecti omnes illi, qui in Scriptura ut αὐτόχειρες allegantur.

XLVII. *Vetatur* non solùm *homicidium* externum & actuale, sed & *internum, potentiale, quodque ad actuale ducit*. Quando enim Legislator generaliter ait, *ne occidas*, rectè subintelligi potest quacunque ratione. Et qui alterum occisum cupit, in oculis Dei perinde ac si eum occidisset. Voluntas pro actione habetur. Neque enim penes illum stat, quòd alter in vivis manet, sed Deus, qui pravæ cupiditati obstaculum ponit, in causa. Prohibetur ergo (a) ira, animus vindictæ cupidus, Matth. V, 22. 1. Joh. III, 15. (b) Convitium levius, gravius, Matth. V, 22. (c) Multò magis ver-

bera, vulnera vetantur. Hæc cuncta amori proximi non solùm adversantur, sed primus gradus, ansa, materia actualis homicidii.

XLVIII. *Excipimus primò Magistratum, qui hominem sceleris morte digni reum neci tradit.* (1.) Talis quippe occidendus Gen. IX, 6. Non tamen privati cujusdam voluntate: Ergo judicio Superiorum. (2.) Unde Deus in Republica Judaica varia supplicia capitalia (vulgò quatuor nominant) pro variis sceleribus instituit, exequendaque serió præcepit Lev. XX, 1--9. (3.) Eadem necessitas sub N. Testamento. Malum nunc non minùs exterminandum ac olim. (4.) Unde Paulus Rom. XIII, 4. ait potestatem supremam *gladium*, cujus in decollatione usus, *non frustrà gestare*. Attamen Superioribus magna sollicitudine, timore, hac potestate utendum, ne vivere sinant illos, quos Deus ad mortem condemnavit, interimant verò, qui leviora delicta adversus leges humanas perpetrarunt. Habent & illi superiorem absolutum Dominum vitæ & necis, cui ratio reddenda erit.

XLIX. *Magistratus quoque bellum, si illud legitimum, ducere valet.* Neque enim bellum in se illicitum. Aliàs nullum unquam geri præcepisset Deus. Rationes, quas modo suprà pro jure necis Magistratui concesso allegavimus, militant quoque pro jure belli legitimi. Et si quis privatus violentum aggressorem inter-

interficiendi jus potestatemque habet, habet multò magis Magistratus.

L. *Dixi autem, si bellum legitimum.* Illegitimum à latrocinio non differt, nisi quòd longè detestabilius in oculis Dei. Quale bellum est, quod suggerit cupiditas dominii, gloriæ, victoriæ, & cujus causa absque effusione sanguinis è medio tolli potuisset. *Legitimum* verò, *quò vis hostis propellitur, jura magni momenti defenduntur, & proximo ingenti injuriâ & damnò affecto auxiliumque imploranti opes feruntur.* Nec sufficit ex justa causa bellum incipere, illud legitimo quoque modo continuandum, finiendum.

LI. *Dein excipimus illum, qui violentum aggressorem ad propriæ vitæ consulendum occidit.* 1. Vita, quam unicuique Creator concredidit, conservanda tam diu, quamdiu ipse eam non reposcit. Id jus nulli aggressori datum est. Qui igitur alia via manus ejus effugere nequit, adversus invasorem se defendit. 2. Exod. XXII, 2. Si fur noctu ædes perrumpens ex lege occidi poterat, non minùs latro aut hujus furfuris homo. Nec juvat dicere Legem esse V. Testamenti, quandoquidem nulla ei ratio inest, quæ solos Judæos respiciat. Cautè tamen in tali casu versandum. Abesse debet omnis pravus affectus: Omne, quod agit, agit ad vitam, quam Deus dedit, conservandum. Effugit periculum, si rima patet.

LII. *Tandem excipiendus est qui casu præter omnem intentionem vel sibi vel alii vitam adimit.* (1.) Id demum facinus est, quod quis facere cogitat, præsumit. (2.) Talem lex divina absolvit, Num. XXXV, 22. Deut. XIX, 4. Exod. XXI, 13. (3.) Atque in ejus gratiam Asyla cis & trans Jordanem ordinabantur. (4.) Homicidium casuale Deo adscribitur, Exod. XXI, 13. Valet autem de illo, qui, dum casu alterum interfecit, in re licita versabatur, non verò in re illicita.

LIII. *Ex adverso mandatur* Φιλανθρωπία *amor hominis, qui creatura Dei, caro nostra. Humilitas*, quâ de nobis tenuiter judicamus. *Patientia*, quâ malum nobis illatum patienti animo ferimus. *Placabilitas*, quâ proni sumus in amicitiam redire cum eo, qui nos læsit. *Auxilium* proximo ferendum in eo, quô illi prodesse valemus, sive vitam in genere sive corpus sive animum speciatim concernat.

LIV. *Septimum, quod ordine sequitur, præceptum ita sonat;* לא תנאף *non mœchaberis.* Vox ex usu *adulterium* notat, sed hinc non sequitur, adulterium & quidem externum solum prohibitum esse. Nam quemadmodum reliqua præcepta, uti sextum, sub una & quidem graviori specie comprehendunt reliquas, quæ ad idem genus pertinent, quæque ad graviorem ducunt, ita quoque se res habet cum septimo. Quæ legis mens, saltem Christianis, clarissimè

ex

ex expositione Christi Matth. V, 28. 32. constat. Nec Moses dixit *non mœchaberis* externè, sed simpliciter *non mœchaberis*, quacunque ratione flagitium hoc perpetratur, aut etiam tanquam venenata herba plantatur, fovetur.

LV. *Prohibetur ergò adulterium externum*; sive conjugatus cum conjugata sive cœlebs cum conjugata aut conjugatus cum cœlibe sive cœlebs cum sponsa rem habeat, qualis casus adulterio conjugatorum in lege gravior habetur, Deut. XXII, 21. Hoc scelus tantæ fœditatis apud Deum, ut, qui eo impliciti sunt, mortem subire debeant.

LVI. *Prohibetur dein adulterium internum*, sive cordis, quo quis impurâ libidine alterius conjugis flagrat. Atque hoc tantò turpius est, quantò magis voluntarium & quò illud patrandi impurus majori studio occasionem quærit aut oblatam admittit, Matth. V, 28.

LVII. *Prohibetur insuper omne id, quod occasionem & materiam adulterii præbet*, Matth. V, 32. *Omnis qui dimiserit uxorem suam extra causam scortationis*, ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι *facit illam scortari.*

LVIII. *Ad hanc Classem rectè referuntur* (a) *sermones lascivi*, impuri cordis certi indices, incitamenta turpium cogitationum in audientibus. (b) *Libri spurci*, quibus quoq; accensendi illi ex Auctoribus Classicis, qui impudicos

amores referunt. (c) *Convivia & conventicula libidinosorum hominum.* (d) *Spectacula,* (e) *Choreæ.* (f) *Imagines libidinosæ.* (g) *Oscula & contrectationes minus castæ.* (h) *Vestitus lascivus*, qui partium corporis, quas honestas tegere jubet, retectione aliorum oculos allicit atque fornicatione mentem replet, aut saltem occasionem materiamque præbet. Qualis quidem passim inter Christianos tolerandus non est, sed supra quàm dici potest detestabilis in cœtibus Sanctorum. Sanctissimum Numen, quod tanta severitate adulterium proscripsit, proscripsit quoque omne incitamentum ad id.

LIX. *Communiter & rectè inter peccata septimi præcepti numeratur scortatio.* Soluti cum soluta commixtio, ceu quæ cum adulterio multum affinitatis habet, & aliquando eodem nomine venit, Matth. V, 32. Vetita illa in lege Mosaica, maximè in Scriptis N. Testamenti. Quoniam enim Gentes vel negabant scortationem peccatum esse, vel leviſſimum habebant, tantò fortiùs se illi Apostoli opposuerunt, Act. XV, 29. maximè Paulus 1. Cor. VI, 9--f. ex cujus testimonio fœdissimum scelus, quod cœlo excludit, à Christo separat, cum scorto intimè conjungit, Spiritum S. propellit, est.

LX. *Dum verò sanctus Deus adulterium & omne, quod ad id ducit, prohibuit, ex opposito præcepit cordis munditiem*, sine qua vetito obedientia præstari nequit, Matth. XV,

19.

19. Est autem cordis mundities, quâ purificatus immaculatas virtutes Dei attentè perpendit, cum Deo se in Spiritu conjungit atque eum super omnia sincerè diligit. Qui verò corde mundus, ille sermones castos, gestus verecundos, opera sancta ducit, præ se fert, agit. Corpori cibum potumque ad necessitatem non ad lasciviam porrigit. Oculos, aures coërcet ab illecebris & objecta decora offerri procurat. Conversatur cum Sanctis, piis: Lectitat libros bonos ad ædificationem in fide compositos.

LXI. *Dein probat Conjugium secundùm leges ritè institutum.* Estque *unius viri & fœminæ per legitimum consensum individua conjunctio ad communionem corporum, propagationem generis humani, societatem vitæ in timore Dei ducendæ.* Qualis status in se minimè malus, utpote à Deo institutus, naturâ sic ordinatâ necessarius: In statu peccati tentationum remedium & gloriam Dei variè pandit, Ecclesiamque propagat. Quando verò per accidens vitiosus redditur, id ipsi statui non tribuendum.

LXII. *Ad statum hunc rectiùs cognoscendum, consideranda sunt ea, quæ illum antecedunt, quæ comitantur, quæque siniunt.*

LXIII. *Antecedere debent quatuor.* I. *Distantia sanguinis* juxta legem Lev. XVIII. Tutiùs illi agunt, qui non solùm à gradibus consanguinitatis nominatis abstinendum esse judi-

judicant, sed & iis, qui, licèt non expressi, tamen cum prioribus eandem rationem propinquitatis habent. II. *Consensus sponsi & sponsæ.* Isque veri nominis sine coactione, deceptione. Absque consensu utriusque partis nullum instituitur matrimonium. Contractus enim de re leviſſima sine consensu contrahentium non habetur, quantò minus de re maximi momenti. Ne dicam de absurdis, quæ ex negato consensu profluerent. Boni ordinis gratiâ consensus hic coram idoneis testibus sive verbis sive scriptis declaratur. III. *Consensus quoque Parentum*, si contracturis tales sunt. (*a*) Quòd si enim liberi Parentibus obedientiam debent κατὰ πάντα, tum etiam in conjugio ineundo. (*b*) Parentibus in Sacris tribuitur, quòd sint causa efficiens matrimonii, Jer. XXIX, 6. 1. Cor. VII, 38. Exod. XXXIV, 16. (c) Imò, quod plus est, datur Patri potestas, consensum, votum filiæ rescindendi, Exod. XXII, 16. 17. Num. XXX, 6. (*d*) Unde conjugia probata, veluti Isaaci, à Parentibus instituebantur Gen. XXIV. Sed improbata illa, quæ renuentibus Parentibus facta, Gen. XXVI, 34. 35. IV. *Neuter contrahentium alii fide conjugali conjunctus sit oportet.* Matrimonium adeoque inter duos tantùm legitimè contrahitur. (a) Adversatur alioquin primæ matrimonii institutioni, quæ sapientissima & optima, reliquorumque exemplar. (b) Quam fidem uxor marito debet, eam maritus uxori

uxori. (c) Maritus & uxor ex intentione Dei conjungentis sunt *una caro* Gen. II, 24. quod in Polygamia non obtinet. (d) Nequit lex citari, quæ primam illam institutionem abrogavit. Potiùs legis illius vis subsequenti tempore, speciatim sub N. Testamento inde constat, quia à Christo ad probandum citatur, Matth. XIX, 5. 6.

LXIV. *Quæ comitantur conjugium, referri possunt vel ad officia communia vel specialia.* Illa quæ vel sibi invicem debent vel unâ familiæ. Hæc, quæ vel maritus uxori aut uxor marito exhibere tenetur.

LXV. *Officia communia, tum quæ sibi invicem* (1.) Dilectio specialis aliam quamvis erga homines superans, Eph. V, 28. unde confertur cum amore mutuo Christum inter & Ecclesiam. (2.) Fidelitas in observandis cunctis, quæ jura conjugum poscunt. (3.) Cohabitatio 1. Cor. VII, 10. 11. 1. Petr. III, 7. quâ easdem ædes inhabitant iisdemque cibis utuntur. (4.) Communio corporum in timore Dei secundùm finem matrimonii à Creatore instituti Gen. I, 28. 1. Cor. VII, 4. (5.) Mutuum auxilium Gen. II, 20. quo pertinet speciatim usus opum legitimus. *Tum quæ unâ familiæ debent*, veluti illi prospicere de necessariis, præire liberis, famulitio in cultu divino. Verbo unâ id curare debent, ut toti domui quoad corporalia & spiritualia bene sit.

LXVI.

LXVI. *Speciatim maritus uxori* debet prudens & benevolum regimen, memor quòd quidem caput uxoris, sed quòd ea unâ secum caro sit. Eph. V, 33. Colos. III, 19. Dein honorem, utpote uxor cohæres gratiæ vitæ. 1. Petr. III, 7. Tandem victum & amictum aliaque necessaria. *At uxor marito* subjectionem, reverentiam, obedientiam, studium rei familiaris, quantum ratio sexûs sui permittit, promovendæ, Eph. V, 22--25. 33. 1. Petr. III, 1. Prov. XXXI, 10. &c.

LXVII. *Solus Deus conjugio finem imponit, sive quos conjunxit, solvit*, & tum quidem, quando unum conjugatorum è vita evocat, alter à vinculo liber est, atque ad secundas nuptias transeundi jus habet, Rom. VII. 3. *Præterea statuit solutionem vinculi conjugalis in casu adulterii*, Matth. cap. XIX. vers. 9. *Quicunque dimiserit uxorem suam εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ nisi ob fornicationem, mœchatur.* Ergò non mœchatur, si dimiserit ob fornicationem. Quod porrò inde patet, quoniam pars nocens jam solvit, ceu quæ, quum esse deberet una caro cum altera parte, facta est una cum scorto 1. Cor. VI, 13. Præterea ex lege adulter aut adultera ad mortem tenetur; Mors verò conjugium dissolvit. Videtur tamen Lex Mosaica Deut. XXIV, 1. coll. cum. Matth. XIX, 7. 8. præter scortationem alias turpes actiones divortii causas toleraſſe, quæ verò à Christo rescindebantur atque ad λόγον πορνείας restringebantur.

An

An huic Paulus tanquam alteram causam malitiosam desertionem addiderit, 1. Cor. VII, 15. non satis liquet. De secundis nuptiis nihil habet. Quare Christiano Magistratui multa prudentia & pietate opus, ne disjungat, quos Creator & Redemptor conjunctos vult, Matth. XIX, v. 3--10.

LXVIII. *Sequitur Præceptum octavum.* לא תגנב *non furaberis.* גנב de illo dicitur, qui invito domino rem alienam clam surripuit, Gen. XXXI, 32. Job. XXI, 18. Nominat adeoque rursum speciem injustitiæ & intelligit quasvis alias. Nam quæ ratio illius, eadem harum. Unde in speciali deductione Decalogi Moses multas alias exprimit & eas extra Rempublicam Judaicam proscribit.

LXIX. *Ad Præceptum hoc rectius intelligendum observamus vetari omnes injustas contrectationes* (1.) *Ratione bonorum.* (2.) *Ratione modi.* (3.) *Ratione personarum.* Unde Legislator generaliter locutus est: *Tu* (*quisquis es*) *non furaberis* quidquid sit, quocunque modo.

LXX. (1.) *Ratione bonorum. Omne quod alterius est, illi in pace relinquendum; Quod alterius est, illud vel persona vel res usui pio consecrata aut communis. Communis vel Magistratus vel hominis privati, divitis aut pauperis. Pro circumstantiis furtum gravius vel minus grave.* Gravius illud, quod committitur circa

circa personam quam circa rem. Gravius dein, quo auferatur bonum Deo consecratum quàm quod hominis. Gravius insuper, quod Magistratus, quàm hominis privati res surripit. Gravius tandem, quod pauperi rapitur quàm diviti. Gravius ultimò, si illud quod quotidiani usus, majoris fructus, ex natura sua à rapacibus manibus secludi nequit quodque per multum tempus in manu injusti domini extitit atque ab eo in usum suum conversum est, furto ablatum, quàm quod rarioris usus, minoris fructus, facilè asservandum & quod recens sumtum.

LXXI. *Pro diversitate furti autem variat pœna.* Plagium, Sacrilegium punitur morte Exod. XXI, 16. Jos. VII, 25. Furta alia non item, Exod. XXII. Neque enim inter pecuniam aut simile bonum & inter vitam hominis proportio est.

LXXII. (2.) *Ratione modi. Injustè contrectatur bonum proximi vel vi vel dolo: Vel palàm vel clàm.*

LXXIII. *Vi* rapiunt aliena spoliatores, latrones, etiam divites, contra quos pauperes causam suam perficere nequeunt.

LXXIV. *Dolus* variè committitur. Veluti quando vitiosum bono permutatur, aut pretium supra quàm æquum est augetur, imminuitur, vel duplex mensura, major ad accipiendum, minor ad dandum in negotiatione adhibetur, aut quando una contrahentium alteri sinceritatem

tatem jactanti credit, vel si judex muneribus, fictis testimoniis &c. corrumpitur. Mitto mille modos, qui pro diversis rationibus in contractibus contingere possunt continguntque.

LXXV. *Palàm* injustus est, qui aliis videntibus bonum, quod proximi, rapit, nec ipse negat. *Clàm* verò, qui astu vel sub specie aliqua alienum possidet. Qui ex sententia Judicis aut jure præscriptionis bonum, quod in conscientia sua proximi esse novit, tenet.

LXXVI. (3.) *Ratione personarum. Omnes cujuscunque status suum cuique relinquere debent.*

LXXVII. *Divites* & qui in dignitate constituti sunt, solicitè curare debent, ne egestate pressos bonis ulla ratione fraudent aut cogant vendere opes magno cum detrimento. *Judices* quoque, ne injustâ sententiâ secundùm partes pronuntient. Nam & hac ratione præceptum octavum violatur.

LXXVIII. *Etiam pauperes* divitum opes intactas sinere debent. Nam iis propriæ sunt. Deus illis dedit, Prov. XXII, 2. 1. Sam. II, 7. Pax publica aliàs turbaretur. In Scriptura sacra nullibi pauperi jus conceditur furandi. Ejus est laborare & labore victum quærere. Qui invalidus, egestatem suam precibus Deo & proximo commendet. Magistratus verò illi prospicere tenetur, ut habeat, unde vivat. In

casu necessitatis avarum nolentem ad indigum bonis suis juvandum cogere valet.

LXXIX. Præceptum hoc præsupponit *dominium seu proprietatem bonorum, quâ hæc ita ad unum aliquem pertinent, ut eodem modo ad alium non pertineant.* Neque enim aliàs *furto* locus daretur.

LXXX. *Dominium, quod homini est, vim omnem à voluntate Supremi Domini habet.* Propriè enim cuncta creata solius Dei sunt. Unde qui rei creatæ verus proprietarius esse vult, esse debet ex voluntate Creatoris & Conservatoris.

LXXXI. *Hic, quando terram creabat, eam Adamo & Evæ omnibusque eorum posteris subjecit*, unde homines domini terræ bonorumque terrestrium instituti sunt.

LXXXII. *Si genus humanum in primigenia rectitudine perseveraſſet, haud dubitandum, tale unà in terram ejusque bona dominium habitum fuisse, ut omnes incolæ contenti absque querela vixissent.* Qui quoque Creatoris scopus, ut terra omnibus hominibus pariter inserviret. Naturâ non est discrimen inter hominem & hominem, ut ad hunc magis pertineat terræ usus quàm ad illum.

LXXXIII. *Sed ex peccato in mundum introducto tanquam malè fœcundâ radice pullulabant varii venenati fructus, qui communi dominio adversabantur. Unde necessitas imposita*

posita, dominium magis proprium tenendi. Nullus alioquin contentionibus finis Gen. XIII, 8. Nec terra bene culta fuisset: Communia enim solent negligi, tum maximè, si fructus non proprii ejus, qui eam coluit, vel etiam si quisquis alius eâ pro lubitu uti valet.

LXXXIV. *Proprietatem, quam præsens noster status requirit, Lex Divina probat.* Clarissimè id constat ex Republica Judaica à Deo ordinata. Non solùm populus Judaicus terram propriam possidebat, sed & illa juxta tribus, familias distribuebatur. Habebat dein leges venditionis, oppignorationis, servitii, furti &c. quæ cunctæ communionem bonorum tollunt. Etiam Ecclesia N. Testamenti nulla lege ad renuntiandum proprietati tenetur. Laudatur quidem fervidioris primitivæ Ecclesiæ factum, Act. II, 44. 45. sed non lege ad imitandum inculcatur, Act. V, 4. Imò videtur, cœtus, qui postea colligebantur, certis ex causis bona sua retinuisse. Unde in Epistolis Apostolorum frequens ad Eleemosynas erogandas exhortatio. Leges plures, quas heri, servi observare debent, apud Paulum & Petrum prostant, quæ nullius usus, si Christianismus propria bona respueret. Tandem divitibus hujus mundi mandatur liberalis opum usus, non renuntiatio dominii, 1. Tim. VI, 17. 18.

LXXXV. *Hôc præmissô sequitur, illum veri nominis proprietarium esse, qui bonum sub*

justo titulo possidet. Talis titulus obtinetur (a) proprio labore. (b) Hæreditate ex dispositione ejus, cujus res erat Gal. III, 15. (c) Donatione inter vivos. (d) Justâ occupatione. Res, quæ nullius, sunt primi occupantis. (e) Legitimo contractu, cujus vi unus contrahentium alteri bonum suum communicat eâ lege, ut tantundem ab altero accipiat. Juxta tritum: *Do ut des*: *Do ut facias*: *Facio ut des*: *Facio ut facias.*

LXXXVI. *Ergo mercatura, quæ justis æquisque Legibus circumscripta est, verum dominium constituit.* Scriptura eam nullibi absolutè vetat, sed tantùm fraudem, aliaque vitia, quæ huic vitæ generi adhærent, Lev. XIX, 35. 1. Thess. IV, 6. Amos VIII, 5. 6. Insuper integris regionibus, quarum solum ita comparatum, ut incolas suos ritè sustentare nequeat, perutilis & tantum non necessaria negotiatio est.

LXXXVII. *Minimè tamen probatur ea, quæ tota lucro inhiat, proprium nonnisi quærit commodum atque materiam præbet luxuriosæ & superbæ vitæ*, quâ totæ familiæ, urbes, regiones pereunt. Ne dicam, fallacias quasvis à negotiatione abesse debere. Mercator bonus oportet simul sit Christianus. Ubi verò negotiatio ejus à regulis Christianismi recedit, malè illa audit.

LXXXVIII. *Etiam usura bene moderata præcepto octavo vel dilectioni erga proximum non*

non adversatur. Quod ita intelligendum, quando is, cui pecunia mutuò datur, ipse opibus valet, mutuò ad lucrandum utitur. Quo in casu partem lucri proprietarius rectè accipit. Dein usura æqua, quam alter absque damno solvere valet, requiritur, Usura gravis à nemine; A paupere, qui exiguam summam vitæ tolerandæ causâ accepit, nulla prorsus exigenda est. Atque postremo modo Lex Mosaica, Exod. XXII, 25. Lev. XXV, 36. 37. intelligenda est.

LXXXIX. *Præcepti noni verba sunt. Non respondebis adversus proximum tuum testimonium falsum,* Exod. XX, 13. Vitium ergo, quod disertis verbis vetatur, est omne testimonium falsum à quocunque latum adversus רע *proximum,* quicunque ille fuerit.

XC. *Testimonium falsum perhibetur vel publicè coram Magistratu, vel privatim in sermone cum alio instituto.* Illud longè pessimum, ex quo gravissimum damnum oritur, & quod eo in loco prolatum, in quo veritatis summa ratio habenda. Omne enim judicium humanum refert divinum.

XCI. *Perhibetur autem testimonium falsum vario modo.* (1.) Non solùm si totum studio effictum est ad nocendum proximo. (2.) Sed & quando ex parte verum, ex alia parte falsum est. (3.) Vel etiam si tacentur nonnulla, quæ tamen momentum quæstioni adferunt.

(4.) Aut quando verba proferuntur sensu à mente dicentis alieno.

XCII. *Vitium hoc committere solent primò partes litigantes*, quæ, ut una alteram oneret, falsa comminiscuntur, quarum tamen esset rem nudè recensere, malè facta confiteri, ut Judex verum æquumque judicium ferre queat. *Dein delatores*, qui vel ex lucro vel ex invidia factum apud Magistratum deferunt, quum tamen neminem publicè deferre liceat, nisi ex conscientia coram Deo atque publici commodi ergô. *Insuper testes* subornati, qui testantur de eo, quod non norunt aut de quo aliter in mente persuasi sunt. *Præterea advocati*, qui omnibus causis, etiam evidenter malis, lucri, honoris gratiâ patrocinantur, fraudes, procrastinationes, non fundatas exceptiones excogitant, quorum hominum sors longè miserrima est & qui pestis non dicam Ecclesiæ, sed Reipublicæ. At advocatus, qui munere suo coram omniscio Deo defungitur, præclarum munus gerit, à quo Salvator & Spiritus S. denominantur. *Tandem Judices*, qui causâ nondum examinatâ vel muneribus aut προσωποληψία corrupti adversus insontem sententiam ferunt.

XCIII. *Peccant & illi* adversus hoc præceptum, *qui*, quamvis non coram judicio, attamen *in discursibus suis famam proximi lædunt aut in aliorum*, maximè potentiorum,

aures

aures ficta insusurrant, quique ψιθυριστὰι dicuntur Rom. I, 30.

XCIV. *Nec immunes sunt ab hoc vitio illi, qui de proximo temerè judicant* ex fama tantum vel suspicione, affectu, rationibus non probantibus judicium sed apparentibus nonnisi.

XCV. *Horum omnium* (licèt non pariter) *actiones perquàm turpes sunt.* Nam (1.) tollunt charitatis, quam proximo debent, præceptum & faciunt aliis, quod sibi fieri nolunt. (2.) Lædunt proximum variè, non solùm famam, quæ tamen primo post vitam loco habetur, sed & bona, quietem, aliquando vitam ipsam. (3.) Serunt discordiam, lites, verbera, seditiones, & tot alia peccata. (4.) Personam Dei magno cum damno fœdè sumunt Jac. IV, 11. 12. Matth. VII, 1. (5.) Veritati, dictamini conscientiæ repugnant. (6.) Ortum plurimùm habent ex fastu, invidia animi.

XCVI. *Non tamen temerè judicant illi, aut obtrectant, qui de insigni peccatore, malo proximo vera narrant, vel verè sentiunt.* Neque enim tenebras lucem vocare licet. Quamvis multâ prudentiâ & charitate opus sit ad scelus detegendum. Affectibus nullus locus dandus est. Impellere debet nonnisi fervor pro gloria divina, salus publica aut proximi, spes promovendæ pietatis, impediendæ impietatis, hypocriseos.

XCVII. *Testimonium falsum*, de quo hactenus, *præcipua species mendacii, quod generaliori notione venire solet. Aliæ species sunt*, veluti qui mentitur ad oblectandum alios temporis transigendi gratiâ & vocatur *mendacium jocosum*, aut qui mentitur ut utilis sit proximo & dicitur *officiosum*.

XCVIII. *Magnum quidem discrimen inter memoratas species esse facilè largimur*, testimonium falsum sive mendacium pernitiosum gravissimum, jocosum non ita grave, officiosum levius. *Attamen nullum ex iis à peccato eximere licet.* (1.) Quod propriè naturam mendacii (omne verò mendacium malè audit in Scriptura) facit, omnibus tribus speciebus inest, scil. repugnantia sermonis aut alius signi cum corde, à qua varius finis vel lædendi vel oblectandi vel juvandi (qui gravitatem mendacio addere solet vel non) distinguendus venit. (2.) Non licet malum facere, ut ex eo bonum oriatur, Rom. III, 8. (3.) Est quædam diffidentia erga Deum, ac si is alia ratione quàm per mendacium auxilium ferre non posset. *Dicere* itaque *quædam mendacia esse justa, est dicere, aliqua esse justa peccata.*

XCIX. Vi oppositionis præcipitur *veracitas, studium loquendi sive alio signo externo indicandi, quæ cum re cordisque cogitatis conveniunt.* Diserta præcepta exstant, ex quibus

Eph.

Eph. IV, 25. λαλεῖτε ἀλήθειαν, *loquimini veritatem, unus cum alio.* cf. Zach. VIII, 16.

C. *Studendum quidem veracitati in omni sermone, tum maximè, quando salus proximi & gloria Dei requirit.* Grave peccatum committit is, qui veritatem in corde solùm tenet, eam verò ore negat, Matth. X, 33. Hoc in casu παῤῥησία hominem plurimùm decet.

CI. *Non tamen veritas, præprimis quæ dicentem aut proximum in periculum conjicit, absque necessitate propalanda est. Qui cohibet verba sua, pollet notitiâ: Qui obthurat labia sua, is intelligens*, Prov. XVII, 27. 28. *Si locutio argentum, silentium aurum*, in Proverbio rectè aiunt Hebræi. Respectu ad personas, tempus, locum, rem, habito, prudens tutiùs tacet & ne quidem rogatus, si rogans jus nostra cognoscendi non habet, ad quæstionem respondet.

CII. Ultimum præceptum tale est: לא תחמד *Non concupisces domum proximi tui, non concupisces uxorem proximi tui, vel servum ejus, vel ancillam ejus, vel bovem ejus, vel asinum ejus, sive omne, quod proximi tui est*, Exod. XX, 16. cf. Deut. V, 21. ubi id ipsum sensu, quamvis non verbis & ordine, occurrit.

CIII. *Concupiscentia vel in genere, vel in specie consideratur: Illô modô*, tanquam naturalis facultas, quæ in mente humana, quâ hoc

vel illud appetere possumus. *Hôc modô* rursum bifariam consideratur, vel ut appetitus tendens ad recta, bona, legi conformia, aut ad prava, carni grata, legi adversantia. Quando igitur vetatur concupiscentia, palàm est, non vetari facultatem appetendi, utpote quæ naturalis & magnum hominis bonum est, non etiam appetitum rectum, sed pravum, unde etiam Legislator non in genere ait: *Non concupisces*, sed speciatim *non concupisces domum proximi tui* &c. Etiam Paulus epitheta, veluti *concupiscentia carnis*, *mundana* &c. addere solet.

CIV. *Concupiscentia mala varios gradus habet*, vel sponte oritur in homine corrupto, vel studio excitatur, vel insuper cum oblectamento fovetur, vel tandem ope mediorum consummatur & exerit se per externam actionem, violentam, uti latro, vel clandestinam, quæ aliquando sub prætextu juris latet. Non quidem eadem horum graduum ratio est, attamen etiam primus peccaminosus, ceu in quo ἀνομία & qui naturâ suâ Deo adversatur. Vide quæ jam diximus Cap. X. §. XLVIII.

CV. *Objecta, in quæ concupiscentia fertur, innumera sunt.* Omne, quod proximi, imò etiam quod suum est & non ordinatè, contra legem, appetitur, prohibetur. Expressit νομοθέτης domum, uxorem, servum, ancillam, bovem, asinum,

asinum, agrum, tanquam præcipuas species, quibus aliæ subordinari possunt.

CVI. *Ultimum hoc præceptum generale, sanctissimum, primam radicem omnium peccatorum resecat atque clarissimè docet, Deum non solùm actuale homicidium, adulterium, furtum, contumeliam, sed etiam concupiscentiam tale quid patrandi pro peccato habere,* sicuti Christus præceptum VI. & VII. exponit, Matth. V, 22. 28.

CVII. *Concupiscentiæ opponitur abnegatio sui ipsius & animus sorte sua contentus,* (1.) Is dicitur seipsum abnegare, qui propriæ voluntati, cupiditati renuntiat seque Deo totum subjicit. Officium, quod Deo debemus, justissimum, utpote homo totus Creatoris & Conservatoris sui est. Res aliæ quævis ejusdem sunt, ipsi itaque relinquendæ, ut de iis disponat. (2.) Αὐταρκὴς verò is, qui sorte sua, qualiscunque illa, contentus vivit. Si desunt bona vel animi vel corporis, vel fortunæ, non murmurat ob defectum: Agnoscit Deum esse distributorem omnium beneficiorum, illum de suis facere posse, quidquid ipsi lubet: Fatetur, se plura benignâ Dei manu accepisse, quàm promeritus est: His utitur cum gratiarum actione, atque omnes molestias spe æternæ vitæ, sibi pauperi non minùs quàm diviti destinatæ, perfert. Quâ ratione *quæstus magnus pietas est cum acquiescentia*, 1. Tim. VI, 6.

CVIII.

CVIII. *Decalogo ejusque præceptis κατ' ἐξοχὴν expositis facilè liquet, summam eorum contineri amore Dei & proximi.* Nullum ex illis violatur vel transgressio incurrit in amorem Dei vel in amorem Dei & proximi simul. Inter Judæos frequens videtur quæstio de summa sive כללים *præceptis generalibus*, ad quæ reliqua referri possunt, vide *tr.* מכות *ex Gem. c. III.* Quare etiam Scribæ cum Salvatore de hac ζητήσει egerunt, quam verò solvit, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum* &c. *& proximum tuum sicut teipsum. Ab his duobus præceptis tota Lex & Prophetæ pendent.* Matth. cap. XXII, 37. 39. 40. Marc. XII, 30. 31. Placuit quoque hostibus hæc cœlestis Doctoris responsio Marc. XII, 32. Matth. XXII, 46. Et meritò: Nam alia cuncta præcepta his duobus comprehenduntur. Unde Deus hanc suam voluntatem omnibus & singulis, omni tempore, omni ratione, tenendam commisit, Deut. VI, 6. 7. Quod etiam ex praxi constat, quippe hodienum singulis diebus verba illa Judæi recitant atque etiam Phylacteriis & Mezuzoth inscribunt.

CIX. *Amor Dei est affectus hominis, quo illum tanquam summum bonum prosequitur, æstimat, præcepta ejus observat, atque ei placere & ab eo amari studet.* Oritur autem hic affectus ex mente illuminata, quæ infinitas Dei perfectiones, speciatim ingen-

gentia beneficia naturæ, gratiæ, hujus & alterius vitæ, in quibus omnis nostra felicitas consistit, ritè pensitat. Nequeunt enim pensitari à nobis, quin amorem excitent.

CX. *Nec amorem quemlibet sed summum Deo debemus.* Possunt imò debent Creaturæ quoque diligi, sed non supra Deum, neque eo amore, quo Deus, verùm longè infra Deum, & eo quidem modo, quo ipsum Numen vult & qui nos ad divinum amorem ducit. Unde Deut. VI, 5. *Diliges Jehovam Deum ex toto* לבבך *corde tuo*, quo homo intelligit, judicat v. 1. Reg. III, 9. 11. *ex tota* נפשך *anima tua*, quâ quis vult, Deut. XII, 20. 21. *& omnibus viribus tuis*, corporis, opum.

CXI. *Num verò amor Dei rectè comparatus sit, ex signis ille cognoscendus. Signa autem sunt* I. Si Deus diligitur propter se, hoc est, quia perfectissimum Numen & amorem sui à Creaturis poscit. *Non* quidem *sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu diligendus*, ne mercenarius amor sit, & evanescat tempore adverso. II. Dein si amator se Deo totum subjicit, gemitibus, precibus ardentibus ad eum anhelat, eum appetit, uti Sponsa in Cantico & David in Psalmis, præcepta ejus & quidem cum gaudio observat, Joh. XIV, 15. III. Præterea si contristatur, quando nomen Dei aliqua ratione læditur, Ps. CXIX, 136. IV. Hinc insuper fugit, detestatur mundana,

con-

consortia illorum, qui voluptates sectantur, 1. Joh. II, 15. V. Tandem si proximum verè diligit. 1. Joh. IV, 20. 21.

CXII. *Amor proximi est sincerus cordis affectus, quo illi bene cupio, atque salutem ejus promoveo.* Amor, qui in verbis, gestibus, imò ipso opere tantùm consistit, nondum genuinus. Profluere debet ex animo. 1. Tim. I, 5. Anima enim amat, non corpus vel membrum ejus aut opes. Talis verò amor opprimit inordinatam φιλαυτίαν, invidiam, duritiem.

CXIII. *Non tamen vera charitas intrà penetralia cordis subsistit. Effundit se largâ mensurâ per actiones externas, prout circumstantiæ poscunt & opes concedunt.* Verbis humanum, affabilem, sine fuco tamen, gestibus facilem, opere ipso officiosum se præbet.

CXIV. *Prout igitur novit officia sua proximo utilia esse, ea præstat.* Pauperi cibo, potu, amictu, domicilio prospicit. Infirmum invisit, variè juvat. Qui Deum non cognoscit aut qui inordinatè vivit, hunc ex amore in notitia Dei instituit, amanter corripit, & quantum pote, convertit, 1. Thess. V, 14. Jac. V, 19. 20. Gal. VI. 1.

CXV. *Quando verò charitas proximi rectè se habet, similis oportet sit amori, quo quis seipsum aut Christus fideles vel Deus creaturas suas complectitur*, Matth. XXII, 39. Eph. V, 2. Matth. V, 44. 45. Atque hæc norma postu-

postulat, ut amor sit (a) sincerus. (b) Fervidus. (c) Constans. (d) Non solùm nihil mali imprecans aut inferens sed bonum adferens. (e) Universalis erga omnes & singulos, inimicos quoque.

CXVI. *Neque enim proximus, quem amare debemus, tantùm amicus sed & inimicus, omnis homo sine exceptione est.* Non enim fundamentum charitatis est amicitia, utilitas, quam ex proximo haurimus, qualis etiam cadit in pessimos quosvis Matth. V, 46. sed voluntas Dei. Hæc verò vult, ut omnes sine discrimine, speciatim hostes, verè diligamus, Matth. V, 44. Charitas nostra Patris & Christi similis esse debet. At hujus & illius in malos peccatores fertur, Rom. V, 8. 9. 10. Dilectione hostis demum probatur puritas affectûs, abnegatio φιλαυτίας; *Et hoc quidem mandatum jam sub V. Testamento datū.* Lex quippe præcipit amorem רע *proximi*, qui omnis homo, unà nobiscum ex liberali manu Dei vivens, Lev. XIX, 18. cf. Exod. XVIII, 16. XX, 13. cf. quoque ἐξήγησιν, Luc. X, 29. 36. 37. Eadem Lex officia charitatis erga hostem, qui *frater* dicitur Deut. XXII, 1-5. præscribit Exod. XXIII, 4. 5. Salomo Prov. XXV, 21. *Si esurierit osor tuus, ciba illum pane, & si sitit, pota illum. Attamen sub N. Testamento fortiùs inculcatum* Matth. V, 44. Inimicitia, quæ olim propter Legem Ceremonialem inter Judæos & Gentes posita erat, nunc abro-

abrogata & omnes unus populus. Christus dein illustre exemplum talis amoris nobis imitandum præbuit. Religionis denique Christianæ Character singulari modo charitas, omne odium expellens, est Joh. XIII, 35.

CXVII. *Licèt omnes sine exceptione amandi sint, attamen non omnes eodem modo.* Unde Petrus 2. Epist. I, 7. distinguit inter φιλαδελφίαν & ἀγάπην sive *communem Charitatem*, & Paulus Gal. VI, 10. *Faciamus bonum erga omnes, maximè erga domesticos fidei.* Meritò magis amamus eos, in quibus major amoris ratio, in quibus major fides, pietas, beneficia. Hos amamus amore amicitiæ & conjunctionis, non item peccatores, osores, quibus quidem bene volumus, cupimus ut convertantur, peccata condonentur, sed cum iis, quamdiu in peccaminoso statu sunt, familiariter non vivimus. Casus tamen aliquando contingere possunt, ut ille, in quo minor charitatis ratio, præferatur illi, in quo major, veluti si hic minori, ille verò extremâ penuriâ laborat, tum posteriori potius beneficio succurrendum quàm priori.

CXVIII. Priusquàm prolixæ *Decalogi* tractationi finem imponimus, probandum adhuc est, illum *æquè sub N. Testamento Ecclesiam Christianam obligare, ac olim obligabat Judaicam.* Nam (1.) præcepta ejus, si circumstantiam temporis in præcepto IV. exceperis, in na-

in natura Dei & hominis fundata sunt. (2.) Hinc ita comparata, ut absque impietate dicere vel facere non liceat contrarium, quod ex inductione exemplorum patet. (3.) Quod semel Ecclesiæ mandatum, id eam tam diu obligat, donec illa libera pronuntiata est. (4.) Christus & Apostoli vel voluntatem Dei totidem verbis vel verbis eundem sensum continentibus prædicârunt. (5.) Summa eorum redit; *Diliges Deum & proximum.* Quoniam verò ad amorem Dei & proximi obligamur, obligamur quoque ad Decalogum. Nec obstat, Christianos non justificari per Decalogum. Nec justificabantur Judæi. Nec dabatur, ut ulla caro per eum justificaretur. Faciebat & etiamnum facit, ut esset norma actionum nostrarum, detegeret peccata nostra, nos humiliaret duceretque ad Christum, qui δικαίωμα τῦ νόμυ pro nobis adimplevit, nam *finis legis Christus ad Justitiam cuivis credenti*, Rom. X, 4.

CAPUT XVI.
DE LEGIBUS RITUALIBUS SUB OECONOMIA MOSAICA.

Σύνοψις.

Legum arbitrariarum duæ species | sunt, rituales scil. & judiciales. §. I.

Y Ritu-

Ritualium nomina. §. II.

Partes, quibus omnis earum notitia comprehenditur, tres constituuntur, quarum primâ rituum Historia, alterâ ortus & causa, tertiâ duratio traditur. §. III.

I. Historia absolvitur cognitione personarum, locorum, temporum, quæ ad ritus pertinent. §. IV.

Personæ in genere omnes Israëlitæ, Originarii & Adventitii. §. V.

Ritus circa Personas. Alii corpus, alii victum, alii amictum, alii denique apparitionem in Templo, alii tandem oblationes concernunt. §. VI.

Qui obligant Originarios æque ac Adventitios, nisi quòd tempus circumcisionis diversum. §. VII.

Fœminæ in Ritibus communia quædam cum viris habent, singularia alia. VIII.

Jura Primogenitorū. §. IX. X.

Nasiræorum. §. XI.

Nethinæorum. §. XII.

Levitarum. §. XIII.

Ratione Consecrationis. §. XIV.

Muneris, quod aliud sub Tabernaculo, aliud sub Templo. §. XV.

Ætatis, quâ ad munus admovebantur. §. XVI.

Sacerdotum, quorum ortus & functio in genere describitur. §. XVII.

Erant diversi ordinis. §. XVIII.

Gregariorum requisita. §. XIX.

Concernunt (a) *Ortum.*

tum. (b) Corpus. (c) Vestitum. (d) Conjugium. (e) Munditiem. §. XX.

Munus administrabant vel in Templo, vel extra illud, vel utrobique. §. XXI.

Utrobique docebant & benedicebant. XXII.

Extra templum intererant decollationi vitulæ. XXIII.

In Templo varia administrabant XXIV.

Inter quæ primum locum tenebant Sacrificia, quorum notantur א. materia. §. XXV.

ב. Species quatuor notiores. §. XXVI.

Aliæ, quæ ad quatuor illas classes referri nequeunt. §. XXVII.

ג. Gradus. §. XXVIII.

ד. Personæ diversæ, pro quibus offerebantur. §. XXIX.

ה. Functiones sacerdotales numero decem. §. XXX.

Quarum tamen quædam etiam à Laicis administrari poterant. §. XXXI.

Secundò notanda veniunt Ferta, quorum natura & differentia ostenditur. §. XXXIII.

Erant duorum generum. Vel cum sacrificiis, vel absque iis offerebantur. §. XXXIII.

Illorum mensura variat pro majori vel minori quadrupedum specie. XXXIV.

Quæ seorsim Sacra fiebant vel publica, vel privata. Illa tria: Hæc quatuor §. XXXV.

Tertio libamina variæ mensuræ in ara libanda. §. XXXVI.

Quarto suffitus, cujus

jus compositio notatur. §. XXXVII.

Quintò lucernarum aptatio. §. XXXVIII.

Sextò panum, qui mensæ imponi solebant, cura. §. XXXIX.

Septimò personarum, vel rerum devotarum æstimatio. XL.

Octavò discretio mundi & immundi. XLI.

Ultimò exploratio uxoris de adulterio suspectæ. §. XLII.

Hæc de Sacerdotibus gregariis. Nunc de Pontifice M. XLIII.

Cujus notamus (a) *inaugurationem.* §. XLIV.

(b) *Vestitum ordinarium & extraordinarium in die expiationis.* §. XLV.

(c) *Conjugium.* XLVI.

(d) *Munus, quod vel cum Gregariis commune vel ipsi proprium, uti functio in die expiationis, & consultatio per Urim & Tummim.* §. XLVII.

β *Præter personas ad Historiam Rituum faciunt loca. Omnia sanctitate superat sanctissimum.* §. XLVIII.

Tum sanctum. §. XLIX.

Quæ duo unà aedem sacram constituunt. §. L.

Postea atrium. §. LI.

Denique castra. §. LII. LIII.

γ *Ultimò narrantur tempora sacra.* LIV.

Uti manè & vesperi. §. LV.

Dies septimus. LVI.

Novilunia. LVII.

Festum Paschatis. §. LVIII.

Festum Azymorum. LIX.

Festum Pentecostes. LX.

Dies expiationis. LXI.

Festum

Festum Tabernaculorum. LXII.

Annus Sabbathicus. LXIII.

Jubilæum. LXIV.

II. Historiâ rituum enarratâ nunc juxta alteram capitis partem in eorum originem inquisitio instituitur. LXV.

Ipse Deus ritus instituit. LXVI.

Qui licèt non fluant, uti leges morales, ex natura Dei. LXVII.

Attamen ex sapientissimis rationibus procul dubio ordinabantur. LXVIII.

Nec unum aliquem scopum sapientissimum Numen habuisse videtur, sed varium. LXIX.

Faciebant quippe ad discernendum Judæos & alias gentes LXX.

Dein ad extirpandam Idololatriam. LXXI.

Tum beneficia in majores collata in memoriam revocabant. LXXII.

Præterea inserviebant ad mores figuris involutos suadendum. LXXIII.

Tandem Christum ejusque Ecclesiam præfigurabant. §. LXXIV.

Subjiciuntur exempla: Ex Classe Personarum Aaron, quem Christum præadumbrasse, ex Scriptura ostenditur. LXXV. LXXVI.

Tum varia convenientia subjungitur. LXXVII.

Ex classe locorum sanctissimum, quod cœlum figurâsse Paulus docet. LXXVIII.

Additurque comparatio. LXXIX.

Ex classe denique temporum profertur Jubilæum tum temporis N. Testamenti, tum maximè cæli typus. LXXX.

Quæ duo inter se conveniunt. LXXXI.

III. Ultimo Rituum horum duratio temporaria argumentis evincitur. LXXXII.

§. I.

HActenus *de Legibus moralibus in natura Dei fundatis. In posterum de Arbitrariis, quas populo Israel sapientibus ex rationibus imponere Deo visum est. Et sunt duorum generum. Quædam respiciunt Cultum Divinum externum: Aliae spectant vitam civilem.*

II. *Quæ Cultum Divinum externum respiciunt, communiter* Ceremoniæ *vel* Ritus *vocari solent.* Hebræi sæpiùs vocant חקים vel חקות *statuta,* Num. IX, 14. non tamen quòd nomen hoc appropriatum sit Ceremoniis sacris. A Paulo appellari videtur νόμος ἐντολῶν ἐν δόγμασι *Lex præceptorum in dogmatibus.* Eph. II, 15. quæ κατὰ τὸ δοκοῦν ut Deo videbantur, præscripta erant. cf. Col. II, 14.

III. *Dicenda de Ceremoniis tribus partibus comprehendemus. I. Dabit brevem earum Historiam. II. Inquiret in ortum & causas. III. Docebit durationem.*

IV. *Ad Historiam rituum clariùs cognoscen-*

scendum distinctè notabimus א. *Personas, earumque functiones.* ב. *Postea locum.* ג. *Et tandem tempus.*

V. א. *Personæ sunt, quæ vi legum partes quasdam cultus externi suscipiunt. Et sunt in genere omnes Israelitæ sive Originarii sive Adventitii.*

VI. *Originarii* octavo à nativitate die circumcidebantur, Lev. XII, 3. Adultiores & Præceptorum Divinorum observandorum capaces facti *ad varias Ceremonias adstringebantur. Quædam spectant corpus*, quod legaliter purum, maximè à lepra (quæ infectum extra castra arcebat atq; ad notam contagii gestandum damnabat) servandum. Pollutum post aliquod tempus (quod pro varietate pollutionis varium) sacrificiis, aqua pura purificandum. *Aliæ victum*, in quo ab omni sanguine, adipe, Lev. III, 17. (Maimonides explicat de certa adipis specie boum, ovium, hircorum, non aliorum animalium *tr. de cibis vetitis* c. I. 5. II. *vid. Ainsw. ad l. cit.*) carne bestiarum immundarum juxta Lev. XI. maximè morticina, lacerata Lev. XVII, 15. abstinere debebant. *Rursum aliæ amictum* à viro gestari solitum Deut. XXII, 5. qui ex lino tantùm vel lana Lev. XIX, 19. conficiendus erat. A vestis exterioris quatuor angulis fila hyacinthina dependebant, Num. XV, 38. Deut. XXII, 12. Insuper phylacteria capitis manusque (quamvis forma,

sub qua hodiè veniunt, institutionis divinæ minimè sit) induere jubebantur. *Aliæ denique apparitionem in Templo*, quæ annuatim ternis minimùm vicibus repetenda Exod. XXIII, 17. *Tandem aliæ oblationem Deo* vel ex pecunia ut dimidius siclus Exod. XXX, 12, 13. vel ex Sacrificiis iisque debitis, uti tempore apparitionis in Templo, purificationis, expiationis peccatorum &c. aut spontaneis *faciundam*.

VII. *Adventitii*, quos aliàs *proselytos justitiæ* appellamus, ad eadem tenentur, nisi quòd tum circumcidendi, quando fidem Judaicam amplexi sunt. Posteriori tempore insuper baptismo & sacrificiis in Ecclesiam introducebantur.

VIII. *Fœminis cum viris quædam communia sunt, alia propria.* Ex his sacrificium puerperii Lev. XII. amictus à virili distinctus, Deut. XXII, 5. Liberiores sunt viris, speciatim quoad præcepta, quæ à tempore dependent. v. *Ob. d. Bart. ad tr.* ברכות c. III. 3.

IX. *Hæc de personis in genere. In posterum de illis in specie. Ubi occurrunt Primogeniti, Nasiræi, Nethinæi, Levitæ, Sacerdotes gregarii, Sacerdotes Magni.* Rechabitæ & Viri stationarii, quorum institutio divina non est, huc non pertinent.

X. *Primogeniti*, qui primi vulvam matris aperuerunt, Deo ob stragem in Ægyptiorum pri-

primos fœtus immissam, sacri sunt. Exod. XIII, 2. 13. Hinc à Parentibus soluto redemptionis pretio, quinque scil. siclis, redimendi erant.

XI. *Nasiraei* נזירים ceu voto à communi vivendi genere separati dicebantur. Quidam ex iis à nativitate imò ante nativitatem in utero matris Deo devovebantur. Alii seipsos ad tempus aliquod (quod in Lege non definitum est, posteriori tempore minimùm XXX. diebus circumscribebatur) Deo addicebant. Horum non videtur eadem ratio. Illi liberiores. Hi non item, ceu qui toto Nasiræatûs tempore (1.) à vino rebusque vinalibus abstinere. (2.) Comam alere. (3.) Mortuum non accedere tenebantur. Finitis verò votì diebus jubebantur holocaustum ex agno, sacrificium piaculare ex agna, pacale ex ariete cum fertis libaminibusque consuetis, variæ speciei placentas offerre, comam abrasam igni, qui pacale parabat, committere. Arietis armus coctus (isque sinister) cum placenta infermentata, lagano (ut vulgo vertunt רקיק) itidem infermentato coram Jehova agitabatur, cedebatque in usum Sacerdotis, præter armum dextrum & pectus. His legitimè peractis à voto liberi habebantur, v. Num cap. VI.

XII. *Nethinaei* sunt servi, qui ex Gentibus subjectis Levitis ad serviendum dati sunt. Primi ex Midianitis leguntur Num. XXXI, 30. Tum Gibeonitæ in pœnam fraudis ad cæden-

dum ligna & hauriendum aquas pro cœtu & altari damnati sunt Jos. IX, 27. Nisi hi potius publici servi habendi sint. Postea David hos vel alios Levitis donaverat & hinc נתינים dicti: Esr. VIII, 20.

XIII. *Levitae* ex Levi oriundi sunt. Ex quo quidem etiam Sacerdotes ortum trahunt, sed inter hos & illos id est discrimen, quod inter Dominum & servum, aut Nethinæum & Levitam Num. VIII, 19. quod ex dicendis constabit.

XIV. *Primò notanda est Consecratio.* Quoniam loco primogenitorum Deo sacri, Num. VIII, 16. solenniter recipiebantur aquâ adspersâ, corpore raso, vestibus corporibusque lotis, oblatione duorum juvencorum, unius in holocaustum, in sacrificium pro peccato alterius, χειροθεσία tum quam Israëlitæ in Levitarum, tum quam hi in sacrificiorum capita fecerant & tandem agitatione Levitarum per Sacerdotem peracta, Num. VIII, 6-15.

XV. *Dein munus, quod aliud tempore Tabernaculi, aliud tempore Templi extruendi extructique. Tempore Tabernaculi* præter custodiam, quam egerant, Num. VIII, 26. illis cura Tabernaculi huc illuc transferendi vel humeris vel plaustris committebatur, operâ inter tres familias Kahatitarum, Gerschonitarum, Meraritarum distributâ Num. IV. *Tempore Templi* cessante gravi translationis Tabernaculi labo-

labore dati quidam custodes, alii Cantores, Judices alii, alii deniq; variis functionibus Templi admoti fuere 1. Chron. XXIII, 4. 5. Sacerdotibus quoque in Sacrificiis parandis ad manus erant, sed partes communes tantùm suscipiebant, non strictè sacerdotales uti sparsionem, apportationem in aram, 2. Chron. XXXV, 11. ad quam sub pœna capitis accedere Levitæ nequibant, Num. XVIII, 3-8.

XVI. *Praeterea aetas, quâ muneri admovebantur & ab eo liberabantur.* Variabat illa pro varietate muneris. Quoniam gravius tempore Tabernaculi, anno demum trigesimo illud plenè subibant, Num IV, 3. 1. Chron. XXIII, 3. quamvis jam anno vigesimo quinto exordia facilioris laboris feciſſe videantur, Num. VIII, 24. Quinquagenarii à gravi onere dimittebantur, Num. VIII, 26. At sub Davide vicenarii ad munus jam erant idonei, nec qui quinquaginta annorum solvebantur, 1. Chron. XXIII, 24. 25. 26.

XVII. *Sacerdotes erant Ministri Dei pro hominibus constituti* τὰ πρὸς τὸν θεὸν *in iis, quae apud Deum agenda erant*, maximè *ut offerrent dona & sacrificia pro peccatis* Hebr. V, 1. Antea omnibus potestas concessa Sacra faciundi, sed Mosis ævo reliqui omnes, excepto Aarone ejusque posteritate, impuri declarabantur, Exod. XXVIII, 4. Unde rectè contra vulgarem Ministrorum opinionem *Mecilta p. 1. a.*

עד שלא נבחר אהרן היו כל ישראל לכהונה משנבחר אהרן יצאו כל ישראל *Aarone nondum electo totus Israel Sacerdotio dignus: At Aarone electo excidit universus Israel.*

XVIII. Sacerdotum non eadem dignitas erat. Ex institutione prima unus aliquis eminebat super reliquos. Posteriori tempore aucto Sacerdotum numero distribuebantur in certas classes & quidem à Davide in XXIV. Unicuique classi præficiebatur caput 1. Chron. XXIV, Unde plures ἀρχιερεῖς in Scriptis N.T. occurrunt.

XIX. Sed dicendum de Sacerdotibus gregariis seorsim. Seorsim dein de Pontifice. Circa illos observamus א. requisita, quæ illis inesse debebant, si aliter munere Sacerdotali ritè defungi volebant. ב. Munus ipsum.

XX. Requisita varia sunt (1.) *Ratione ortûs.* Non alius aliquis ad Sacerdotalem dignitatem admovebatur, nisi qui ex stirpe Aaronis & quidem purâ oriundus Esr. II, 61-64. (2.) *Ratione corporis.* Minima labes (recentiores Magistri 140. computabant) Sacerdotem temerabat, Lev. cap. XXI, 16-f. quominus functionem altaris aut Tabernaculi præstare potuerit. Sed credibiliter aliam aliquam viliorem agere poterat. Vivebat quoque ex reditibus Sacerdotalibus Lev. XXI, 22. (3.) *Ratione vestitûs.* Communis inidoneus ad functionem Sacerdotalem. Sacer requirebatur, qualis describitur Exod. XXVIII. constans

stans ex femoralibus, tunica tessellata talari, cidari cuspidata, (neque enim licebat aperto capite ministerium obire,) baltheo. Tres priores vestes ex lino sed ultima ex lino & lana hyacinthini purpurei & coccinei coloris, qualis aliàs à nemine, nequidem à Sacerdote extra Templum, gestari poterat. His ipsis integris, non minoribus, indutus sacra faciebat. (4) *Ratione conjugii.* Non ineundum erat vel cum dimissa aut חללה *communi* sive oriunda ex conjugio viliori quàm ut ex eo cum Sacerdote conjungi queat, vel denique זונה *scorto* Lev. XXI, 7. (5.) *Ratione munditiei.* Absque hac nullum poterat peragi opus sacrum. Immundus priùs purificandus erat. Illotus manus pedesque ex lavacro lavare tenebatur, Exod. XXX, 19. 20. Hæc sunt præcipua Sacerdotum administrantium juxta legem divinam requisita. Alia ex constitutione Ecclesiastica hujus loci non sunt.

XXI. ב. *Munus Sacerdotum quod attinet, peragitur illud vel in Templo, vel extra Templum, vel utrobique.*

XXII. *In Templo & extra illud Sacerdotes publicè docebant*, Legis sensum exponebant, difficultates explicabant Lev. X, 11. 2. Chron. XVII, 7. Hagg. II, 12. Malach. II, 6. Quæ partes eos decebant, qui Ministri Dei & qui de victu amictuque culturâ terræ acquirendo solliciti esse haud debebant. *Benedicebant quoque*

quoque utrobique cœtui formulâ, quæ proſtat Num. VI, 22-ſ.

XXIII. *Extra Templum intererant decollationi vitulæ* in caſu homicidii ignoti atque de eo judicium ferebant, Deut. XXI, 1-10.

XXIV. *In Templo communiter & ordinario ſuas functiones adimplebant Sacerdotes. Verſabantur illae circa ſacrificia ſtrictè ſic dicta: Dein circa Ferta: Praeterea circa libamina: Inſuper ſuffitum: Nec non circa aptationem lucernarum: Ut & circa panes Propoſitionis: Denique circa aeſtimationem rerum devotarum. Tandem circa dijudicationem mundi & immundi, ſpeciatim leprae. Ultimò circa potationem uxoris de adulterio ſuſpectae.*

XXV. Antequam functiones Sacerdotum circa ſacrificia exponimus, præmittenda nonnulla ſunt. *Et primò quidem de materia ſacrificiorum.* Conſtabant genere bovino, ovino, hircino, pullis columbarum aut turturibus adultis, non alio animali ſive mundo ſive immundo Lev. I, 4. 10. 14. quæ ipſæ ſpecies in ſacrificiis jam ante Moſen obtinuiſſe videntur, Gen. XV, 9. Electæ hæ præ aliis eò quòd carne præſtent, parabiles commodæque figuræ ſint.

XXVI. *Secundò de ſpeciebus.* Vulgò narrantur quatuor, I. *Holocauſta* עולות, quæ maſcula ex memoratis tribus quadrupedum ſpecie-

speciebus aut ex pullis columbinis vel turturibus absque sexûs delectu tota in altari comburebantur, si corium Sacerdoti huic sacro operam navanti destinatum exceperis Lev. I. II. *Sacrificia pro peccato* חטאת, aliquando tota comburebantur, aliquando ex parte tantùm. Quod non comburebatur, cedebat Sacerdotio. Constabant communiter (non tamen semper) animalibus fœminis, si ad privatorum delicta expiandum immolata, sed maribus si pro cœtu. III. *Sacrificia pro reatu* אשמות quæ, licèt ab antecedentibus satis clarè vix discerni possint, certò tamen aliam speciem constituunt, Lev. VII, 7. Hinc aliæ causæ. In generali quidem conveniunt, quòd & illa & hæc propter peccata offeratur, sed ex ductu legis aliud peccatum sacrificium חטאת, aliud אשם postulat. Dein Sacra pro reatu tantum ex masculis arietibus, vel agnis desumuntur. IV. *Sacrificia pacalia* שלמים dicta, constabant solis quadrupedibus memoratis, masculis sive fœminis Lev. III, 1. 6. non avibus. Pars ex iis cedebat altari sive Deo: Pars Sacerdoti: Pars offerenti. Illi exta, isti pectus & armus, huic reliqua caro. Differunt ergò à prima specie quæ tota comburebatur: à secunda & tertia, quæ dividebatur inter Deum & Sacerdotem. Pacalia rursum dividi solent in תודה εὐχαριστικὸν pro beneficio accepto, נדר *votivum* pro impetrando, נדבה *voluntarium* Lev. VII, 15. 16.

XXVII.

XXVII. Ad nullam ex memoratis referri possunt (α) *Fœtus primogeniti* animalium mundorum, qui, si integri, Deo offerendi, pars comburenda, reliqua pars vergit ad cibum Sacerdotii. (β) *Decimae* ex bobus, ovibus, hircis, uti casus fert, selectæ, Hierosolymam ductæ, quæ ablegminibus in ara incensis à possessoribus ibidem comedebantur. (γ) *Agnus vel hœdus Paschalis* integer, masculus intra primum annum in atrio inter duas vesperas diei decimi quarti mensis Nisan ab Israëlita mundo mactatus, suspensus, excoriatus, postea in domum delatus, ibi assatus atque à certa fraternitate ad totum absumendum pari absque ossifragio comestus erat. Sanguis verò, qui à Sacerdote excipiebatur unà cum adipe ad aram apportabatur, ille ibi effusus, hic verò comburebatur.

XXVIII. *Tertiò de gradibus sacrificiorum.* Holocausta, Sacrificia pro peccato, pro reatu קדש קדשים *Sanctissima* Lev. VI, 18. VII, 1. Non item pacalia privata, decimæ &c. quæ Magistri vocant קדשים קלים *sancta levia.*

XXIX. *Quartò de illis, pro quibus sacrificia offerenda erant.* Jam pro integro cœtu, jam pro privato. Illa hinc *publica*; Hæc *privata* audiunt. Illa ex ærario publico; Hæc ab offerente emebantur. Illa offeruntur in quodcunque tempus incidant; Hæc non. Publica

blica singulis diebus, Sabbathis, Noviluniis, Festis immolabantur.

XXX. His præmissis dicendum nunc est, quæ Sacerdotum circa hæc Sacrificia partes fuerint. Fuerunt autem sequentes (1.) *Adductio victimæ*. Ex quo hæc accuratè explorata atq; absque vitio deprehensa, ducebatur in conspectum Dei, locum ante Tabernaculum vel Templum Lev. I. Munus daturi solent illud in conspectum ejus, cui destinatum, perferre. (2.) χειροθεσία. Sacerdotes conversâ ad Templum facie (quò etiam victima convertebatur) manus capiti hostiæ imponebant, atque, si piacularis, peccata confitebantur, rogantes ut malum commeritum in caput bestiæ vertatur, Lev. XVI, 21. (3.) *Mactatio*. Mox χειροθεσία factâ in eodem loco bestiam mactabant, œsophagô & arteriâ asperâ cultrô sacrô incisis, ut recentiores tradunt. Locô mactationis in avibus obtinuit מליקה *ungue-sectio*, alia in holocausto, alia in sacrificio pro peccato. Lev. I, 14--f. V, 7-10. (4.) *Exceptio sparsioque sanguinis*. Tum sanguinem profluentem pelvi, communiter argentea, aliquando etiam aurea (unde ex utraque Materia pelves memorantur Num. VII, 13. 2. Chron. IV, 8.) excipiebant, eumque pro varietate victimarum diversimodè spargebant; sanguinem hostiarum diei expiationis in sanctissimo, sancto spargebant, reliquias ad aram exteriorem effundebant, Lev. XVI. Sanguinem victimarum

piacularium, quæ comburebantur, etiam in ſancto ſpargebant, reliquum ad fundamentum altaris occidentale effundebant, Lev. IV, 7. Sed aliarum piacularium ad 4. cornua aræ exterioris allinebant, reliquiis in fundamento altaris fuſis. Cum ſanguine holocauſti, ſacrificii pro reatu, pacalium aliter ſe habet, qui ex lege סביב *circa altare* ſpargendus præcipitur, Lev. I. II. VII, 2. III, 2. quod recentiores ſequenti modo acceperunt: Sacerdos ſanguinem duabus ſparſionibus erga duos altaris angulos ſibi decuſſatim oppoſitos ſparſit, ſcil. à dimidio altaris & infra ad angulum inter Orientem & Septentrionem intermedium, itidem ad angulum inter Meridiem & Occaſum intermedium. Qui reſtabat, ad baſim aræ fundebatur. Totus à primogenitis, decimis, agno Paſchali exceptus ad toties memoratam baſin effundebatur. Num. XVIII, 17. Judæis notantibus. Vaccæ rufæ verò ad altare non portabatur, ſed omnis igne cremabatur, excepto eo, qui ſeptem vicibus verſus ædem ſacram ſpargebatur, Num. XIX, 4. 5. (5.) *Excoriatio.* Omittebatur in quibusdam victimis, quæ integræ comburebantur veluti Lev. XVI, 27. Plerumque tamen pelles detrahebantur. Ut verò commodè detrahi poſſent, neceſſariæ erant columnæ, quarum octo in Templo ſecundo fuiſſe dicuntur. tr. מדות c. III. 5. Pelles detractæ modò Sacerdotis, modò Domini erant. (6.) *Diſſectio.* Victi-

Victimæ in partes dissecabantur Lev. I, 6. ut faciliùs ad aram portarentur, atque cibi instar consumerentur. Pro diversitate victimarum plures vel pauciores partes secabantur. (7.) *Ablutio.* Quoniam membra, quæ aræ imponebantur, habebantur cibi instar, qui mensæ Dei adponendus, lavanda erant cruenta & sordibus inquinata viscera, crura. Lev. I, 9. Inserviebat lotioni aqua, quæ stante Tabernaculo, Templo 1.& 11. in receptaculis (quæ tamen variabant) collecta erat. (8.) *Apportatio ad aram.* Quia ara combustionis locus, membra Sacerdotum ministerio eò deferenda. Quò plura & majora frusta, eò major Sacerdotum numerus postulabatur. (9.) *Salitio.* Nihil aræ inferendum insulsum. Lev. II, 13. (10.) *Incensio.* Sacerdotes ignem in altare ferebant, lignaque ritè struebant, ut flammam conciperent, Lev. I, 7.

XXXI. Hæ quidem *functiones Sacerdotum circa victimas sunt, sed non omnes pariter sacerdotales.* Nonnullæ Sacerdotio propriæ, ut non alii, ne quidem Levitæ, concessæ fuerint, veluti ungueseectio avium, exceptio sparsioque sanguinis, apportatio membrorum ad aram, salitio, incensio. At adductio, χειροθεσία, mactatio, excoriatio, dissectio, ablutio frequenter agebantur à Sacerdotibus, non tamen solis, sed etiam Levitis, Israëlitis. Lev. I. III.

XXXII. Oblationibus cruentis succedunt

incruenta, *Ferta & Libamina. Ferta sunt oblationes sacræ ordinariè ex simila tritici, rariùs ex hordeo, scil. in manipulo novarum frugum, atque in casu mulieris de adulterio suspectæ, constantes.* Aliquando similæ additur oleum & thus Lev. II, 1. Aliquando oleum, non thus, Num. XXVIII, 4. 5. Aliquando thus, non oleum, Lev. XXIV, 7. Aliquando neque oleum neque thus. Lev. V, 11.

XXXIII. *Ferta duûm generum sunt. Quædam cum victimis quadrupedum conjunguntur* & vulgò nominantur מנחת נסכים *Ferta libaminum. Quædam seorsim offeruntur.* Illa quasi corollaria holocaustorum, pacalium, non sacrificiorum pro peccato aut reatu, si exceperis quod Lev. XIV, 10.

XXXIV. *Mensura hujus generis Fertorum variat: Major vel minor est prout vel majori vel minori quadrupedum speciei addi solet.* Si juvencus offertur, fertum ex tribus similæ decimis, & dimidio Hin olei, Num. XXIX, 3. Si aries, ex duabus, nec non tertia parte Hin olei l. c. si agnus vel hœdus, ex una, atque quartario Hin olei c. c. v. 4. Excipiuntur duæ decimæ pro agno die XVI. Festi Azymorum Lev. XXIII, 12. 13. ut & tres decimæ in sacrificio divitis leprosi Lev. XIV, 10.

XXXV. *Ferta, quæ seorsim offeruntur, sunt vel publica vel privata.* Illa numero tria:

tria: Manipulus novarum frugum Lev. XXIII, 10. Panes Propositionis & Pentecostales c. c. v. 17. Hæc quatuor. (1.) *Fertum peccatoris* pauperis, Lev. V, 11. (2.) *Fertum uxoris de adulterio suspectæ*. Num. V. 15. (3.) *Fertum Pontificis Maximi*, quod singulis diebus debebat: Quô tenebatur etiam Sacerdos primùm res sacras administraturus, Lev. VI, 13. 17. (4.) *Fertum voluntarium* quod quintuplici varietate distinguebatur. (α) *Fertum similæ*, quæ oleo subigitur, Lev. II, 1. (β) *Fertum in furno coctum* sive ex חלות *placentis spissis* sive רקיקים *tenuibus* constans. Lev. II, 4. (γ) *Fertum* על המחבת *in patella frictum* Lev. II, 5. (δ) *Fertum* מרחשת *in cacabo* vase profundo paratum Lev. II, 7. (ε) *Fertum, primitiæ fructuum* Lev. II, 14. Vide Abarbanel in præf. Levitici.

XXXVI. Perfectum illud convivium nondum est, in quo tantùm cibus convivis proponitur. Requiritur insuper potus. Quare quum altare mensa Dei, præter carnem & ferta etiam vinum illi imponendum, diciturque נסך *libamen*, tùm in ara libandum, quando in eadem fertum adoletur. Quantitas major vel minor requiritur, prout victima vel major vel minor, Num. XXVIII.

XXXVII. *Sacerdotes* quidem plerasque functiones in ara holocausti obibant, de quibus hactenus, attamen aliis *quoq; operam dabant* veluti *suffitui*. Hic secundùm legem ex facte,

onyche, galbano, thure puro (his speciebus alias Magistri addunt) arte Apothecarii commiscebatur, probè comminuebatur Exod. XXX, 36. Tum Sacerdos aliquis (posteriori tempore ad hoc munus sorte eligebatur, Luc. I, 9.) de suffitu illo acerrâ capiebat atque unà cum prunis in sanctum inferebat, eumque in ara suffimenti incendebat, atque hoc bis singulis diebus, mane & sub vespera.

XXXVIII. *Iidem aptabant lucernas.* Sub vespera tempore suffitûs septem lucernas lychnuchi accendebant, tantamque olei puri contusi mensuram affundebant, quanta requirebatur ut lucere possent usque ad mane. Tum rursum sanctum intrabant מטיבים lucernas *concinnaturi*, purgaturi à sordibus, quæ excipiebantur vase מחתה easque מלקחות forcipibus extincturi 1. Sam. III, 3. v. Exod. XXVII, 20. 21. XXX, 7. 8. Lev. XXIV, 2-5.

XXXIX. *Panes quoque Propositionis curabant.* Scil. Sacerdotes ex viginti quatuor decimis similæ duodecim panes coquebant, prioribus ablatis, qui Sacerdotibus cedebant, coctos quovis die Sabbathi in קערה *scutella* in conspectu Dei mensæ imponebant, ac מנקיות *calamos*, (qui liberum aeris transitum dabant, atq; panes à mucore puros servabant) interponebant, erectis ad latera קשות *perticis*, quæ calamos illos fulciebant. Panibus addebant בזות *acerras thuris*, Lev. XXIV, 5-10. Exod. XXV, 29.

XL.

XL. *Præterea Sacerdotum erat personas vel res devotas æstimare.* Æstimatio admodum variat prout quis personam vel rem נדר *voto* tantùm vel חרם *anathemate* devoverat. Persona priori modo devota pro sexu, ætate à Sacerdote æstimabatur, pretioque soluto redimebatur Lev. XXVII, 1-9. Bestia quoque immunda juxta æstimationem sacerdotalem redimebatur c. c. v. 11-14. At munda redimi nequibat v. 9. Domus, agri devoti pecuniâ datâ ad possessorem redibant v. 14-26. At personæ vel res per חרם usui sacro destinatæ, neque vendi neque redimi possunt, Dei vel Sacerdotii sunt Lev. XXVII, 28. 29. Num. XVIII, 16. Homines, uti Cananæi, interficiendi, sicuti exempla in gentibus anathematizatis prostant.

XLI. *Tandem Sacerdotes discernebant mundum inter & immundum.* Lev. X, 10. Munus erat difficillimum ob plurimos immunditiei casus, maximè posteriori tempore, quo plurimi novi canones ordinati erant. *Præcipua immunditiei species erat lepra vel homines vel vestes aut ædes inficiens. Lepra hominis subdividi solet in lepram capitis aut barbæ*, dijudicandam ex maculæ depressione infra cutem piloque fulvo Lev. XIII, 30. *vel cutis*, cognoscendam ex שאת *tumore*, ספחת *abscessu*, בהרת *candore*, pilo albo, aspectu lepræ præ cute profundo, corrosione se diffundente, Lev. XIII, 1. &c. Judicium lepræ nonnisi à Sacer-

dote ferebatur, juxta quod homo leprosus, aut à lepra sanatus habebatur. Quo in casu variis ceremoniis, de quibus Lev. XIV. in cœtum recipiebatur.

XLII. *Ultimò Sacerdotum erat uxores de adulterio suspectas potu amaro explorare*, Num. V, 11--f. Maritus, qui gravi suspicione fidei conjugalis ab uxore violatæ tenebatur, nec tamen teste id, quod suspicabatur, probare poterat, causam ad Sacerdotem deferebat, atque ad eum uxorem ducebat. Tum uxor capite nudo, quæ manibus fertum vilissimum ex hordeo constans gestabat, in conspectu Dei & cœtus Judaici sistebatur. Juxta eam Sacerdos cum aquis sanctis pulvere Tabernaculi admixtis stabat eamque adjurabat formula, quæ Num. V, 19--23. ad quam illa *Amen* acclamare jubebatur. Potus autem hic non sine miraculo de innocentia aut culpa testabatur. Si enim innocens, nullum ex haustu damnum imò benedicebat Deus utero. Si verò nocens, intumescebat venter femurq; concidebat. Sacerdos præterea fertum ex manu uxoris accipiebat, & agitatione peracta illud offerebat, captumque ex eo manipulum igne cremabat. Postea bibebat uxor. Num. V, 12--f.

XLIII. Tantùm de Sacerdotibus gregariis eorumque functionibus præcipuis juxta Scripturam. Nunc de Pontifice Maximo, qui super omnes eminebat, hinc הגדול מאחיו *major fratri-*

fratribus suis Lev. XXI, 10. dictus; de quo distinctè notamus Inaugurationem, Vestitum, Conjugium, munus.

XLIV. *Inauguratio.* Aaron, quem Deus ad Pontificatum immediatè vocabat, vel qui posteriori tempore ex posteritate ejus per Eleasarem vel Ithamarem Pontifex eligebatur, solenni modo inaugurandus erat. Sistebatur ante ostium Tabernaculi præsente toto Judæorum cœtu, lavabatur, Toga Pontificiali ornabatur, oleo sacro, quod ex myrrha, cinnamomo, casia, calamo aromatico compositum erat, largè perfundebatur Lev. VIII, 12. Ps. CXXXIII, 2. immolatis insuper sacrificiis recensitis Lev. VIII Exod. XXIX. speciatim ariete מלאים *impletionum.*

XLV. *Vestitus.* Pontifex administraturus res sacras vestes communes exuebat, induebatque Pontificiales Exod. XXVIII, 4. Ordinarió quidem octo. (1.) Femoralia. (2.) Tunicam tessellatam. (3.) Baltheum. (4.) Cidarim; (quæ quatuor etiam à Gregario gestabantur, nisi quod Pontificialis Cidaris non ita cuspidata fuisse videatur, unde מצנפת dicta.) (5.) מעיל *pallium* ex lana hyacinthina, ex cujus fimbria pendebant tintinnabula aurea internexis malogranatis laneis, hyacinthini, purpurei, coccinei coloris. (6.) Ephod triplicis materiæ, auri, lanæ, lini, quod pallio imponebatur & tegebat corporis partem anteriorem dorsumque. In

hujus Ephod humeralibus erant duo Sardonychi, in quorum unoquoque insculpta erant sex filiorum Israël nomina. Corpori aptabatur artificioso cingulo. (7.) *Pectorale Judicii* quadratum, unius spithamæ, ejusdem materiæ, cujus Ephod. Fundis aureis inserti erant duodecim lapides, XII. filiorum Israël nomina insculpta tenentes, quique ipsum *Urim, Tummim* esse videntur. (8) *Laminam* sive *coronam* auream, insignem vocibus SANCTITAS JEHOVÆ, quæ ipsius Cidaris parti anteriori vittis hyacinthinis affixa erat. Sed rariùs & quidem die expiationis functiones huic solennitati proprias obiturus nonnisi quatuor gestabat, Femoralia, Tunicam tessellatam, Baltheum, Cidarim Lev. XVI, 4. quæ à prioribus numero, materiâ, pretio differunt.

XLVI. *Conjugium.* Non solùm quæ personæ in uxorem ducendæ prohibitæ erant Sacerdotibus gregariis, ea etiam Pontifici, sed insuper viduæ Lev. XXI, 13. 14. Virginem ex populo Judaico, (non tamen ex stemmate sacerdotali necessariò) thori sociam eligere sibi debebat.

XLVII. *Munus. Hoc vel commune cum Sacerdotibus reliquis vel ipsi proprium.* De communi jam supra dictum. Si tale præstare volebat, penes ipsum stabat, habebatque primum locum. Proprium illud est, quod die expiationis juxta Lev. XVI. ipsi obeundum erat

erat, juxta quod præter alia suffitum, sanguinem juvenci, hirci diversis vicibus in Sanctissimum inferre tenebatur. Pontificis quoque solius functio illa fuisse videtur, quâ in casu juris ambiguo Deum cum Urim & Tummim adibat, responsumque divinum (licèt modus nobis incognitus sit) reportabat.

XLVIII. ב. *Loca.* Quamvis tota terra Domini ejusque gloriâ referta sit, placuit tamen Deo locum loco sanctiorem agnoscere, & illum quidem, qui symbolo præsentiæ suæ proprior. Ad hunc modum (1.) sanctissimus erat is, qui קדש קדשים Paulo ἅγια ἁγίων Hebr. IX, 3. *Sanctum Sanctorum* audit, ceu in quo Deus sub nubis signo habitabat & quem nemo nisi Pontifex una die in anno ordinariè intrandi licentiam habebat Lev. XVI, 2. Hebr. IX, 7. Hîc sita erat arca testimonii (nam tabulas testimonii intra se continebat) operculo propitiatorio, è cujus lateribus duo Cherubini formati erant, tecta. Ibidem erat urceus Mannæ, virga Aaronis, liber legis, thuribulum aureum & posteriori tempore cistula Philistæorum.

XLIX. (2.) Proximus sanctitate erat *Sanctum* ad ortum Sanctissimi situm, suffituris, lucernas aptaturis, panes propositionis disposituris unicè patens. Nam in eo collocata erant ara suffitus, lychnuchus, mensa panum propositionis. Illa in medio, iste ad meridiem, hæc ad septentrionem.

L. Duo

L. Duo hæc loca unam ædem constituebant circumdatam asseribus ex ligno schittim auro obductis, quibus superimponebantur quatuor tegmina, quorum quodque inferius superiori pretiosius erat. Exod. XXVI. Sanctissimum à Sancto separabat velum, פרכת dictum, à quatuor columnis suspensum.

LI. (3.) Sancto inferiorem Sanctitatis gradum habebat *Atrium*, continens labrum, aramque holocausti: Circumdatum erat velis reticulatis à columnis dependentibus Exod. XXVII. Hic locus ordinarius Sacerdotum Levitarumq; rem sacram administrantium, quem quoque Israëlitæ certis occasionibus intrabant.

LII. (4.) Memoratis locis sanctitate inferiora erant castra Israëlitarum, in quibus tamen leprosi Lev. XIII, 46. XIV, 8. impuri Deut. XXIII, 11. Num. XXXI, 24. &c. degere nequibant. Loca extrà posita impura habebantur, sordibus destinata Deut. XXIII, 13.

LIII. Atque hæc erat prima locorum sanctorum ratio, quæ postea in Canaan circumstantiis mutatis nonnihil immutabatur.

LIV. 3. Succedunt *tempora*. Observare jubebantur Israëlitæ dies, Sabbatha, menses, festa., annos, Gal. IV, 10. Coloss. II, 16. Neque enim omne tempus pariter aptum ad cultum Dei habebant, unum alteri præferebant Rom. XIV, 5.

LV.

LV. *Primò notandi veniunt dies sive certæ partes cujuslibet diei, manè & vesperi.* Tum enim Sacerdotes offerebant sacrificia jugia Num. XXVIII, 3. adolebant suffitum, aptabant lucernas, populus verò fundebat preces, Luc. I, 10. Act. II, 15. III, 1.

LVI. *Dein septimi quique dies, Sabbatha dicti,* de quibus superiori capite ad præceptum IV. fusè.

LVII. *Tum novilunia sive primi dies in quovis mense.* Tanta solennitate exordia mensium non celebrabantur uti festa. Attamen in iis peculiares victimas Deo sacras faciebant, Num. XXVIII, 11-16. tubas inflabant Num. X, 10. postquam novam lunam conspexerant. Nondum enim vetustis illis temporibus juxta calculum novilunia instituisse videntur. *Dicta spectant ad communia Novilunia, non ad Novilunium Tisri, quod longè augustius,* & hinc festis magnis rectè accensetur, ceu quo populus conveniebat cultûs gratiâ, nullum opus faciebat, præter modo indicata alia huic diei propria, sacrificia offerebantur, soni frequenquentiores audiebantur, Num. XXIX, 1-7.

LVIII. *Porrò festum Paschatis in diem XIV. mensis Nisan ordinariò incidens,* quo inter duas vesperas agni Paschales mactandi erant Lev. XXIII, 5.

LIX. *Insuper festum Azymorum inchoans die XV. ejusdem mensis, finiens XXI.* Toto hoc

hoc tempore abstinebant Judæi ab omni fermento in cibo & potu. Maximè sacri erant dies primus & ultimus, secundus inclytus oblatione manipuli hordeacei Lev. XXIII, 6-15. Dies intermedii tanta solennitate non gaudebant, unde Judæis חול מועד dicuntur.

LX. *Præterea festum Pentecostes sive septimanarum*, quod finitis septem septimanis adeoque die L. post XVI. mensis Nisan celebrabatur. Unicâ tantùm die secundùm legem constabat, quâ præter sacrificia, de quibus Lev. XXIII, 18–21. Num. XXVIII, 26-f. duo panes fermentati coram Deo agitabantur, non tamen in aram, quæ omne fermentum respuebat, ferebantur, verùm inter Sacerdotes distribuebantur.

LXI. *Ut & dies expiationis* incidens in decimum Tisri, quo universus populus non solùm ab omni opere cessare debebat, sed & abstinere à cibo, potu, omnique quod corpori aliqua ratione gratum commodumque esse poterat, ut tantò profundiùs coram Deo humiliaretur. Hoc insuper die Pontifex præter alias victimas Num. XXVIII, 7-11. primò pro se suaque familia, postea pro toto populo piacularia offerre, sanguinem unâ cum suffitu in sanctissimum inferre tenebatur v. Lev. XVI. *cap. tot.*

LXII. *Denique festum Tabernaculorum*, agendum ejusdem mensis XV. usque ad XXI. quo toto tempore in Tabernaculis ex frondibus con-

confectis habitabant, fructus arboris pulchræ (quos recentiores per mala citrea exponunt) spathulas palmarum, ramos arboris densæ, (qualis myrtus, uti ex praxi constat) atque salices torrentis sumebant, inde fasciculum componebant gestabantque. Plura quoque sacrificia offerebant, de quibus Num. XXIX, 12--39. *Dies XXII. quoque sacer erat*, imò si XV. exceperis, reliquis sanctior, sed accuratè loquendo, non pertinebat ad festum Tabernaculorum, ceu quo in propriis ædibus habitare licitum erat, unde alia sacrificia hoc die sacra facta sunt, Num. XXIX, 35--39.

LXIII. *Tandem annus sabbathicus* quovis septimo anno recurrens. Toto hoc anno nullam culturæ agrorum, vinearum aliarumque arborum operam navabant. Unde nulla messis ordinaria speranda erat. Si quid verò sponte procrevit, id ejus, qui primus occupavit Lev. XXV, 2--8. Dein debitum, quod pauper contrahebat, remittebatur Deut. XV, 1. 2. Præterea tota lex Mosaica in principio anni (incipiebat autem in mense Tisri) festo Tabernaculorum à publica persona coram universo cœtu Israëlitarum, originariorum, adventitiorum, virorum, fœminarum, senum, juvenum prælegebatur. Deut. XXXI, 10--14.

LXIV. *Ultimò Jubilæum*, celebrandum quovis anno quinquagesimo, in quo præter modò memoratam ἀγιωσγησίαν servi Hebræi die deci-

decimo Tisri inflatis buccinis sive cornibus arietinis in libertatem mittebantur. Insuper agri qui præ paupertate vendebantur, proprietariis restituebantur, Lev. XXV, 8-f.

LXV. Atque ita dedimus brevem Ceremoniarum præcipuarum Historiam, ex Sacris tantùm juxta præsentis instituti rationem desumtam. Nunc quod alteram hujus capitis partem supra constituimus, investigandus est earum ortus, causæque, sed non licebit per singulas ire. Quare generalia tantùm, quæ exemplis quibusdam illustraturi sumus, in medium proferemus.

LXVI. *Ex Sacris clarè liquet, Deum Ceremoniarum, quas supra descripsimus, Auctorem esse*, illas diversis temporibus & locis instituisse, plerasque per Mosen de novo tulisse, alias partim confirmâsse, partim novis circumstantiis muniviſse, uti Sacrificia, Circumcisionem.

LXVII. *Quare autem Deus tales leges dederit, non ita clarum.* Leges morales innatam habent demonstrationem. Fundatæ illæ sunt in perfectionibus divinis, in natura hominis. Non ita se habent ritus, veluti sacrificia. Ps. L. 13. & alibi.

LXVIII. *Attamen pro certo habendum puto, Deum nihil simpliciter ex arbitrio absque ratione, quæ anima legum est, præcipere.* Nam illud *sic volo, sic jubeo, sit pro ratione*

tione voluntas, Principis morosi, imprudentis potiùs quàm prudentis dictum videtur. Et quum Deus sapientissimus sit, qui omnia opera in sapientia condidit, non putandus est statuta nulla ratione fundata definivisse. Quamvis id haud difficulter concedi possit, nos in hæc tempora reservatos genuinam rationem subinde ignorare.

LXIX. *Quemadmodum Vir prudens, dum unum aliquod agit, nihilominus varium scopum usumque præfixum aliquando habet, ita Deus Leges Ceremoniales ferendo varios fines intendit*, quales sunt; populum Judaicum ceu peculium suum à reliquis gentibus separatum regere, arcere dein hac ratione, ne in Idololatriam prolabatur, beneficia collata in recenti memoria tenere, ducere ad officia moralia, quæ in ritibus tanquàm picturis referebantur, cogitanda, agenda, maximè Jesum Christum præfigurare, ut jugi ejus desiderio illi, qui ad hunc cultum adstricti erant, teneantur.

LXX. *Quod enim primum attinet, utique Ceremoniæ faciebant ad discernendum Judæos ab alia gente.* Quemadmodum enim paritas cultûs externi multum facit ad communionem, ita disparitas eam tollit. Unde Paulus Eph. II, 15. notat, legem præceptorum in dogmatibus inimicitiam Judæos inter & Gentes fecisse. Et Tacitus: *Circumcidere genitalia*

(*Judæi*) *instituêre, ut diversitate noscantur.* l. V. Hist. Exemplo sit immolatio boum, arietum & hircorum, quos vicinæ gentes tanquam Numina coluerunt.

LXXI. *Hinc secundò palam est, facere quoque ad extirpandum Idololatriam.* Vel quid magis ad ματαιότητα cultûs boum, vaccarum &c. facere posset quàm illis cultro jugulum incidere? Qui finis tantò magis necessarius videtur, quantò certius est tum, quando Leges Ceremoniales dabantur, cultum Idololatricum non solùm passim in mundo grassatum fuisse, sed etiam ipsos Judæos jam corruptos fuisse. Quare quum error sit, cum quo vera Religio nulla ratione stare potest, legibus & moralibus Exod. XX, 2--6. & ritualibus ex animis Israëlitarum eradicandus erat.

LXXII. *Tertiò ingentia beneficia in Majores collata ita ad posteros propagabantur.* Exemplum sit Festum Paschatis panumque azymorum. Fortior aliquis modus liberationem ex Ægypto gratiâ divinâ plenam in recenti memoria tenendi excogitari vix potuisset, quàm mandando, ut singulis annis eodem anni tempore agnus Paschalis mactaretur comederenturque panes infermentati.

LXXIII. *Quartò inserviebant quoque ad mores figuris involutos suadendum.* Vel quare illi arcebantur à Sanctuario, conversatione cum Israëlitis juxta Legem mundis, qui cor-

corpore immundi? Et quare tum demum aditus ad loca sancta concedebatur, si leges purificationis observarant? Nisi me omnia fallunt, ad docendum, illos in communione Dei & sanctorum tantùm esse posse, qui puritati cordis student.

LXXIV. *Quintò pertinebant figuræ ad præadumbrandum Christum ejusque Ecclesiam.* Quoniam enim Jesus Christus sub V. Testamento unicum fidei objectum, meritò non solùm in verbo promittebatur sed etiam in typis præfigurabatur, ut coram oculis fidelium depictus cognosceretur, quæreretur, diligeretur æstimareturque. Et hæc ratio, quòd Deus ritus cum tot circumstantiis præscripserit, accuratéque observandos inculcaverit Hebr. VIII, 5. Quare aliàs is, qui sapientissimus spiritus, minutissima quæque præcepta carnalia, vestiaria &c. certô modô, certô ordine, certô denique tempore sub gravissimâ pœnâ injunxisset? Nec dubitare sinunt ea, quæ Paulus de legibus his passim, maximè in Epistola ad Hebræos, reliquit, tum generatim legem umbram bonorum futurorum Hebr. X, 1. appellando, tum speciatim Aaronem ejusque sacrificia, præcipuè quæ in die expiationis sacra fiebant, cum Christo ejusque morte expiatoria conferendo. Accedit quòd alia solidior causa legum ritualium sub N. Testamento abrogatarum dari nequeat, quàm quòd illæ Messiam antecedere

eumque præsignificare debuerint. Unde qui illo manifestato easdem observare vult, abnegator adventûs Messiæ videri potest. Atque ex hoc intuitu Jesaias c. LXVI, 3. ait. *Qui immolat bovem, habetur ac si interfecisset virum.* & cætera. Saltem nonnulli fines, quos supra allegavimus, adhucdum obtinere valerent, quod argumento est, illos ex præcipuis non esse, sed subordinatis tantùm, hunc verò primarium, quoniam finem faciebat exercitationi corporali Ceremoniarum. Ultimò egregia datur convenientia inter ritus legibus illis præscriptos atque Christum ejusque corpus. Quum verò pictura, quæ hominem exprimit, doceat, pictorem proposuisse sibi ejus lineamenta depicta dare, ita quoque colligimus, sapientem claramque σκιὰν *delineationem bonorum futurorum* intentam esse à cœlesti sapientissimo artifice.

LXXV. Perfacile esset hoc, quod in genere adstruximus, variis exemplis comprobatum illustratumque dare, sed brevitatis studiosi *ex unaquaque Classe unum solùm exemplum proferemus. Ex Classe scil. rituum personalium, localium, temporalium.*

LXXVI. *Et ex personis quidem in medium producemus clarissimam, Aaronem Pontificem.* Hunc enim Christum præfiguraſſe Paulus non semel docet Hebr. II, 17. III, 1. IV, 14. & in

& in tot aliis locis. Et quàm bene, subjecta convenientia docebit.

LXXVII.

AARON TYPUS JESU CHRISTI.

I. *Ratione nominis.* Aaron vocatur כהן item כהן הגדול *Sacerdos Magnus* Lev. XXI, 10., nec non הכהן המשיח *Sacerdos unctus* Lev. IV, 3.

II. *Ratione vocationis ad munus sacerdotale.* Aaron non sibi ipsi hunc honorem tribuebat, sed vocatus à DeoHebr. V, 4. uti legimus Exod. XXVIII, 1. cf. 1. Chron. XXIII, 13. Et quum malevoli vocationem divinam in dubium vocarent, ea non sine miraculo comprobabatur. Num. XVI, XVII.

I. *Ratione nominis.* Christus quoque in V. & N. Testamento hoc nomen habet. In illo Ps. CX, 4. *Tu* כהן *Sacerdos*, Hebr. III, 1. Ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν *Pontifex confessionis nostræ.* משיח sive Messiæ nomen ipsi quàm maximè proprium Ps. II, 2.

II. *Ratione vocationis ad munus sacerdotale.* Ita & Christus οὐχ ἑαυτὸν ἐδόξασε γενηθῆναι Ἀρχιερέα, ἀλλ' ὁ λαλήσας πρὸς αὐτόν. Σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ. Hebr. V, 5. 6. Et quando præter alios rejectanei Pontifices adversus Messiam insurrexerunt, Pontificatus ejus variis signis & prodigiis probabatur.

III. *Ratione consecrationis.* Idem Aaron munus suum auspicaturus sistebatur à Mose fido Ministro coram Deo, lavabatur, induebatur, oleo perfundebatur, atque ita solenniter inauguratus purus absque labe functiones aggrediebatur.

IV. *Ratione muneris.* Aaron consecratus curabat ea, quæ hominum apud Deum, incendebat aromata, offerebat victimas immaculatas, benedicebat populo eumque informabat.

III. *Ratione consecrationis.* Jesus Christus munus suum mediatorium publicè inchoaturus à Johanne Baptista in conspectum Dei sistitur, aquæ immergitur, oleo spirituali (quod descensu columbæ indicabatur) baptizatur, sicque idoneus, qui tantam functionem subiret, sanctus, sine malo, pollutione, cœlitus declaratur.

IV. *Ratione muneris.* Christus, ex quo ad munus publicè inauguratus, unicè curæ habuit salutem nostram à Patre recuperandam. Quare & in his terris & in cœlo fortiter intercedit pro nobis, non bestiam sed seipsum, agnum Dei, pro peccatis nostris in mortem tradidit, ut hinc omnis benedictio spiritua-

V. *Ratione dignitatis.* Erant quidem etiam alii Sacerdotes itidem à Deo vocati, loti, oleo perfusi, nitidè amicti, licèt non Pontificis instar, sed dignitate inferiores, non ad omnes functiones admissi, ad quas Aaron.

tualis in nos redundaret, sapientesque rederemur ad voluntatem gratam perfectamque Dei explorandum.

V. *Ratione dignitatis.* Christus magnus Pontifex Heb. IV, 14. Sed fideles gregarii ἱερεῖς *Sacerdotes* Apoc. I, 6. Ad hanc dignitatem à Deo vocati 1. Petr. II, 9. In sanguine Christi loti Apoc. I, 5. Spiritu S. uncti & obsignati ad diem redemtionis, 1. Joh. II, 20. Eph. IV, 30. Vestiti vestibus salutis, pallio justitiæ, sponsi instar sacerdotali ornatu ornati Esa. LXI, 10. Pontifice longè inferiores, nam is oleo lætitiæ unctus præ sociis suis Ps. XLV, 8. Is octo indutus vestes, quarum quatuor tantùm habent fideles; quippe *pulcherrimus*

VI. *Ratione conjugii.* Pontifex aliam conjugem ducere non debebat quàm virginem ex populo Dei, ex qua semen sacerdotale tollebat.

inter filios hominis. Ps. XLV, 3. Perfectiones ei insunt, quæ nulli pio communicatæ, unde etiam solus functiones peccata nostra expiantes in conspectu Dei peragit Jes. LXIII, 3. Hebr. IX, 7. 11, 12, 24.

VI. *Ratione conjugii.* Christi conjunx Ecclesia est casta virgo, 2. Cor. XI, 2. gens sancta, populus peculiaris 1. Petr. II, 9. liberos gignens sine macula, ruga aut alia labe Eph. V, 27.

LXXVIII. *Personali succedat typus localis, & quidem sanctissimum in Tabernaculo,* quod cœlum tertium præfiguratsse ex Paulo discimus Hebr. IX, 24. Quæ duo sequenti modo comparari posse arbitramur.

LXXIX.
SANCTISSIMUM COELI SUPREMI TYPUS.

Scriptura locum hunc קדש קדשים *san-*

Cœlum tertium locus omnium sanctissi-

ctum

tum sanctorum appellat, nam sanctior illo in his terris non dabatur & nihil impuri in illum intrabat.

Suspendebatur ante illum velum aditum arcens tamdiu, quamdiu non remotum aut scissum.

Removit illud Pontifex in die expiationis interceſſurus pro populo fœderato ſanguinemque victimæ in atrio mactatæ ad expiationem peccatorum ſparſurus.

In illo ſymbolicè habitabat Deus atque ex eo proſpiciebat ad illos, qui coram iſto adoraturi comparebant, num integro & fideli mus, מקום קדוש Pſal. XXIV, 3. extra quem impuri, *canes*, *ſcortatores* &c. Apoc. XXII, 15.

Intrandum unice per velum, hoc eſt, carnem Chriſti crucifixam, ſciſſam Hebr. X, 19. 20. Unde Salvatore mortuo velum hoc medium rumpebatur.

Ipſe Chriſtus Pontifex N. Teſtamenti velum removit, hoc eſt, ſeipſum lubens in mortem tradidit, atque ita apparuit in cœlo coram Patre ſuo ad intercedendum pro fidelibus, monſtrandumque ſanguinem ſuum pretioſum in his terris iſtorum loco fuſum.

Cœlum eſt palatium & thronus Dei, Joh. XIV, 2. Eſa. LXVI, 1. manifeſtantis ibi Majeſtatem & gloriam ſuam. Inde quoque pro-

corde, an non. Dabat quoque responsa in casibus ambiguis, periculosis illis, qui per Mosen Mediatorem aut Pontificem Urim & Tummim gestantem ipsum adiverunt.

In eodem Sanctissimo reperiebatur arca continens tabulas fœderis, quæ verò operculo propitiatorio tegebantur, ita ut postulata earum cerni & legi non potuerint. Ex hoc operculo formabantur duo Cherubini facie-bus ad se invicem conversis & oculis jugiter defixis in ἱλαστήριον.

spicit in filios hominis, attendens quinam sint veri adoratores, & quinam falsi, hypocritici, Ps. XIV, 2, XXXIII, 13. Reddit etiam per Spiritum Sanctum responsiones illis, qui in Christo Jesu, Mediatore Deum inter & homines, Pontifice & Apostolo confessionis nostræ, vera & perfecta luce mundi, necessitates suas proponunt, Rom. VIII, 26.

Etiam in cœlo est arca Testamenti Jesus Christus, in cujus intimo lex Dei, Apoc. XI, 19. Ps. XL, 9. 11. Ipse quoque ἱλαστήριον, quod Pater proposuit per fidem in sanguine suo, Rom. III, 25. postulata legis, quibus à nobis satisfaciendum, adimplens, adeò ut nos liberi simus à lege. Ex Christo tanquam Re-

dem-

demtore ortum trahunt duo fidelium agmina sub duobus Cherubinis relata, agmen scil. fidelium V. & agmen fidelium N. Testamenti, qui unà oblectamentum in Salvatore suo quærunt, ideoque eum inconnivis fidei oculis aspiciunt.

LXXX. Tertius typus à tempore desumendus: Desumemus autem à Jubilæo, quod tempus N. Testamenti, maximè alterius vitæ præadumbravit v. Esa. LXI, 1. 2. Luc. IV, 18. 19. Esa. LXIII, 4. 2. Cor. VI, 2. Eph. IV, 30.

LXXXI.

JUBILÆUM FIGURA N. TESTAMENTI, MAXIMÈ LIBERTATIS IN ALTERA VITA.

Jubilæum Annus דרור *libertatis* Lev. XXV, 10. & gaudii in populo Israël habebatur.

Tempus N. Testamenti in Sacris dicitur שנת רצון *annus beneplaciti* Jes. LXI, 2. quo captivis דרור libertas annuntiatur c. c. v. 1. Item καιρὸς εὐφροσύνης, ἡμέρα σωτηρίας 2. Cor. VI, 2. plenus gaudio spirituali;

Qui per universam Israëlitarum terram ad incolas exhilarandum ope buccinarum sive cornuum arietis annuntiabatur.

Hoc anno communio bonorum inter fœderatos Israëlitas obtinebat, nemo proprios agros aut arbores pos-

tuali, quod tamen nomen maximè meretur altera vita, verè ἡμέρα ἀπολυτρώσεως Ephes. IV, 30. quo *creatura liberabitur à servitio corruptionis ad libertatem gloriæ filiorum Dei* Rom. VIII, 21.

Etiam tempus N. T. per universam terram ministerio Apostolorum fidorumque servorum Jesu Christi significabatur, passim Evangelium, vox agni Dei, ad consolandum pœnitentes peccatores prædicabatur Esa. LII, 7. Rom. X, 18. XV, 19. Ita suo tempore vita futura ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου, καὶ ἐν σάλπιγγι θεοῦ promulgabitur, 1. Thess. IV, 16.

Pariter sub diebus Messiæ inimicitia, quæ olim erat inter Judæos & gentes sublata, atque ex duobus ἓν *unus* posside-

sidebat, sed fructus, qui absque labore suo sola Numinis benedictione procrescebant, cedebant in communem usum, hinc cuncti pariter divites absque invidia, solicitudine in magna felicitate hoc tempus transigebant.

pulus factus est Ephes. II, 14. colens κοινωνίαν cum Patre & Jesu Christo, atque etiam inter se invicem 1. Joh. I, 3. quæ quidem communio maximè spiritualis est, exerens se nihilominus, ubi illa vera, participando bona terrestria egenis Rom. XV, 26. 27. imò quò fervidior illa, tantò magis terrestria bona eandem pretiosam fidem profitentibus communia facit, Act. II, 44. IV, 32. Facilè enim intelligunt fideles, fructus sive Spiritûs sive terræ non labori proprio sed benedictioni cœlesti unicè acceptos ferendos esse, quos igitur, quoniam gratis acceperunt, gratis etiam communicant, abundantia sua aliorum defectus supplent ὅπως γένηται ἰσότης 2. Cor. VIII, 14. quo-

14. quomodo nullus locus invidiæ, solicitudini, locus verò gaudio. Certi quippe sunt, gratiam & benedictionem Patris perpetuam omnibusque sufficientem fore. Fatendum tamen, plura ferrea in diebus N. Testamenti tempora dari, in quibus communio bonorum rariùs observatur, atque Jubilæi Antitypus vix ostendi potest. At post hanc vitam cuncta hæc in omni perfectione sua obtinebunt.

Si qui ex fœderatis servi facti sunt, illi decimo Tisri sive solenni expiationum die in libertatem plenè mittebantur, sed mancipia manebant illi, qui extra fœdus erant, naturâ Cananæi.

Sic illi, qui in fœdere æterno Christo à Patre traditi sunt, sanguine in diebus N. Test. fuso, verè liberi facti, quamvis naturâ & ante regenerationem mancipia peccati fuerint Rom. VIII, 6. &c. At reliqui æternam servitutem subeunt, nunquam ab

ea

Restituebantur quoque agri Canaanitici ex divina sortitione hæreditarii, qui paupertate premente antea in aliûs potestate erant.

ea eximendi 2. Petr. II, 19. Quæ plenissimo modo in altero seculo adimplebuntur.

Christus fidelibus plenum jus bonorum spiritualium, cœlestium recuperavit, quorum possessione propter peccatum exciderant. Tum verò in dominium perfectè introducentur, (attamen jam ea prægustant) quando illucescent tempora ἀποκαταστάσεως πάντων, Act. III, 21.

LXXXII. *Tertio & ultimo loco dicendum est de duratione harum legum.* Naturâ earum pensitatâ clarissimum est, illas in Deo ejusque perfectionibus haud necessariò fundatas esse, uti se habent morales. Hinc sequitur, non æternas, absolutè necessarias esse, sed solo sapientis Legislatoris arbitrio stare. Unde plura secula elapsa sunt, quibus nullæ Mosaicæ Ceremoniæ Ecclesiæ imponebantur. Patet porrò, semel latas tamdiu durare, quamdiu placet Legislatori. Quoniam verò Hic nullibi dixit, fore ut ritus hi perpetuò in Ecclesia vigere deberent,

non

non etiam censendi sunt perpetuæ observantiæ. Imò quia eum in finem instituit, ut Judæos ab alia gente discernerent, ipsis præadumbrarent adventurum corpus, bona omnia subsecutura, hinc evidens est, voluisse Deum ut ad tempus nonnisi durarent. Quippe juxta Prophetias æque ac Scripta N. Testamenti unus populus ex utroque conflandus, corpus quoque, quod Messias, illuxit & impleta sunt magna & pretiosa promissa. Qui verò figuras has æternæ durationis statuunt, Libris V. & N. Testamenti adversantur, perpetuò inimicitiam Israëlitas inter & Ethnicos exstituram statuunt atque abnegant Messiæ manifestationem, bonorumque largitionem. Atque hinc est, quòd illi, qui Ceremonias in diebus Messiæ observandas arbitrantur, summè sceleratis accomparentur Esa. LXVI, 3. aliud quàm Christi Evangelium prædicent, hinc veri Christiani non sint, contra quos Patres Hierosolymitani Act. XV, & Paulus in Epistola ad Galatas. Est præterea ea Ecclesiæ sub N. Testamento conditio, quæ cum ritibus Mosaicis stare nullatenus potest. Quippe ad eam pertinent fideles per totum orbem sparsi: Quomodo verò hi ternis vicibus singulis annis Hierosolymam ad adorandum conscendere valent? Unde Malachias c. I, 11. prædixit, fore ut *suffimentum in omni loco adducendum sit*, cf. Joh. IV, 21. 23. Denique prostant diserta loca, quæ fœdus Sinaiticum tempore Messiæ inu-

inutile tradunt, uti Jer. XXXI, 31--35. unde Paulus quoque Hebr. VIII, 13. Testamentum Vetus γηράσκον, ἐγγὺς ἀφανισμοῦ probat. Etiam Daniel elapsis LXX. septimanis sive Messia manifestato sacrificium & fertum abrogandum præfatus est, cap. IX, 27.

CAPUT XVII.

De LEGIBUS CIVILIBUS SUB OECONOMIA MOSAICA.

Σύνοψις.

Alteram Legum arbitrariarum speciem constituunt civiles. §. I.

Quæ aliis civilibus excellentiores, quoniam à cœlesti Rege datæ sunt. §. II.

Qui quoque eas genti Judaicæ rectè tulit, quippe ejus Rex erat. §. III.

Unde constat formam Reiminis Judaici Theocraticam dicendam esse. §. IV.

Quædam ex iis statum domesticum, aliæ publicum concernunt. §. V.

Ad statum domesticum referuntur conjuges, liberi, servi. §. VI.

Conjugium ex præcepto Dei ineundum

esse statuunt Hebræi. §. VII.

Conjugium inituri selectum personarum instituere debebant. Neque enim iniri poterat cum prohibitis Lev. XVIII. nisi in casu fratris absque liberis defuncti: Nec cum parte infideli, saltem in infidelitate manente. §. VIII.

Tenebatur in matrimonio contrahendo hic modus. Fiebat Desponsatio: Dabatur dos & sponsa in ædes sponsi introducebatur §. IX.

Jura liberorum: Hi obedientiam Parentibus debebant. §. X.

Et post parentum mortem in bona succedebant. Primogeniti duplam, natu minores unam tantùm portionem accipiebant. Filiis deficientibus succedebant Filiæ. Deficientibus his fratres, dein patrui aut denique proximi consanguinei. Excipiuntur duo casus. §. XI.

Servi, qui quoque ad statum domesticum spectabant, erant duorum generum, Hebræi & Cananæi §. XII.

Illi servi facti aut quando seipsos vendebant, aut quando vendebantur à Magistratu, aut denique quando vendebantur à Parentibus. §. XIII.

Leniter habebantur. §. XIV.

Et certo tempore liberi dimittebantur §. XV.

At Cananæi & duriter

ter tractabantur & perpetuò serviebant §. XVI.

Jura mercenariorum. §. XVII.

Sequuntur leges publicum statum concernentes, quarum quædam tempore pacis obtinebant, & respiciebant Judæos: Aliæ tempore belli. §. XVIII.

Tempore pacis leges vel Magistratum, vel subditos spectabant. Magistratus vel summus, qui leges ferebat, vel subalternus. §. XIX.

Qualis primò Moses. §. XX.

Postea illi adjungebātur LXX *Viri.* XXI.

Qui etiam posteriori tempore sub Templo I. & II. tanquam Judices sedebant atque Synedrii M. nomine veniebant. §. XXII.

Constabat aut saltem constare poterat ex viris omnium tribuum, etiam Levi. §. XXIII.

Præterea quoque minores senatus per urbes Canaan instituebantur. §. XXIV.

Notantur insuper Judices *speciatim ita dicti.* §. XXV.

Ut & Reges. §. XXVI.

Subditi erant vel Originarii vel Adventitii: Hi vel totam Religionem Judaicam amplectebantur, vel partem tantum. §. XXVII.

Leges Judicum generales. XXVIII. XXIX.

Speciales in testibus examinandis. XXX.

Auctoritas Magistratûs exercebatur in potestate puniendi. Pœnæ aliæ non capitales. §. XXXI.

Aliæ capitales. XXXII.

Leges pro vita instituendæ sunt vel universales vel particulares. §. XXXIII.

Illæ veluti in officiis erga Deum consistunt. §. XXXIV.

Aut iis erga próximum: quarum quædam ad præceptum sextum. §. XXXV.

Aliæ ad septimum. §. XXXVI.

Aliæ ad octavum. §. XXXVII. XXXVIII.

Particulares sunt, pauperum. XXXIX.

Bestiarum jura. XL.

Succedunt jura bellica, quæ tribus partibus comprehenduntur. §. XLI.

Prima continet exercitum judaicum. §. XLII.

Hic constabat ex militibus imperantibus & parentibus. XLIII.

Speciatim notandus venit Sacerdos unctus ad bellum. XLIV.

Exercitûs præclarus ordo, vexillis majoribus & forsan etiam minoribus distinctus. §. XLV.

In medio situm erat summi Ducis tentorium, sive Tabernaculum Dei. XLVI.

Præclarum illum ordinem tamdiu tenebant castra, quamdiu symbolum præsentiæ divinæ se non movebat. Motô hôc & signô per tubas datô certô ordine & ipsa movebantur. §. XLVII.

Altera agit de causa belli, quæ Dei præceptum. §. XLVIII.

Tertia de Legibus in bello gerendo, finiendo. Majori vel minori clementia utebantur, prout variabant hostes. Nam quas-

quasdam gentes pace non oblatâ interimebant. §. XLIX.

Aliis & magis dissitis pacem offerebant, sed sub certis conditionibus. §. L.

Quæ verò eam detrectabant, vi superabantur. §. LI.

Expositis legibus civilibus ostenditur illas ita comparatas fuisse, ut Religionem promoverint. §. LII.

Unde nunc fluit, leges, quæ & quatenus ad hunc usum faciunt, non esse abrogatas sub N. Testamento.

§. I.

PRimam Legum arbitrariarum speciem superiori capite pertractavimus. *Pertractanda hoc altera de legibus civilibus, quæ, Auctore Deo, Mosis ministerio, populo Israëlitico latæ erant, ut distinctum à quavis alia gente corpus civile constituerent, sub Magistratu suo unà tranquillam, pacificam, amore erga se invicem plenam vitam in Canaan usque ad Messiæ adventum ducerent.*

II. *Memoratæ leges omnes alias ejusdem usûs in eo superant, quòd à supremo Domino & Regum Rege proficiscantur.* Unde de earum sapientia, æquitate, atque maxima obligandi vi nemo dubitare valet. *Custodietis omnia statuta mea & omnia* משפטי *judicia mea, atque facietis ea: Ego Jehova* Lev. XIX, 37.

III. *Rectè autem is Civilia ordinavit qui Rex & Dominus gentis est.* Talis verò Deus. Non quidem eâ tantùm ratione, quâ Dominus totius terræ, sed particulari, quatenus sibi Gentem Israëliticam potenti manu justè acquisivit, initô solenni fœdere à subditis Rex declaratus est atque abhinc solus titulum, pompam & reliqua jura regia usurpavit, sicuti alibi hac de re ex instituto verba fecimus, *dissert. de Theocratia Israelitarum, à Mose præsertim usque ad Saulem.*

IV. *Unde nunc constat formam regiminis Judaici accuratè loquendo Theocraticam dicendam esse*, quod Josephus *l. II. contr. Apionem p.* 1071. *ed. Col.* commodè notavit. Atque hoc ipsum affirmatur in Sacris 1. Sam. XII, 12. VIII, 7. Jud. VIII, 23. Hinc qui Judices inferiores constituti, à Deo excitati, electi erant: Hi non secundum proprias sed divinas leges casus cognoscebant, decidebant: Ambigua & quæ gravioris momenti determinanda eidem supremo Domino proponebantur.

V. *Possunt autem hæ leges distinctè considerari, quatenus ex iis quædam statum domesticum; quædam publicum spectant.*

VI. *Status domesticus absolvitur legibus conjuges, liberos, servos concernentibus.*

VII. *Conjugium inire rem, quæ in viri arbitrio stat, esse negant Judæi.* Verum lege divi-

divina & quidem omnium prima Gen. I, 28. præceptum fuisse illudque posteriori tempore perpetuò valere iidem docent

VIII. *Conjugium inituri selectum personarum facere debebant.* Nam (1.) matrimonia contrahi non poterant inter personas consanguineas juxta Lev. XVIII. Excipe peculiarem casum fratris absque liberis defuncti, cujus relictam uxorem quidam fratrum aut si nullos fratres habebat, amicorum in uxorem ducebat, Deut. XXV, 5. 6. Gen. XXXVIII, 6. Matth. XXII, 24. 25. Ruth. III, IV. (2.) Nec contrahi poterant inter partem fidelem & partem infidelem, Idololatricam Deut. VII, 3. 4. Exod. XXXIV, 16. Hinc post captivitatem Babylonicam ejusmodi conjugia jam contracta solvebantur, Neh. XIII, 25. 26. Excipe mulierem Ethnicam captivam certis conditionibus duci concessam Deut. XXI, 10--15. quæ tamen probabiliter Idololatriæ renuntiavit. Ita si qui naturâ Gentiles ad Judæorum Sacra penitus transierunt, & hâc ratione συμπολίται facti, videntur Originariis Judæis non prohibiti, quominus cum iis sive masculis sive fœminis conjungerentur. Solent tamen Magistri distinguere, *notante Seldeno de Jure Nat. & Gent.* l. V. c. 14. dum tradunt cum gentium nonnullarum (quales sunt septem gentes Cananææ) proselytis utriusque sexus vetita esse perpetuò originariis Judæis; cum nonnullarum

sexûs masculi tantùm; cum aliarum usque ad generationes aliquot; cum reliquarum simul atque Proselyti facti sunt permissa fuisse matrimonia. Vide alia, quæ de hac materia supra notavimus c. XV. §. LXIII. Ordinariò thori socios vel socias ducebant ex propria gente. Nec refert, an conjungendi contribules an diversarum tribuum fuerint, nisi in eo casu, quando filiæ ἐπίκληροι ex lege obligatæ ad conjugium cum masculis ejusdem tribûs faciùndum Num. XXXVI, 7.

IX. *Hunc verò in contractu matrimonii modum tenebant. Primò* facta erat desponsatio Deut. XX, 7. Dos *dein* destinabatur à sponso sponsæ, quæ minimum L. siclorum erat, sponsa virgine existente. *Postea* sponsa in ædes sponsi introducebatur Deut. XX, 7. manebatque in iis, si virginitatis notæ in illa repertæ, Deut. XXII, 13--22. atque etiam postea fidem conjugalem servavit. Alias leges, quæ huc referri possent, jam c. XV. in explicatione præcepti septimi tractavimus.

X. *Liberorum erat Parentibus obedientiam præstare*: Quâ denegatâ, convitiis erga progenitores effusis, lapidibus obruebantur, juxta Lev. XX, 9. Deut. XXI, 18--21.

XI. *Liberi quoque post Parentum mortem eorum bona hæreditario jure possidebant.* Et quidem si filii superstites, illi soli jus hæreditandi habe-

habebant, non filiæ, nisi fratres nulli fuerint. Num. XXVII, 8. Fratribus non eadem portio dabatur, primogenito dupla, sed una tantùm natu minoribus Deut. XXI, 15--18. Quando verò defuncto nulli liberi sive masculi sive fœminei sexûs, transibant bona ad fratres; Sine quidem fratres ipsi erant, hæredes censebantur patrui. His quoque deficientibus hæreditas cedebat illi, qui defunctum consanguinitate proximè attingebat, Num. XXVII, 9. 10. 11. quæ paulò aliter à traditionariis exponuntur, *vide Maim. de haered.* c. 1. Duo tamen videntur excipiendi casus, quorum prior si Israëlita, qui uxorem reliquit, absque prole decesserat, tum frater aut consanguineus alius viduam sibi jungens portionem defuncti suam facit Ruth. IV, 9. 10. Alter verò, quando Israëlita ob enorme facinus ad mortem damnabatur, quod Judæi de perduellione intelligendum existimant, opes fisco adjudicabantur Esr. X, 8. Nabothi tamen vinea non solùm ob maledictionem in Regem fictam, sed & in Deum rapiebatur. 1. Reg. XXI, 13. 14. 15.

XII. *Familiae membra, quamvis ignobiliora, etiam servi & ancillae erant. Erant autem inter Judaeos duûm generum, hinc diversimodè habebantur. Servi erant nonnulli ex ipso populo Judaico: Servi alii ex Cananaeis aliisque nationibus.*

XIII. *Servos Hebraeos quod attinet, in*

servilem statum devenire valebant ex tribus causis. I. Vel quando paupertate pressi (extra quem casum venditio sui non licita erat) seipsos vendebant Lev. XXV, 39. II. Vel qui ex sententia Magistratus servituti addicebantur, Exod. XXII, 2. Deut. XV, 12. non habentes, quo furtum restituerent. III. Vel denique, qui ex Patris pauperrimi voluntate servitutem subibant Exod. XXI, 7. Utrumque sexum à Magistratu aut parente vendi posse ex locis allegatis probabile, licèt Judæi ex antiqua traditione referant fœminam ob furtum à judicio non vendi v. *Seld. de Jur. N. & G.* l. VI. c. 7.

XIV. *Servi aut servæ Hebrææ leniter tractandi erant*, jubente supremo Domino Lev. XXV, 43. *Non dominaberis in illum* בפרך *sævè*, uti dominabantur Ægyptii Exod. I, 13. 14. *sed time Deum tuum.* Quandoquidem enim idem hero & servo in cœlis Dominus, idem jus ad bona spiritualia, asperitatem quamvis ponere tenebatur Dominus Israëlita atque eum aliter habere, ac habebat mancipium ex Gentilismo.

XV. *Nec servitium perpetuò durabat.* Is enim, qui à Magistratu servituti addicebatur, peractis sex annis libertati reddebatur Exod. XXI, 2. & cum eo uxor Judaica, si maritatus erat. Si verò tempore servitutis, hero disponente, cum uxore Ethnica conjunctus, uxor & qui liberi prognati, In statu servili manebant.

Con-

Contigit quoque ut expletis sex annis ex amore, quo in dominum, uxorem, liberos ferebatur, libertati prætulerit servitutem, in quo casu auris, probabiliter dextra, subulâ ad januam perforabatur nec unquam manu mittebatur, nisi adventante Jubilæo Lev. XXV, 40. An vero is ex Hebræis, qui seipsum servum vendidit, etiam anno septimo libertate gavisus fuerit, non adeò liquet. Maimon arbitratur talem posse operam servilem ultra sexennium polliceri. *de servis c. II.* Quo jure ancilla Israëlitissa fruatnr, vide Exod. XXI, 7--12.

XVI. *Cum servis Cananaeis res aliter se habebat.* Et durius tractabantur illi & servitium serviebant perpetuum Lev. XXV, 43--47. Non tamen eò sævire licebat domino, ut oculo vel dente servum mutilaret, aliàs tenetur eum ea propter libertati restituere, Exod. XXI, 26. 27.

XVII. *A servis differebant mercenarii*, sive Israëlitæ, sive proselyti, saltem ex aliqua parte, qui pro certo pretio unam alteramve diem operam suam elocabant, Hinc Job. VII, 1. Es. XVI, 14. Hi rigida lege non habebantur uti mancipia posterioris speciei Lev. XXV, 40. atque quovis die jus mercedem postulandi tenebant Lev. XIX, 13.

XVIII. *Haec domestica. Publica magis sunt, quae dicturi. Et haec rursum dividuntur in leges, quae in pace obtinebant & concernebant*

nebant ipsum corpus Judaicum in se spectatum. A quibus differunt illae, quae in bello in usu.

XIX. *Tempore pacis considerandi veniunt, qui Magistratum gesserunt & qui illi subjecti fuerunt. Magistratus quidem summus penes solum Deum*, sed de hoc nunc non agimus. *Subalternus ex hominibus constabat, qui pro vario tempore admodum variabat.* In eo constans, quod nullas leges magni momenti ex proprio arbitrio fingendi licentiam potestatemque habuerit. Si verò aliquando adversa decreta Judices condiderunt, non jure suo usi sunt, potiùs contra id egerunt.

XX. *Et primò quidem à supremo Domino dominus & judex subalternus constitutus erat Moses* Num. XI, 14. 15. quod abunde ex tota ejus Historia constat.

XXI. *Quando verò lites nimium auctæ* atque plures majoresque, quàm ut illis omnibus decidendis unus, fidus sapiensque licet judex, par fuerit, exortæ, *Deus ad Mosis intercessionem septuaginta alios eligendos statuit eumque caput constituit* Num. XI.

XII. *Hunc Senatum*, qui posteriori tempore communiter Synedrium M. vocatur, *sub Templo primo & secundo sedisse Judaei vulgò referunt.* Et rectè: nam quæ ratio ejus constituendi, ea & potior ratio conservandi.

Dan-

Dantur quoque ejus vestigia in Sacris 2. Chron. XIX, 8. 10. Ezech. VIII, 11. maximè Scriptis N. Testamenti monumentisque Judæorum.

XXIII. *Constabat is aut saltem constare poterat ex personis omnium tribuum, etiam ipsius Levi, imò hujus maximè*, nam Sacerdotum & Levitarum causas quasvis cognoscentium frequens mentio in Lege. Hi legem, ad quam judicandum, optimè norant. Habebant quoque ampla stipendia, ut non soliciti esse debuerint de victu amictuque quærendo, prout reliquæ tribus. Commentum itaque merum quorundam est, qui duplicem Curiam Ecclesiasticam unam decidentem causas Ecclesiasticas, Politicam alteram examinantem civilia fingunt. Sacerdotes, Levitæ, qui in numerum judicum ascripti, omnes causas, etiam civiles, uti qui ad hanc dignitatem ex reliquis tribubus cooptati erant, inquirebant, definiebant, v. Deut. XVII, 8. 9. Deut. XXI, 5. Num. XI, 16. &c.

XXIV. *Praeter Senatum ex hominibus summum*, qui prius juxta Tabernaculum Num. XI, 16. postea Templum conveniebat, *plures alii per urbes Canaan dispersi instituebantur* Deut. XVI, 18. Neque enim ob rem quamvis, etiam levissimam, Synedrium M. adeundum erat sed graviorem nonnisi Deut. XVII, 8. 9. Differunt hi ab illo judicum numero, consessus loco, Auctoritateque.

XXV.

XXV. *Notandi etiam sunt Magistratus temporarii, velut* שפטים *Judices*, magna potestate instructi, tempore periculoso plurimùm immediatè à Deo electi, qui populum ex servitute, miseria eriperent. Hi tranquillitate redditа primum postea locum in gente habebant, sicuti hoc ex Judicum Historia constat.

XXVI. Samuele judicum, quos strictè ita appellare solemus, ultimô vivente Gens Judaica stultè & præfractè Regem expostulabat, 1. Reg. VIII, 5. ingratum non solùm se præbens erga Samuelem sed præprimis Deum, formam Theocraticam aspernando, Regi suo cœlesti quadantenus diffidendo, pravè Gentiles imitando l. c. cf. 1. Sam. X, 19. XII, 12. Hæc forma nonnisi durabat ad captivitatem Babylonicam. Interea tamen temporis, uti jam supra indicatum, etiam confessus M. aliique minores in Canaan erant 2. Chron. XIX. Reges quoque absoluta potestate non fruebantur, Deut. XVII, 14 f. cf. etiam 1. Sam. VIII, 11--22.

XXVII. Missis aliis Magistratibus minoris observationis *de subditis dicendum. Erant illi vel indigenae ex Parentibus Hebraeis, vel* גרים *adventitii ex alia terra & Religione.* Hi non solùm posteriori tempore in duas species divisi sed jam Mosis tempore. Quidam enim Origuariis æquiparantur atque ad

easdem

easdem cum illis leges adstringuntur Exod. XII, 48. Lev. XVII, 15. Alii non. Deut. XIV, 21. Illi cum regione etiam Religionem penitus deserebant totamque legem Mosaicam subibant. Hi non item.

XXVIII. *Porrò considerandæ sunt Leges, ad quas Magistratus judicare & ad quas Subditi vivere debebant.*

XXIX. *Magistratus*, qui constare debebat ex Viris sapientibus, prudentibus Deut. I, 13. fortibus, quique Deum timent, veritatem diligunt, lucrum verò odio prosequuntur, Exod. XVIII, 21. *causas quasvis juxta Legem cognoscere, sententiam non præcipitare, nec eam habitâ προσωπολημψία sive divitis sive pauperis in hanc vel illam partem flectere* Lev. XIX, 15. *in rebus ambiguis magnique momenti Deum adire tenebantur.*

XXX. *Et quemadmodum lites plurimùm testium testimonio decidendæ, ita magna in illis examinandis prudentia judicibus necessaria erat.* Unus aliquis non audiebatur, Deut. XIX, 15. maximè in rebus criminalibus, Deut. XVII, 6. minimùm duo requirebantur. Licet unus videatur causa esse, quominus uxor de adulterio suspecta potu amaro potanda Num. V, 13. nam quo in casu testimonium humanum dici potest, Deus per miraculum nullum dicit. Qui testimonia perhibebant, accuratè admodum interrogabantur, Deut. XIII, 14. & qui falsi deprehensi, ea aut simili afficiebantur pœna, qua is, contra quem

quem testati erant, testimonio vero reperto afficiendus fuisset.

XXXI. *Quum Magistratuum Auctoritas nulla sine potestate puniendi, Judaici quoq; eâ pollebant.* Respondebant autem *pœnæ* criminibus: Quare variantibus his variabant & illæ. *Nonnullæ non capitales; capitales aliæ.* *Illæ* veluti ℵ. *Talio* Exod. XXI, 24. *oculus pro oculo* &c. Est ea aliquando identitatis & quidem in causis capitalibus semper Num. XXXV, 31. Aliquando similitudinis Exod. XXI, 19. 22. 25. ב. *Mulcta*, qua duplum aut quadruplum vel quintuplum aut id, quod Judici visum, solvendum erat, Exod. XXII, 3. XXI, 22. ג. *Venditio* de qua supra §. XIII. ד. Flagellatio, qua is, qui flagella promeritus erat, præsente Judice 40. ictus, nunquam plures, sæpiùs minores accepit Deut. XXV, 1-4.

XXXII. *Hæ sive pœnæ capitales.* Lex trium tantùm disertè meminit, lapidationis scil. combustionis & decollationis, quarum illa gravissima, ista minùs gravis, hæc levior utrâque communiter habetur & rectè. Nam eorum, qui ad lapidationem damnati, majus crimen in Sacris notatum est, quàm comburendorum aut decollandorum. Præter has Judæi etiam memorant strangulationem. Verum nomen ne quidem exstat in Mose. Est ergo ordinationis recentioris, recepta in illis capitalibus pœnis, quæ nulla supplicii specie in Lege circumscriptæ sunt.

sunt. Putabant itaque ampliandos favores esse, & quod generaliter dictum, explicandum per speciem mortis levissimam. Recepta quoque suspensio à ligno, sed ea in usu penes illos, qui jam lapidati erant. Non ergo vivi suspendebantur; uti qui apud Romanos cruci affigi solebant Deut. XXI, 23.

XXXIII. *Leges, ad quas vita ducenda, sunt universales & particulares. Illæ, quæ omnes obligant ad officia erga Deum aut proximum; Hæ verò certas tantùm personas concernunt.*

XXXIV. Nolumus nunc de officiis erga Deum differere, utpote hac de materia jam supra c. XV. actum, sed ea tantùm memoramus, quæ certâ ratione ad civilia spectant: scil. illi, qui aliud Numen quàm Israëlis agnoverunt, aut coluerunt sub imagine aliove instrumento idololatrico, vel blasphemârunt, sive in honorem ejus diem septimum non integrum in quiete consumpserunt, ultimo eoque lapidationis gravissimo supplicio afficiebantur, v. Lev. XX, 2. XXIV, 16. Num. XV, 36.

XXXV. Præcepto sexto vetatur læsio famæ, corporis, vitæ proximi. (1.) Hinc qui adversus primum peccabat, ut qui castam virginem sibi desponsabat, postea ex odio illam vitiatam traducebat, pro redimendo convitio C. siclos puellæ patri solvere, ipsam puellam verò

Conjugem perpetuò cognoscere tenebatur. Deut. XXII, 19. (2.) Qui alterum percutiebat pro diversitate vulneris, personæ vel in libertate vel in servitute existentis, ad diversam pœnam damnabatur. Servus oculo mutilatus libertati dandus erat. Si verò percussus liber, talio identitatis vel similitudinis valebat. Compensandum erat amissi membri, neglecti laboris damnum, solvendæ quoque sanationis expensæ. Exod. XXI, 19. Lev. XXIV, 20. dolori, deformationis notæ satisfaciendum fuisse Magistri insuper referunt. Fœtus utero excussus, sine noxa lethali tamen, verberantem pœnæ pecuniariæ subjiciebat. Exod. XXI, 22. (3.) Qui verò animô deliberatô interficiebat proximum, interficiendus & ipse Exod. XXI, 12. Excipe גאל הדם *vindicem sanguinis*, qui consanguinei mortem vindicandi jus habebat Num. XXXV, 19. Dein *Zelotas*, qui zelo pro gloria Dei accensi enormes peccatores in facinore publicè deprehensos è medio tollebant, quo Pinehasi factum à Deo laudatum, hinc in exemplum tractum referendum est. Etiam illis, qui casu alios occiderant, vita relinquebatur. Tenebantur tamen ad mortem Pontificis exulare atque in uno sex Asylorum, quorum tria trans, tria alia cis Jordanem erant, tamdiu vivere, si à manu vindicis tuti esse volebant. Num. XXXV, 6--34.

XXXVI. Adulteri vel adulteræ morte plecte-

ctebantur Lev. XX, 10. Eadem afficiebantur, quorum concubitus præter naturam Lev. XVIII, 22--30. Nec tolerandi scortatores, prostibula Deut. XXIII, 17. Qui cum sponsa rem habebat, unà lapidibus obruebantur, puta si facinus intra urbem patratum. Non vero si in agro Deut. XXII, 23--28. Virginem qui compressit, jubebatur solutis L. siclis eam in uxorem ducere Deut XXII, 28. 29. aut puellæ patre conjugium renuente dotem Virginitatis dare, Exod. XXII, 16.

XXXVII. Qui res alienas contrectabant, variè puniebantur. Res Deo consecratæ & furto ablatæ auferentem morti subjiciebant, Jos. VII, 10--26. Eidem subjiciebantur plagiarii Deut. XXIV, 7. Non item fures sive pecuniæ sive pecorum aut alius boni. Sed hi pro diversitate furti diversimodè ad restitutionem, duplum, quadruplum, quintuplum, vel opibus deficientibus ad servitium damnabantur, Exod. XXII, 2. XXI, 37.

XXXVIII. Ad hanc classem etiam pertinent leges de terminis ad hæreditates determinandas positis non movendis Deut. XIX, 14. emtionibus & venditionibus justis. *Non facietis injustitiam in judicio, in dimensione* rerum cubito vendi solitarum, *in pondere* eorum, quæ appenduntur, *mensura* capacitatis rerum humidarum vel aridarum, &c. Lev. XIX, 35. Deut. XXV, 13--16. jure depositi,

Exod. XXII, 6--13. commodati c. c. 13. 14. rerum amissarum c. c. 9. agrorum depastorum c. c. 4. aut incendio vastatorum c. c. 5.

XXXIX. *Magis particulares leges sunt, quæ certas personas concernunt, veluti pauperes*, quibus admodum benignè prospectum. Nam (1.) pro mutuo usura non erat accipienda Exod. XXII, 25. (2.) Pignus ad vitam necessarium, si quod creditori datum, mox illis reddendum erat Exod. XXII, 26. 27. (3.) Imò debitum septimus quisque annus perimebat, Deut. XV, 1. 2. (4.) Quinquagesimus verò pauperi agros suos hæreditarios vendere coacto restituebat Lev. XXV, 14. &c. (5.) Dein Israëlitæ demessuri angulum agri in bonum pauperum relinquere tenebantur Lev. XIX, 9. XXIII, 22. (6.) Tenebantur quoque לקט *spicilegium* sive spicas, quæ in terram extra manipulum decidebant, iisdem colligendas concedere, l. c. (7.) Non minus racemuli tenuiores. (8.) Aut etiam grana uvarum decidua ex lege pauperum erant Lev. XIX, 10. (9.) Insuper si manipulus, cujus possessor non meminit, in agro relictus, egenis cedebat Deut. XXIV, 19. (10.) Tandem decima quovis anno tertio & sexto circuli septennalis præter alios ad hos quoque pertinebat Deut. XIV, 28. (11.) Ultimò nunquam non pauperi succurrendum, si liberalitate divitum indigebat Deut. XV, 7. & tum quidem ma-

maximè, quando festa celebrabantur, Deut. XVI, 11. 14. Nehem. VIII, 11.

XL. *Hactenus recensuimus jura, quæ homines respiciunt, sed quoniam etiam nonnulla bestias spectant, proferenda & illa. Quædam se habent tanquam beneficia. Alia ut pœnæ.* Tanquam beneficia, ea quæ sequuntur, notari possunt. (1.) Exod. XXIII, 4. 5. *Si offenderis bovem inimici tui aut asinum ejus errantem, omninò reducito eum ad illum: si videris asinum osoris tui sub onere suo succumbentem & cessares relinquendo ipsum relinquendo relinqueres (te) cum eo.* Nam qui negligit præceptum Dei, negligitur quoque à Deo, quomodo verba obscura videntur haud incommodè transferenda. (2.) Exod. c. c. v. 19. *Noli hœdum in lacte matris suæ coquere.* (3.) Deut. XXII, 6. *Cum occurrerit nidus avis coram te in via in quavis arbore, aut supra terram, in quo sunt pulli vel ova, & mater cubet super pullos aut ova, non accipies matrem cum pullis. Dimittendo dimittes matrem & capies pullos, ut bene sit tibi & prolonges dies* (4.) Deut. XXV, 4. *Non obturabis os bovis, cum triturat.* (5.) Deut. XXII, 10. *Non arabis bove & asino simul.* Quasi pœnæ (neque enim pœnæ propriè dictæ in bestias cadunt) sunt sequentes leges (1.) Exod. XXI, 28. 29. *Si quando cornu feriet bos virum aut mulierem ut moriatur, lapidando*

lapidabitur bos nec comedetur caro ejus, dominus tamen bovis innocens erit. Quod si bos cornupeta ab heri & nudius tertius fuerit testatumque hoc factum domino ejus, nec custodivit eum, atque sic occidit virum aut fœminam, bos lapidabitur, etiamque dominus ejus occidetur. (2.) Lev. XX, 15. *Vir qui arrogavit sibi cum jumento concumbere, morte afficitor: jumentum quoque ipsum occiditote. Item mulier quum accesserit ad ullum jumentum, ut incubet sibi, occides mulierem & jumentum ipsum.* (3.) Quando urbes integræ Deo devotæ, ne quidem bestiis parcendum erat. Jos. VI, 24.

XLI. *Tandem sequuntur leges bellicæ. Ad quas rectius cognoscendum tria notanda sunt. I. Quæ fuerit exercitûs Israelitici ratio. II. Quæ dein belli causa. III. Quæ insuper in bello gerendo finiendoque leges.*

XLII. *I. Rationem exercitûs Israelitici cognituri attendimus ad personas, ex quibus constabant ejus castra, & motum.*

XLIII. *Constabat exercitus ex militibus imperantibus & parentibus, sive* פקודי החיל *præfectis copiarum* Num. XXXI, 14. & צבא *exercitu. Imperantes erant diversæ dignitatis. Summus* (sermo autem est de summo ex hominibus, non Deo, qui aliàs Israëlitarum κατ' ἐξοχὴν supremus Dux erat) *Dux* veluti Moses,

Moses, Josua, Judices, postea Reges. Quorum tempore erant etiam Duces subalterni, qualis Joab 1. Reg. I, 19. Abner 2. Sam. II, 8. *Ducibus inferiores erant* שרי האלפים *Chiliarchæ* Num. XXXI, 14. ראשי האלפים 1. Chron. XII, 20. *His* שרי המאות *Centuriones*, Num. XXXI, 14. 2. Reg. XI, 4. *Centurionibus* שרי חמשים *Quinquagenarii*, Deut. I, 15, 11. 2. Reg. I, 10. 13. *Minimi* שרי עשרות *Decani* Deut. I, 15. nisi his postponere velis שטרים qui voluntatem Ducis in castris nuntiabant Jos. III, 2. 3. *Reliquum exercitum constituebant ii, qui præfectis modò recensitis parebant.* Atque hi requirebantur fortes, Deo confidentes, justæ ætatis, annorum minimum viginti, Num. I, 3. quorum animus tendit ad hostem Dei & gentis suæ perdendum. Hinc exautorabantur ignavi, molles, timidi, aut quorum animus ea, quæ domi chara sunt, perpetim desiderabat, vide Deut. XX, 8. 9.

XLIV. *Persona notatu digna quoque erat Sacerdos, castrensis veluti præco*, exercitum ad fiduciam Deo habendam fortiter adhortans, Deut. XX, 2. 3. Hunc Magistri *Sacerdotem belli causâ unctum* vocare solent.

XLV. *Quum exercitûs decus atque vis in bono ordine non parum collocata sit, exercitus quoque Israeliticus præclarum ordinem tenebat.* Unde Bileam eum intuens in laudes ejus erumpebat Num. XXIII, 2—10. Con-

ſtabat is ex duodecim tribubus, quæ ita diviſæ, ut tres ex iis caſtra fixerint ad ortum veluti Juda, Iſchaſchar, Zabulon Num. II, 3--10. Tres aliæ ad meridiem, quemadmodum Ruben, Simeon & Gad c. c. v. 10--18. Aliæ tres ad occaſum & quidem Ephraim, Manaſſes, Benjamin eod. c. v. 18--25. Tandem tres reliquæ ad Septentrionem & erant Dan, Aſcher & Naphtali. c. c. v. 25--33. Tribus tribubus ad eandem plagam metantibus unum vexillum majus datum erat, Num. II, 3. 10. 18. 25. An præter vexilla majora ſigna alia minora, quæ familias diſtinguebant, fuerint, non ſatis liquet. Niſi ea indicentur vocabulo אתת Num. II, 2.

XLVI. *Medium locum tenebat Tentorium Dei* ceu independentis Ducis. Ut enim omnibus æqualiter adeſſet, eos conſilio & auxilio juvaret, regeret, hunc locum maximè commodum ſibi elegit Iſraëlitarum Rex. Prope illum caſtra figebant Miniſtri, quaſi σωματοφύλακες & quo quis dignior, caſtris Dei propior erat, Num. III, 23. 29. 35. 38.

XLVII. *Atque eâ, quâ deſcripſimus ratione, fixa erant caſtra exercitûs Judaici, permanebantque tam diu, quamdiu glorioſa nubes ſuper Tabernaculum quieſcebat. Quando verò hæc locum ſuum relinquebat, precibus à Moſe fuſis Num. X, 35. ſigno, ſono tubarum edito, movenda quoque cuncta tentoria. Et hoc quidem ordi-*

ordine. Primò à Levitis vel etiam Sacerdotibus humeris gestabatur arca. Tum Juda, Ischaschar & Zabulon proximè sequebantur: Post hos Gersonitæ & Meraritæ: Subsequebantur Ruben, Simeon & Gad. Hos excipiebant Kahatitæ. Tandem Ephraim, Manasses & Benjamin. Ultimi ibant Dan, Ascher & Naphthali. Num. X, 13-f.

XLVIII. *II. Belli causa*, de qua secundò locò, *expressum mandatum Dei erat*; saltem ratione quorundam populorum veluti Deut. XX, 17. *devovendo devovebis Chittæum, Amoræum, Cananæum, Perisæum, Chivæum, Jebusæum, quemadmodum præcepit tibi Jehova Deus tuus* & c. XXV, 19. *Delebis memoriam Amalecki.* Quæ quoque causa justissima, atque militem persuasum reddebat, se nihil agere, quò conscientia læditur: Quippe Deus absolutus Dominus, qui perdere potest. Is quoque tale præceptum non adversus aliam gentem dedit, quàm quæ enormibus sceleribus iram suam provocaverat. Nec tam Israëlitæ bellum gessisse censeri possunt, quàm testes & aliquando executores (ita tamen ut brachio Dei id omne singulari modo adscribendum, quod factum erat) extraordinariorum judiciorum Dei in sceleratas gentes, quarum regio illis à supremo Domino dono dabatur, Exod. XXIII, 27-31. Deut. VII, 1. 2. cujus exemplum clarissimum in urbe Hierichuntina prostat Jos.

VI. *Quod verò Magistri dicunt, aliam belli causam arbitrium Senatus M. fuisse*, atque penes eum stetisse bellum legitimum in quamcunque gentem, non antecedente injuria aliqua, decernere, *id ex Sacris hactenus probatum nondum legi.*

XLIX. *III. Bellum majori vel minori clementia duxerant, prout variabant hostes.* Septem populi, Amalekitæ quoque, nullâ pace oblatâ penitus perdendi erant juxta Deut. XX, 15. 16. XXV, 19. Jos. IX, 7. 9. ne eadem loca inhabitantes ad abominanda facinora, quibus illi dediti erant, seducerentur. Deut. XX, 18. Transeo alias causas. Nec obstat Jos. XI, 19. Nam id jam peculiare est, quòd omnes illæ gentes fortunam belli tentare maluerint quàm gratiam expetere. Hinc tamen necessariò non fluit, Israëlitas pacem atque fœdus sub certis conditionibus prius obtulisse; Quum contrarium potiùs ex eadem historia colligendum nobis sit, quandoquidem Gibeonitis pacem poscentibus responsum datum; *Quomodo pangam tecum fœdus? fortè in medio mei habitas*, Jos. IX, 7. Et detectô dolô maluissent fœderatos suos interimere, nisi juramentum obstitisset v. 18. 19.

L. Sed Gentibus, quæ urbes dissitas incolebant, pax non tamen sine duris conditionibus offerebatur. Conditiones autem hæ erant. Tota urbs tributaria facta redactaque in sta-

tum

tum servilem Deut. XX, 11. מס sive tributum præter solutionem pecuniæ aut aliarum opum annuam etiam corporis ministerium ex Victoris jussu faciundum continet, quemadmodum ex vocis usu facilè patet. Addunt Sapientes, victos obligatos quoque fuisse septem Noachi præcepta suscipere, quod licèt totidem verbis adstrui nequeat, haud tamen improbabile videtur: de Gibeonitis Jos. IX. clarè legimus, quòd avitæ Idololatriæ valedixerint.

LI. *Quæ verò ejusmodi pacem detrectabant, vi superabantur, sortemque longè deteriorem subibant.* Nam masculi majorennes interficiebantur; minorennium, fœminarum, bestiarum quoque vitæ parcebant quidem, at præda victori fiebant Deut. XX, 13. 14. Hoc etiam lege bellica cautum, ne arbores, quæ fruges in esum hominis proferebant, succiderent perderentque, succiderent verò reliquas, easque in usus bellicos adhiberent, Deut. XX, 19. 20.

LII. *Postquam nunc pleniùs leges judiciales gentis Judaicæ recensuimus, liquidum est illas ita comparatas fuisse, ut Religioni minimè adversatæ fuerint, sed eam potius præclarè stabiliverint protexerintque adversus quamvis impietatem.* Quæ demum genuina indoles bonæ, & quæ Deo placet, Politiæ. Commendatæ illæ sunt à pietate erga Deum, ceu quæ gravissimâ morte tollendos illos esse definiebant,

bant, qui vel aliud Numen dixere, aut non decenti modô vel præscriptô tempore illud coluere, sive qui convitium aliquod impuro ore protulerunt. Commendatæ dein à justitia erga proximum, amore ejusdem, inimici quoque, liberalitate & clementia erga pauperem, servum, honore erga Superiores, Senes, Parentes. Commendatæ denique à castitate, temperantia, à quibusvis observanda.

LIII. *Unde nunc porrô fluit, leges has, quæ & quatenus ad hunc usum faciunt, sub N. Testamento non abrogatas esse.* Eæ quidem leges, quæ typo permixtæ, uti reditus homicidæ involuntarii Pontifice Aaronicô defunctô; aut quæ peculiariter ad Politiam Judaicam accommodatæ, quales de filiabus hæreditariis; vel etiam quæ ob σκληροκαρδίαν à Mose latæ, quemadmodum libelli repudii, eæ, inquam, leges sub hac forma Christianos non obligant. Attamen eædem obligant ratione justi, æqui, quod ejusmodi legibus simul inest. Quamvis nobis non sit Pontifex Aaronicus, is tamen, qui cædem animo haud malo, casu aliquo, commisit, in vita servandus. At illæ leges, quæ in jure communi fundatæ, pro gloria divina faciunt, justitiam, castitatem, sanctitatem, amorem, liberalitatem erga indigum defendunt, promovent, Christianos non minùs quàm Judæos, imò certâ ratione validiùs Christianos obstringunt. Nam hæ nunquam à Christo aut Apostolis abrogatæ sunt.

Nec

Nec earum naturæ abrogationis ratio ineſt, potius cauſa, quòd perpetuò valeant. Neque enim gratia ſalutaris, quæ nunc illuxit, licentiam præbet impiè, injuſtè, intemperanter vivendi, Tit. II, 11. 12. poteſtatem adimit malos pœnis coërcendi, exterminandi. Ad libertatem quidem vocati ſunt Chriſtiani, ſed ut ſervi ſint juſtitiæ.

CAPUT XVIII.

De

OECONOMIA CONSILII GRATIÆ SUB N. TESTAMENTO IN GENERE.

Σύνοψις.

Vetus Teſtamentum erat tempus ſpei, deſiderii. §. I.

Sed Novum ſalutis & implementi. §. II.

Cujus natura indicatur. §. III.

Et quare Teſtamentum. §. IV.

Et quidem novum audiat, rationes proferuntur. §. V.

Jam olim prædictum erat. §. VI.

Quando verò adventabat, gradus ſuos tenebat, donec tandem

dem vetus planè abrogabatur. §. VII.

Medium, quô nova hæc Oeconomia sensim introducebatur, erat Evangelium. §. VIII.

Cujus I. nomina, Hebraicum & Græcũ, allegantur. §. IX.

II. Contenta quoque numero tria. §. X.

Quorum primum refert, quæ Christus fecit. §. XI.

Alterum tradit bona, tum quæ Christus pro se meritus est. §. XII.

Tum quæ pro fidelibus acquisivit. §. XIII.

Hæc sub varia χέσει considerari possunt speciatim ut primitivum & derivativa. §. XIV.

Primitivum est exhibitio consummatæ salutis nostræ causæ XV.

Derivativa sunt (I.) Remissio peccatorum. §. XVI.

(II.) Justificatio. XVII.

(III.) Spiritus S. §. XVIII.

(IV.) Sapientia ac cognitio Mysteriorum salutis. §. XIX.

(V.) Sanctitas & rerum cœlestium amor. §. XX.

(VI.) Læta conscientia. §. XXI.

(VII.) Libertas. XXII.

(VIII.) Vocatio Gentium. §. XXIII.

Ex bonis memoratis quædam ita ad Novum Testamentum pertinent, ut nullà vel levissimâ ratione ad prisca tempora referri queant. Alia ita Novi Testamenti sunt, ut simul pertineant ad Vetus: At diversâ ratione, variante mensurâ, extensione,

ne, consummatione. §. XXIV. XXV,
Quæ bona à fidelibus N. Testamenti magni æstimanda & referenda ad studium sanctitatis. §. XXVI.
Tertium continet officia ad fruitionem bonorum perducentia. §. XXVII.
III. Præcones divinitus excitabantur & instruebantur ad Evangelium prædicandum. §. XXVIII.
Primus Johannes Baptista. §. XXIX.
Præprimis clarus præconio resipiscentiæ & testimonio de Jesu Christo. §. XXX.
Nec non Baptismo. §. XXXI.
Alter Jesus Christus. §. XXXII.
Hunc secuti sunt XII. Discipuli. §. XXXIII. XXXIV.
Quibus quædam communia cum aliis Evangelii Ministris: Alia peculiaria. §. XX XV.
Uti (1.) Electio ad Apostolatum immediatè per Christum facta. §. XXXVI.
(2.) Dein omnes debebant esse testes oculati & auriti Jesu Christi. §. XXXVII.
(3.) Insuper quosvis alios donis extraordinariis Spiritûs S. superabant. §. XXXVIII.
(4.) Unde Apostoli in doctrina infallibiles reddebantur. §. XXXIX,
(5.) Potestateque pollebant miracula patrandi. §. XL.
(6.) Præterea peculiaris vis atque efficacia præconio ipsorum inerat. §. XLI.

(7.)

(7.) *Tandem singulari Authoritate sontes, rebelles puniendi, instructi erant.* §. XLII.

(8.) *Ultimò in totum orbem ad Evangelium prædicandum mittebantur.* XLIII.

Memoratæ Apostolorum prærogativæ probantur. §. XLIV.

Apostolis similimi erant LXX. *Discipuli* §. XLV.

Hos sequuntur Prophetæ. §. XLVI.

Tum Evangelistæ. §. XLVII.

Tandem Doctores, Pastores, Episcopi, Diaconi, Presbyteri. §. XLVIII.

§. I.

GRatiam in semine mulieris peccatori olim promissam fuisse, ea, quæ hactenus diximus, copiosè adstruunt. *Unde fluit, tempus illud tempus spei* Eph. I, 12. Act. XXVI, 6. 7. *Desiderii* Matth. XIII, 17. *Exspectationis* Luc. XXIII, 51. *exstitisse.*

II. *Illud verò tempus, quo promissa illa præstita sunt, hinc rectè audit* ἡμέρα σωτηρίας, *dies salutis* 2. Cor. VII, 2. *Dies ille, quem Jehova fecit, in quo exultandum & gaudendum* Ps. CXVIII, 24. Luc. II, 10. 11. adeoque *tempus peracceptum* 2. Cor. VII, 2. Dicitur quoque *annus beneplaciti Jehovæ* Es. LXI, 2. quo à Filio dilecto רצון *beneplacitum* Patris adimplebatur, Ps. XL, 8. 9. Insuper προθεσμία *tempus*

pus ante constitutum ab æterno, in promissionibus, quæ toties *in diebus illis* memorant. Præterea πλήρωμα τῶν καιρῶν, *plenitudo temporum opportunorum*, Eph. I, 10. cf. Gal. IV, 4. ceu quo vaticinia, promissiones, figuræ, implementum suum opportunè adeptæ sunt, Matth. I, 22. 23. Joh. XIX, 36. Denique *Regnum Cœlorum*, Matth. III, 2. sive, quod idem est, *Dei*, Marc. I, 14. Tandem *dies ultimi* Es. II, 2. Hebr. I, 1. Communiter nunc *Novum Testamentum* appellatur Matth. XXVI, 28. Luc. XXII, 20. Hebr. XII, 24.

III. *Quæ N. Testamenti natura sit, jam supra* Cap. XII. §. X. *tradidimus.*

IV. *Vocatur autem Testamentum, quippe est certa & ultima voluntas, sanguine Testatoris confirmata, dandi hæredibus destinatam hæreditatem* Matth. XXVI, 28. Hebr. IX, 15. 16.

V. *Novum verò dicitur*, (1.) quia successit Veteri Hebr. VIII, 13. (2.) Dein quia plurima innovata, quippe hujus Testamenti Mediator ipse Christus est, Hebr. VIII, 6. Sanctum illud sanguine agni immaculati Matth. XXVI, 28. Rationem ad cœlestem hæreditatem perveniendi clarè docet 2. Tim. I, 9. 10. poscit cultum nonnisi spiritualem Joh. IV, 23. 24. rationalem Rom. XII, 1. promittit bona magna, pretiosa, consummata, meliora illis sub V. Testamento 2. Petr. I, 4. Hebr. VIII, 6.

Hebr. VII, 19. Hæredes vocat electos non ex Judæis tantùm sed etiam ex Gentibus Matth. XXVIII, 19. atque durabit ad finem mundi c. c. v. 20. quæ cuncta aliter se habebant durante Veteri Testamento.

VI. *Tanta quum excellentia & præstantia Novi hujus Testamenti sit, placuit jam olim Deo ejus manifestationem prædicere, ut* qui onere Ceremoniarum pressi statum feliciorem desiderarent. Nemo clarius Jeremiâ de eo vaticinatus est Jer. XXXI, 31-35. memorante tum præcellentiam præ Testamento vetere, tum præclara bona in hæredes conferenda, tum tempus, quo illud disponendum. Quem quoque locum Paulus ad hunc ipsum usum allegavit, Hebr. VIII, 10-13.

VII. *Quamvis aliqua ratione dici queat, Testamentum hoc initium suum sumpsisse quando Filius Dei in carne manifestatus* atque πλήρωμα τῦ χρόνυ tum adventavit Gal. IV, 4. Luc. II, 10. *attamen Vetus nondum antiquatum erat*, utpote ipse N. Testamenti Mediator legi rituali se subjecit aliosque ad subjectionem adhortatus est. Et Johannes, ipse quoque Christus approximationem ejus ceu futuram prædicavit Matth. III, 2. IV, 17. Saltem utroque in his terris existente plenè ratificatum nondum erat Matth. XI, 11. quod *demum post mortem Salvatoris contigit* Hebr. IX, 16. 17. Matth. XXVI, 29. *Etiam post hanc non simul & semel*

mel abrogabatur, sed magna cum prudentia infirmitati hæredum V. Testamenti consulente tempus aliquod, quo rationes Veteris antiquandi, Novi surrogandi inculcabantur, concedebatur, donec tandem Templô & Politiâ Judaicâ sublatâ clarissimè constabat, nonnisi regnum cœlorum exstare debere, quo pertinere videntur Luc. IX, 27. Res se quodammodo habuit ut cum Sole, qui noctis tenebras successivè dispellit, donec solus fulget.

VIII. *Aperiebatur Nova hæc consilii gratiæ Oeconomia præconio Evangelii*; quod quidem jam à Nativitate Jesu usque ad ejus mortem incipiebat prædicari: Attamen demum morte à Salvatore superatâ acceptâque omni potestate in cœlo & in terra excellenti illô modô nuntiabatur, quo omnis creatura ad fidem illi habendum vocata erat Marc. XVI, 15. Ut verò de Evangelio quædam accuratiùs dicamus, notanda sunt I. Nomina. II. Contenta. III. Præcones.

IX. I. *Nomina.* Hebræi bonum nuntium vocant בשורה, unde de nuntio Messiæ manifestati verbum בשר adhiberi solet Es. LII, 7. Ps. LXVIII, 12. Græci εὐαγγέλιον & εὐαγγελίζεσθαι appellant, vocibus ad bonum nuntium sive rei præsentis sive futuræ 1. Petr. IV, 6. significandum magis accommodatis quàm quâ Hebræi utuntur. *Hic speciatim notat lætam annuntiationem Ministerio Evangelistarum de Jesu*

Christo Mediatore per passiones consummato factam, ut omnes, qui in illum credunt & resipiscunt, beneficia sanguine ejus parta, vitam æternam maximè habeant.

X. II. *Contenta. Hæc ad tria reduci possunt.* א. *Refert Evangelium ea, quæ Christus fecit.* ב. *Dein maxima illa bona, quæ pro se & peculio suo promeritus est.* ג. *Tandem officia præstanda ab illis, qui horum bonorum participes fieri cupiunt.* Quorum nunc deductionem breviorem dabimus, quoniam hæc ipsa in sequentibus capitibus prolixè deducenda erunt.

XI. א. *Primò indicanda ea, quæ Christus fecit.* Juxta Historiam Evangelicam Filius Dei opportuno tempore in carne, quam ex virgine Maria virtute Spiritûs S. accepit, manifestatus est & in ea spatio annorum circiter XXXIII. cum dimidio habitavit. Quo toto tempore Patri suo cœlesti obediens exstitit, voluntatẽ de salute nostra revelavit, miracula patravit, paupertatem, ludibria, convitia forti & patienti animo pertulit, totâ vitâ exemplum à nobis imitandum præbuit, tandem graviſſimos dolores in animo & corpore, ipsam denique maledictam crucis mortem subiit.

XII. ב. *Eadem Historia narrat bona, quæ Christus præcedente obedientia & passione pro se meritus est*, veluti quòd Pater ipsum ea propter exaltaverit eumq; omnium excellentiſſimo nomine insigniverit, excitando eum non solùm è morte

morte atque suscipiendo in cœlum, sed collocando ad dextram suam declarandoque eum Regem super Judæos & Gentes, atque impertiendo omnem, quæ ad ejusmodi regimen requiritur, potestatem in cœlo & terra.

XIII. *Narrat quoque bona, quæ Salvator pro peculio suo promeritus est. Bona hæc sunt* μέγιστα καὶ τίμια *maxima & pretiosa promissa,* vim ad divinam naturam in nobis producendam continentia 2. Petr. I, 4. *meliora* iis, quæ donabantur sub Veteri Testamento Hebr. VIII, 6. Hæc quidem bona erant, sed non ἄμεμπτα, imperfectione laborabant, hinc quoque his cedebant, c. c. v. 7. 8. Jer. XXXI, 31--35. Sapienter autem ordinavit Deus, ut tum bona maxima Ecclesiæ donarentur, quando Sponsor sponsioni satisfecit, quò clarè ita constaret, illi cuncta accepta ferenda esse.

XIV. *Bona hæc variè considerari possunt: ut primitiva & derivativa. Alia spectant justificationem, sanctificationem alia, alia denique consolationem. Quædam respiciunt intellectum, quædam voluntatem, quædam affectus. Item statum Ecclesiæ externum nonnulla, nonnulla internum.* Exempla ex subsequenti recensione facilè peti possunt. Notamus præcipuè primam distinctionem.

XV. *Primitivum N. Test. bonum,* ex quo reliqua profluunt, *est exhibitio consummatæ salutis nostræ causæ.* Hâc nondum extante tot

defectus sub V. T. obtinebant: Hâc nunc sublatâ omnes illi disparuerunt. Ratio evidens, nam per causam salutis adductam Deo plenè satisfactum, Deus in Christo nobis reconciliatus est & suppeditat cuncta ad felicem vitam; salutis verò causam olim nondum actu exhibitam clarissimè constat, quia Princeps salutis nondum extitit & justitia demum ut adducenda prædicitur Dan. IX, 24. Jer. XXIII, 5. 6.

XVI. *Derivativa plura sunt*, ex quibus sequentia, uti ex fonte illo profluunt, nominamus. I. *Remissio peccatorum.* Quoniam enim mors Christi lytrum pro peccatis nostris est, patet, illa sub V. Testamento nondum expiata fuisse sive remansisse, ut suo tempore sanguine Messiæ expungerentur. Dein in Vaticiniis tanquam bonum futurum notatur Dan. IX, 24. Jer. XXXI, 34. *Condonabo pravitatem eorum & peccati eorum non ampliùs recordabor.* E. eorum stante priore Testamento recordatus est Deus, veluti in sacrificiis piacularibus, quæ Chirographi instar erant reatûs nondum sublati. Hoc verò Chirographum à Christo expungebatur. Coloss. II, 14.

XVII. II. *Justificatio.* Dependet hæc à justitia Christi Rom. III, 24. 25. Hæc demum adducta in N. Testamento; E. justificatio in plena significatione bonum N. Testamento proprium. Unde Es. LIII, 11. *in cognitione sui justus servus meus multos justificabit.*

XVIII.

XVIII. III. *Spiritus sanctus.* Hic quippe fructus ascensûs Jesu Christi Joh. XVI, 7. Ps. LXVIII, 19. Act. II, 33. Joël. II, 28. Unde mox post ascensionem ejus super Apostolos aliosque discipulos illustrissimô juxta ac efficacissimô modô effundebatur Act. II, atque in iis aliisque extraordinaria ac ordinaria dona operabatur.

XIX. IV. *Sapientia ac cognitio Mysteriorum salutis.* Immediatè hoc bonum ex antecedente fluit, nam Spiritûs S. est Spiritus sapientiæ & cognitionis Jes. XI, 2. ubi verò is majori mensurâ datur, etiam majorem sapientiam & notitiam producit. Hujus boni N. Testamento proprii meminit Jesaias c. XI. v. 9. Jer. XXXI, 33. 34. Atque inde porrò constat, quoniam Christus & Apostoli omnem voluntatem Dei Patris enarrârunt, Mysteria Trinitatis, incarnationis &c. clarè tradiderunt, vaticinia & figuras ante implementum obscuras illustrarunt eo, quòd impletas ostenderint Joh. I, 18. XV, 15. 1. Joh. V, 7. Joh. I, 14. Act. VIII, 30-36. tota Pauli ad Hebræos Epistola.

XX. V. *Sanctitas & rerum cœlestium amor.* Et hoc ex antecedentibus, bono speciatim tertio, fluit. Nam Spiritûs sancti opus sanctificatio hominis est, Gal. V, 22. quæ sub N. Testamento promittebatur Es. LXI, 10. XXXIII, 6. Notitia clarior, quæ cœlitus descendit, accendit quoque amorem, amor verò stimulat ad

id, quod amamus, omnibus viribus agendum. Exemplum sumere licet ex primis Christianis.

XXI. VI. *Læta conscientia.* Sub hac ætate annuntiatur Evangelium, quod miserum peccatorem reficit, de gratia Dei certum reddit, Luc. II, 10. Zach. IX, 9. Rom. V, 1. Spiritus S. est Spiritus adoptionis, qui clamat Ἀββᾶ, qui spiritui nostro testimonium præbet, quòd simus filii Dei Rom. VIII, 15. 16. Gal. IV, 6. Unde non semel Vates solatii & lætitiæ sub N. Testamento secuturæ meminerunt Es. XL, 1. 2. LX, 1. 2. LV, 12. Præstitæ verò Christus & Apostoli, Joh. XV, 11. XVI, 24.

XXII. VII. *Libertas.* Libertas, quæ N. Testamento propria, continet immunitatem (*a*) à lege ceremoniali, quæ jugi portatu difficilis instar erat Act. XV, 10. *jugum servitutis*, Gal. V, 1. quo constricti elementis mundi magna cum molestia & pretio servire debebant Gal. IV, 3. cf. Coloss. II, 14. 16. (*b*) A statutis humanis in rebus, quæ Religionem concernunt, Coloss. II, 20. f. quippe Christianis unus Doctor, Judex, Rex Jesus Christus est Es. XXXIII, 22. Matth. XXIII, 8. 10. ipsi sunt θεοδίδακτοὶ Doctores, Sacerdotes & Reges Jer. XXXI, 34. Apoc. I, 6. (*c*) A rigore legis, sive, ut clarius dicam, in diebus N. Testamenti passim personat grata Evangelii vox, ostenditur implementum legis in morte Jesu Christi, clarè, frequenter, fortiter gratiosa Numinis bona in credentem con-

conferenda traduntur, inculcantur, exemplis illustrantur, quum lex obscurius, rarius, nec eâ efficaciâ de jucundis his beneficiis agat, potius passim sub pœna maledictionis ad totam legem servandum obstringat Hebr. XII, 18--22. Hinc nunc major παῤῥησία compellandi Deum tanquam Patrem suum, rogandi gratiam propter mortem Jesu Christi Hebr. IV, 14--f. Gal. IV, 6. Fluunt autem hæc cuncta ex natura N. Testamenti. Corpore præsente umbræ disparent: Regnô cœlorum introductô humana in rebus Religionis potestas sublata est. Maledictione legis actu ablatâ gratia & veritas per Jesum Christum prædicatur.

XXIII. VIII. *Vocatio Gentium.* Gentes enim priscis temporibus alloquio Dei per Mosen & Prophetas haud dignas habitas fuisse id quàm evidentissimum est. Easdem verò per Evangelium ad communionem Ecclesiæ vocatas, non minus evidens. Contingebat autem ea juxta Prophetias Gen. XLIX, 10. Es. XLII, 1--7. quippe Gentes Messiæ tanquam peculium dandæ erant Ps. II, 8. quas sanguine suo sibi acquisivit, cum Judæis in unum corpus conjunxit, rupit verò μεσότοιχον τὸ φραγμὸν *parietem intergerinum* (allusione ad sepem Templi factâ) sustulitque inimicitiam, quam præcepta carnalia causabantur, Eph. II, 12-20.

XXIV. *At ais: Bona hæc N. Testamento propria non sunt:* Jam olim obtinebant. Vel

quis affirmare audebit, fidelibus V. Testamenti peccata retenta fuisse? Annon justificati? Annon Spiritu sancto ducti? Et sic quoad reliqua. R. *Bonorum recensitorum dispar ratio est. Quædam ita ad N. Testamentum spectant, ut vel nullâ vel levissimâ ratione ad prisca tempora referri queant. Alia ita N. Testamenti sunt, ut simul pertineant ad Vetus. At diversâ ratione, variante mensurâ, extensione, consummatione*, Hebr. XI, 39. 40. Hinc fit, ut aliquando beneficia negentur de ætate ante Christum, quoniam tum alia ratione, minori mensurâ & paucis data erant. Quo in casu probè tenendus ille in Scriptura exponenda passim obvius Canon: *Negativa subinde non absolutè sed secundùm quid sive comparativè negant*. Quod inde claret, quoniam bona sunt fœderis gratiæ, ad salutem simpliciter necessaria, atque etiam alibi de fidelibus ante Messiæ adventum prædicantur. Ut adeò impossibile sit ita ad nostra tempora restringere, ut prisca penitus excludantur.

XXV. *Prioris generis sunt exhibitio consummatæ salutis nostræ causae, vocatio gentium.* Hæc, si accuratè loqui volumus, solius N. Testamenti beneficia sunt. *Posterioris verò reliqua, uti peccatorum remissio, justificatio, Spiritus S., Sapientia ac cognitio Mysteriorum salutis, sanctitas & rerum cœlestium amor, laeta conscientia, libertas.* Quippe ex spe-

ex specialiori deductione facile patebit, fidelibus Christi adventum exspectantibus cuncta hæc bona collata fuisse. Quod enim attinet peccatorum remissionem, de ea Ps. XXXII, 1. 2. Ps. CXXX, 4. de justificatione Gen. XV, 6. Rom. IV. Spiritu S. Ps. LI, 12--15. CXLIII, 10. Sapientiâ ac cognitione Mysteriorum salutis, singula V. Testamenti Scripta, sanctitate, exempla sanctorum qui olim vixerunt, lætâ conscientiâ plures Psalmi Davidici, libertate cujus ví Diabolus, peccatum, maledictio legis in credentem nullam potestatem habebat, fœdus cum Deo, argumenta præbent.

XXVI. Ex dictis abundè constat, quæ N. Testamenti felicitas, scil. in quo minimus major maximo ex uxoribus prognato Matth. XI, 11. habetur. Ingrati utique essemus, tantam salutem parvi facientes, quam tantopere Vates æstimarunt, pii desiderarunt, Matth. XIII, 16. 17. At tum demum de summo bonorum horum pretio prudenter statuimus ritè cognoscentes, donata illa nobis esse, ut impietatem omnesque mundanas cupiditates abnegemus, Tit. II, 12. Exultandum quidem ob ingentem cœlestis Patris gratiam, sed cum tremore Ps. II, 11. Quod si enim minoribus bonis affecti gravissimas pœnas dederunt abutentes illis, quantam dabunt illi, quibus maxima data sunt? v. Hebr. II, 1--5. X, 28--32. XII, 28. 29.

XXVII. 3. *Quare nunc tertio loco dicendum*

dum de officiis eorum, in quos memorata dona conferenda. Neque enim omnes & singuli, qui ad felicia hæc tempora reservati sunt, iis fruentur. Illi soli, qui resipiscunt & credunt. Offeruntur quidem omnibus remissio peccatorum, sapientia &c. ad quos Evangelium pervenit. At non alii possident quàm pœnitentes & fideles. Hæc duo unà stare nequeunt, gaudere remissione peccatorum, & in peccatis vivere, habere Spiritum S. & secundùm carnem vivere &c. Nec aliud quid volunt verba: *Appropinquat regnum Dei: Resipiscite & credite Evangelio*, Marc. I, 15. q. d. Si vultis ingredi regnum Dei atque participare de bonis ejus, resipiscendum & credendum est.

XXVIII. III. *Quando verò contenta Evangelii tantæ dignitatis & præstantiæ, atque hic eorum scopus, ut subditis hujus regni innotescant, mittendi erant Evangelistæ*, Rom. X, 12. f. Mittendi autem à Deo, qui solus jus habet: Cujus solius hæc gratia. Dein virtute ex alto induendi, ut munere ritè defungerentur. Nemo enim ex se idoneus ad tantum munus, 2. Cor. II, 16. Evangelium Judæis scandalum, Græcis verò stultitia erat 1. Cor. I, 23. Atque illi ipsi, quos huic functioni destinaverat Numen, plurimùm illiterati, plebeji, quique variis præjudiciis laborabant. Potentiâ itaque divinâ ad cordati Evangelistæ personam sumendum pa-

parandi erant. De his jam olim Prophetæ dixerant, David Ps. LXVIII, 12. Jesaias c. LII, 7.

XXIX. *Ex evangelizantium exercitu magno* Ps. LXVIII, 12. *præcursor Johannes Baptista primo notandus venit.* Prædicabat is approximationem regni cœlorum Matth. III, 2. atque Messiam digito monstrabat, dicebatque *Hic est agnus Dei ferens peccata mundi* Joh. I, 29. Evangelistæ adeóque nomen meretur.

XXX. *Ministerium ejus comprehenditur præconio & baptismo. Præconium rursum duas partes habet, quarum prima de resipiscentia, de Jesu Christo altera agit.* Præconium resipiscentiæ postulabat corruptus Ecclesiæ in doctrina & vita status, alius longè à Majorum, Abrahami, Isaaci, Jacobi; quare ut converteret corda filiorum ad Patres, resipiscentia inculcanda, graviterque monendi erant peccatores de ira Dei imminente Matth. III, 2-11. quó ita vaticinium Esaiæ c. XL, 3-6. Malach. III, 23. 24. adimpleret. Atq; ut præconium hoc tantó majorem vim in audientium animis relinqueret, in deserto degebat, amictu & victu aspero utebatur Matth. III, 1. 4. XI, 18. Quamvis resipiscentia præmittenda sit, sola tamen nondum sufficit. Itaque Johannes cum ea conjunctim tradidit testimonium de Jesu Christo, docens illum esse Messiam, Joh. I, 20-27. Filium Dei 34. ab æterno v. 27. Dominum ex cœlo c. III,

III, 31. Divino honore excipiendum Matth. III, 11. In tempore carnem factum Joh. I, v. 27. Salvatorem v. 29. Distributorem salutarium beneficiorum Matth. III, 11. Docebat autem hæc eum in finem, ut crederent in Christum, Joh. III, 36.

XXXI. *Præconio respondebat Sacramentum, Baptismus*, docens illos, qui Evangelio fidem habent, priùs totos impuros fuisse, nunc verò purgari, cui munditiei imposterum studendum ipsis sit. Quæ baptismi ἔκπλωσις nota Judæis exstitit, quoniam baptismo in sinum Ecclesiæ recipiebantur impuri gentiles, ut purgati quasi cum mundo populo, ut sibi videbantur, conjungerentur. Alia quæ huc referri possunt, proferemus ex professo tractantes Sacramenta hujus Oeconomiæ.

XXXII. *Præcursorem mox excepit ipse Dominus*, משיח *Evangelista* juxta ac Evangelium Es. LII, 7. LXI, 1. Luc. II, 10. 11. Jesus Christus. Quum verò alibi de munere ejus prophetico dicendum nobis sit, alia addere supersedemus.

XXXIII. *Dominum secuti sunt XII. Apostoli*, qui etiam discipuli, servi audiunt, utpote qui doctrinam Christi, quam edocti sunt, in locis, ad quæ mittebantur, fidè annuntiabant, atq; ita in domo Dei, quæ Ecclesia, serviebant.

XXXIV. *Hi more, qui inter Judaeos non inusitatus videtur, in discipulos cooptati mox*

mox patrias aedes relinquebant. Praeceptorem ubique locorum sectabantur, ut in doctrina ab ore ejus jugiter pendere, miraculorum patrationi interesse possent. Atque hoc non sine causa. Tum in proprium usum, utpote indocti, fermento Pharisæorum infecti tali institutione indigebant, tum illorum, quos informaturi, ut πληροφορηθέντες dicere valerent. *Quod audivimus* &c. 1. Joh. I, 1.

XXXV. *Habent hi quaedam communia cum aliis Evangelii Ministris*, de quibus verò suo loco. *Habent dein quaedam singularia, quae praerogativae Apostolicae sunt.*

XXXVI. Sunt autem (I.) *Electio ad Apostolatum immediatè per Christum facta.* Omnes XII. ut ex Historia Evangelica constat, immediatè à Christo in Apostolos cooptabantur Joh. XX, 21. Paulus reliquis additus ex cœlo Christi voce ad Apostolatum eligebatur, Act. IX, 5. 6. 15.

XXXVII. II. *Dein omnes poscebantur testes* αὐτόπται καὶ αὐτήκοοι *Jesu Christi, speciatim excitati è morte.* Fluit ex antecedenti. Cum omni πληροφορία testari quidem debebant de doctrina, miraculis, vita Messiæ, maximè tamen resurrectione, quæ fidei Christianæ fundamentum est. Hinc dicuntur μάρτυρες ἀναστάσεως *resurrectionis testes*, Act. I, 22. Ex hac causa Christus se illis conspicuum præbuit post resurrectionem, Act. X, 40-44. Etiam Paulus Apo-

Apostolatum probaturus ad Christum visum provocat, 1. Cor. IX, 1.

XXXVIII. III. *Apostoli quosvis alios extraordinariis Spiritûs S. donis superabant.* Tantâ copiâ Spiritum S. accipiebant, ut eo baptizati dicantur, Act. I, 5. cf. Act. II. Mysteria fidei, quæ hactenus non satis callebant, derepentè intelligebant, eloquebantur variis linguis hactenus non edoctis. Nec habebant tantùm ipsi Spiritum S. sed & aliis impositione manuũ impertiebantur, Act. VIII, 17. 18. Talia exempla nec sub V. Testamento nec postea in primitiva Ecclesia prostabant.

XXXIX. IV. *Unde Apostoli in doctrina infallibiles reddebantur.* Quamdiu Christus nondum glorificatus erat, notabili ignorantia, si non omnes, saltem plurimi Apostoli laborabant. Quia verò Evangelium quaquaversum ab illis prædicandum erat, Christus iis tum ante mortem Joh. XIV, 26. XVI, 13. Matth. X, 19. 20. tum post eam Luc. XXIV, 49. Act. I, 5. 8. Spiritum S. ducentem in omnem veritatem promisit præstititque. Verum quidem, quòd Apostoli jam Spiritûs S. die Pentecostes participes facti quædam ignorârint, uti gentium vocationem, Act. X, 34. 35. At nihil ignorarunt, quod pro præsenti in functionibus suis scitu necessarium. Larga illa donorum Spiritus S. mensura non excludebat augmentum subsequenti tempore.

XL. V. *Atque potestatem habebant varia, pluri-*

plurima, magna miracula patrandi, doctrinamque confirmandi. Legantur Acta Apostolica, quæ de hoc abundè testantur, docentque promissionem Christi verè adimpletam fuisse Marc. XVI, 17. 18. unde Paulus signis Apostolatûs accensetσημεῖα καὶ τέρατα καὶ δυνάμεις 2. Cor. XII, 12.

XLI. VI. *Peculiaris vis atque efficacia præconio ipsorum inerat.* Apostoli, licèt nulla eruditione, auctoritate humana instructi fuerint, brevi tamen tempore hostes Evangelii ad obedientiam Jesu Christo promittendum commovebant. Exemplum clarissimum cernere licet in Pentecostali à Petro habita concione Act. II. sive ad numerum, sive ad tempus, sive ad modum conversionis Judæorum attendamus.

XLII. VII. *Singulari quoque Auctoritate fontes, rebelles puniendi pollebant.* Virga gravissima Apostolis data erat, 1. Cor. IV, 21. quâ quosdam morti Act. V, 5. alios cœcitati XIII, 11. alios denique Satanæ 1. Cor. V, 5. tradebant.

XLIII. VIII. *Tandem in totum orbem mittebantur, ut omnes ad cognitionem veritatis perducerent* Quoniam Christi per passiones consummati omnes fines terræ proprii erant, servos suos mittebat, ut Evangelium suum Gentibus annuntiarent, Marc. XVI, 15. Matth. XXVIII, 19.

XLIV. *Memorata haud immeritò Apostolorum*

lorum prærogativæ habentur. Conjunctim in aliis Ministris sive V. sive N. Testamenti non reperiuntur. Et si singula sumis, à nemine in tanto gradu, mensura, δυνάμει possidebantur. Si qui verò hodiè Apostolos se jactant, doceant, edant Apostolatûs signa, maximè quod tertio, quinto, sexto, septimo loco posuimus & credemus.

XLV. *Apostolis simillimi erant LXX Discipuli* ad Evangelium prædicandum, Magistrô & in his terris versante & jam in cœlum ascendente, itidem missi. Luc. X, 1. 16. Act. I, 8. 15. In hos quoque prærogativæ modo memoratæ cadunt, sed, ut videtur, modo exiliori. Serius dein ad munus Evangelii cooptabantur Luc. IX, 1. X, 1. Atque tantâ familiaritate non gaudebant, quâ Apostoli.

XLVI. Sequuntur *Prophetæ*, Eph. IV, 11. 1. Cor. XII, 28. futura ex immediata Spiritûs S. revelatione prædicentes Act. XI, 27. 28. sive vaticinia V. T. juxta analogiam fidei exponentes Rom. XII. 6.

XLVII. Præterea *Evangelistæ*, narrantes vitam, mortem ac gloriam Jesu Christi, qui vel αὐτόπται & αὐτήκοοι erant, aut saltem ab his cuncta accuratè accipiebant. Quatuor κατ' ἐξοχὴν hoc nomine insigniri solent, qui omnes præcipuam Historiæ J. Christi partem, aliis tamen & aliis circumstantiis, nobis reliquerunt. Ex his ultimus Johannes videtur studio præteriens, quæ à prioribus

ribus notata erant, unicè nova nondum relata colligens. Hi tamen in Sacris non audiunt Evangelistæ, sed quidam Apostolorum coadjutores in Evangelio prædicando, prout Timotheus 2. Tim. IV, 5.

XLVIII. *Tandem Doctores, Pastores, Episcopi, Diaconi, Presbyteri* in Actis Apostolorum & Pauli Epistolis leguntur, quorum opera ad Evangelii ministerium adhibebatur, de quibus verò inferius.

CAPUT XIX.
De
PERSONA JESU CHRISTI.

Σύνοψις.

Præmissis generalibus de Oeconomia Novi Testamenti ostenditur specialis ejus deductio. §. I.

Et quidem initium fit à persona Jesu Christi, quæ describitur §. II.

Qui verus Deus §. III.

Et verus homo, quod tum ex prædictionibus, tum ex implemento probatur. §. IV.

Maximè quoniam quæ nobis natura & proprietates, illæ in

Jesu Christo quoq; §. V.

Habet verò hanc naturam ex Maria §. VI. *Virgine.* §. VII.

Oriunda ex semine Abrahæ, Judæ, familia David, Bethlemi enitente §. VIII.

Quoniam verò Mater Jesu Christi virgo, clarum est, eum non potuisse ex illa edi nisi extraordinariâ Dei operatione. §. IX.

Quam speciatim exeruisse dicitur Spiritus S. §. X.

Quando autem Jesus Christus verus Deus & verus homo, id non ita intelligendum, ac si duæ essent personæ. §. XI. XII.

Sed una tantùm. §. XIII.

Unde sequitur λόγον *carnem in unitatem personæ assumsisse.* §. XIV.

Modus tamen assumtionis nos latet. §. XV.

Ex assumtione hac sequitur unio duarum personarum & hinc communio. §. XVI.

Tum ostenditur naturam divinam humanæ communicare summam dignitatem & excellentissimas dotes. §. XVII.

Non tamen essentiam suam. §. XVIII.

At natura humana divinæ nihil communicare valet. §. XIX.

Quia verò persona naturam humanam & divinam comprehendit, hinc fit ut illi utriusque naturæ proprietates attribuantur. §. XX.

Et quia utraque concurrit ad opus salutis perficiendum, hinc

hinc elucet communio officii. §. XXI.

Tandem adduntur rationes, quare Mediator θεάνθρωπος *esse debuerit.* §. XXII.

§. I.

Quæ hactenus de Oeconomia Consilii Gratiæ sub N. Testamento diximus, generalia sunt. Nunc sequentur magis specialia, quæ commodè in tres partes dispesci possunt, quarum prima enarratâ Jesu Christi personâ diversôque ejus statu tradit difficillimum munus, quod is bono & loco nostro subiit; Altera verò continet applicationem boni impetrati & quæ in hoc opere Dei, quæque hominis actiones sint; Tertia tandem docet, quinam illi, qui boni impetrati participes reddantur & quomodo regantur in his terris, & quæ ipsorum felicitas in altera vita futura sit.

II. *Primum*, quod juxta primam partem *à nobis tractandum, est persona Jesu Christi.* Naturâ & dignitate personæ cognitâ, quæ sequuntur de statu & officio ejus, hinc lucem accipient atque validè confirmabuntur. *Est autem Jesus Christus æternus Dei Filius opportuno tempore juxta vaticinia in carne, quam ex Virgine Maria per conceptionem ex Spiritu S. accepit, manifestatus, adeoque* θεάνθρωπος *ad munere Mediatorio sibi commissô dextrè & cum successu defungendum.*

III. *Jesum Christum æternum Dei Filium esse* jam supra c. IV. variis argumentis *adstruximus*. Alia ad veritatem hanc confirmandum nunc non addimus, nisi quod inferius speciatim de unione duarum naturarum in uno eodemq; Salvatore dicendum.

IV. *Eundem Filium hominis esse, tum ex vaticiniis, tum ex implemento eorum constat.* Ex vaticiniis, in quibus ut semen mulieris, Abrahami, Isaaci, Judæ, Davidis promittebatur Gen. III, 15. Gen. XXII, 18. cf. Gal. III, 16. Gen. XLIX, 10. 2. Sam. VII, 12. Maximè huc faciunt gemina Esaiæ loca c. VII, 13. *Ecce virgo* הרה ויולדת בן *concipiet & pariet filium*, & c. IX, 6. ילד ילד לנו *puer natus est nobis*. Qualis verò promittebatur, talem præstitum esse Evangelistæ referunt, narrantes conceptionem, gestationem, partum, Matthæus c. I. Lucas c. I, II.

V. *Atque hoc præterea quàm validissimè ex eo probatur quoniam quæ nobis natura & proprietates naturales sunt, sunt quoque Jesu Christo.* (1.) Non solùm enim vocibus, quæ de homine vero prædicantur, uti *Filius*, *Filius hominis* &c. sæpissimè appellatur. (2.) Sed etiam partes essentiales, ex quibus constare solemus, ipsi passim tribuuntur uti corpus Hebr. X, 5. & anima Matth. XXVI, 33. (3. Et corpus quidem verum phantasmati ac spectro oppositum, tum ante resurrectionem Matth. XIV, 26. 27.

26. 27. tum etiam post eam Luc. XXIV, 39. quod ex carne, sanguine, ossibus l. c. Hebr. II, 14. constabat, quodque visibile, palpabile, Luc. XXIV, 39. augmenti capax Luc. II, 40. indigum cibo, potu. Joh. IV, 7. Matth. IV, 2. Joh. XIX, 18. Matth. XI, 19. Matth. VIII, 24. quod labore defatigabatur Joh. IV, 6. lachrymas fundebat Joh. XI, 35. verberabatur, cruci affigebatur, moriebatur Joh. XIX, 16. 18. 30. (4.) Anima verò prædita intellectu Luc. II, 52. voluntate Matth. XXVI, 39. affectibus veluti amore Marc. X, 21. Matth. XXVI, 37. 38. commiseratione Matth. XV, 32. indignatione Joh. XI, 34. Breviter *per omnia fratribus similis* Hebr. II, 17. *& habitu inventus est ut homo* Phil. II, 8.

VI. *Hanc verò naturam nostræ similimam accepit ex Matre Maria.* Unde illa toties mater, ipse verò filius vocatur. Insuper γενόμενον ἐκ γυναικός Gal. IV, 4. cf. Luc. I, 35. *fructus uteri ejus* Luc. I, 42. Nos juxta leges naturæ ortum progenitoribus utriusque sexûs debemus. At talis, utpote post peccatum labe infectus, non decebat sanctum quique nos impuros sanctificare debebat. Hinc erat ἀπάτωρ Hebr. VII, 3. & mater εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα, antequam conveniebat cum Josepho Matth. I, 18. qui quidem Pater dici solet sed νομιζόμενον ut vulgò putabatur Luc. III, 23.

VII. *Erat ergò Mater Virgo*, quod tum ex nomine Luc. I, 27. tum ex colloquio l. c. 31. 34.

tum maximè ex vaticinio Esaiæ c. VII. 14. liquet. Quando enim hoc ipsum, quod Evangelista factum narrat, fieri debuisse ex illustri hoc vaticinio, quod nequidem veritatis hujus hostes in dubium vocare valent, constat, maximum hinc pondus ad Christianorum fidem confirmandum surgit. Nam quod עלמה vel ἐπιδεικτικῶς העלמה *virgo* certa, à Deo definita virginem illibatam notet, præter alia series maximè evincit. Vel quale illud signum adeò memorabile, prodigiale, si exponeres de muliere juvencula ex congressu cum viro gravida? Quantus Immanuel, si ille infirmus homo? Quâ ratione hæc vim habent consternatos de auxilio divino persuasos reddendi? Habent verò maximam, si explicas de Messia ex Virgine nascituro. Quòd si enim Deus populo suo tantam gratiam destinatô tempore conferre vult & valet, conferet quoque minorem, modò ante promissam adversus hostes. Verbis quoque satisfacit hæc explicatio. Messias quippe θεάνθρωπος. Nativitas ejus ex virgine potentiæ & gratiæ divinæ signum.

VIII. *Et Virgo quidem ex semine Abrahæ, tribu Judæ, familia Davidis, eaque humili filium Bethlemi enitens.* Nam Salvator mundi juxta Prophetias Abrahami semen, Israëlitarum frater, Judæ & Davidis in posteritate sua humilis filius, Bethlehemi edendus prædictus erat v. Gen. XXII, 18. Deut. XVIII,

15.

15. Gen. XLIX, 10. 2. Sam. VII, 12. Es. XI, 1. Mich. V, 2. Necesse itaque ut etiam mater ex hoc stemmate oriunda esset. Manifestum verò illam ex eo ortum suum traxisse, atque omnibus illis matris Messiæ characteribus notatam fuisse, uti Historia Evangelica refert, speciatim catalogus genealogicus apud Lucam c. III. 23--f. diversus ab illo apud Matthæum c. I. 1--18. quod illo perfectior atque naturalem ortum Christi tradat. Ex Thalm. Hierosolym. tr. Chagiga conjectavit Ligtfootus Mariam Eli filiam inter Judæos habitam fuisse. Tom. II. p. 504.

IX. *Hactenus probavimus Jesum Christum ex Matre Virgine prognatum fuisse. Quum verò Virgo secundum naturales leges concipere & parere nequeat, clarum est, eam extraordinariâ Numinis potentiâ & concepisse & peperisse.* Quod utique non supra vires Omnipotentis, ceu cui nihil impossibile Luc. I, 37. Et annon is, qui quotidie ex concubitu viri & fœminæ tot homines format, absque illa extraordinaria operatione fœtum in utero Virginis fingere posset? Conveniens quoque erat ut caro, in qua Deus manifestandus, à Deo etiam singulari actione in habitaculum suum pararetur. Id, quod nunc possibile atque recens adstruximus, revera contigisse Scriptura tradit. Unde Filius ad Patrem Hebr. X, 5. *corpus parasti mihi*, & Angelus Mariam de re ex legibus naturæ impossibili, possibili verò ex voluntate Dei

ita instruit. *Spiritus S. veniet super te & virtus Altissimi obumbrabit te* Luc. I, 35. cf. Matth. I, 18. 20. utens phrasibus ab amore conjugali desumptis.

X. *Ut verò Spiritûs S. hac in Materia operationem distinctius cognoscamus, attendendum nobis est ad sequentia. Primò* quidem semen Matris in utero collegit, unde *fructus uteri* audit Luc. I. 42. *Dein* vim prolificam ipsi indidit. *Tum* corpus ejusque membra formavit, fovit. *Insuper* cum corpore animam conjunxit. *Præterea* à perversis motibus matrem, à labe filium præservavit Luc. I, 35. Unde *tandem* statuto tempore fœtus, (neque enim in momento temporis formatus lucem videbat Luc. II, 6. cf. Luc. I, 57. item Matth. I, 18-f.) editus est.

XI. *Postquam pluribus probatum dedimus Jesum Christum esse & filium Dei & filium hominis, investigandum nunc venit, quomodo hæc duo de illo prædicentur. An alia persona filius Dei & alia filius hominis, uti Petrus & Jacobus? An verò una eademque?*

XII. *Prius falsum* quod patet (1.) Εἷς μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, *Unus est Mediator inter Deum & homines* 1. Tim. II, 5. At Christus Mediator tanquam filius Dei & filius hominis. (2.) Joh. I, 14. *Sermo caro factus est.* Sermo, quod ex antecedentibus patet, est Deus, Filius Dei,

Dei; hic ipse caro factus est. (3.) Rom. I, 2. 3. Qui est semen Davidis, ille quoque filius Dei. (4.) Philipp. II, 7. Qui in forma Dei subsistit, nec rapinam ducere debet, ut Deo æqualis sit, is ipse formam servi assumsit: Neque aliàs dici posset seipsum exinaniviſſe. (5.) Patet porrò ex tot aliis locis, in quibus de Jesu Christo filio hominis, quæ filii Dei, & de filio Dei, quæ filii hominis sunt, prædicantur. Quod vero locum habere haud posset, si alia & alia persona filius Dei & hominis filius esset.

XIII. *Ergo posterius verum. Si verò hoc verum, tum vel natura Dei in hominis, vel hominis in Dei mutata, aut Dei & hominis inter se confusa, aut denique utraque natura proprietates suas retinuit. Primum dici nequit*: Nam Deus mutari nequit Jac. I, 17. Proprietates divinæ naturæ toto cœlo aliæ sunt ab illis humanæ. Nequeunt igitur in has mutari. *Nec secundum*: Tum ex iisdem rationibus tum quoq;, quòd Christus, quamdiu in terris exstitit, se verum hominem anima corpore & quæ hinc qualitates oriuntur præditum, probaverit. Quam quoque naturam, mutatis tamen imperfectionibus, in cœlo retinet Act. I, 11. *Nec tertium*: Tum quia ejusmodi σύγχυσις impossibilis & perfectiones divinas dedeceret, tum quia Scripturæ adversatur, quæ non tantùm duarum naturarum in unam confusaru mnullibi meminit, sed distinguit Rom. I, 3. 4. & contraria de Jesu Christo

Christo affirmat Act. I, 11. cf. Matth. XXVIII, 20. quæ evincunt distinctas in illo naturæ humanæ & divinæ proprietates. *Unde fluit ultimum valere.*

XIV. *Positis nunc, quòd Jesus Christus sit Deus & homo simul & quòd quælibet natura proprietates suas distinctas teneat, sequitur porrò, quòd Jesus Christus consideratus ut divina persona carnem sive naturam humanam in unitatem personæ assumserit.* Quippe antequam caro factus, jam erat λόγος Joh. I, 14. cf. 1. 2. sive persona divina. Dein Paulus Philipp. II, 6. 7. ait Christum in forma Dei subsistentem μορφὴν δούλου *formam servi* assumsisse, *in similitudine hominis* factum esse. Tandem longè convenientius ut filius Dei æternus, infinitus, carnem in tempore factam, finitam in personæ unitatem receperit, quàm contrarium.

XV. *Si nunc porrò velles modum assumtionis, unionis nosse, me illum ignorare fateor.* Non revelatus ille est, adeoque à nobis non cognoscendus. Jam illud ad salutem, fiduciam, solatium sufficit, quod Salvator noster sit θεάνθρωπος. Imò sacræ Literæ referunt dogma hoc μυστήριον idque μέγα esse 1. Tim. III, 16. cf. Es. IX, 6. Et si ne quidem modum unionis animæ & corporis nostri plenè intelligimus, quomodo intelligemus modum, quô sermo, qui פלא *mirabilis*, caro factus est. Et quia unio huic similis in natura non datur, frustra quoque simili expo-

exponeretur. Præstat itaque à simili, quod adeò dissimile, abstinere. Modesti quique sublimitatem doctrinæ venerantes cognoverunt, κατ' ἄρσιν rectius quàm κατὰ θέσιν, saltem specialem, tradi posse, uti Patres Chalcedonenses fecêre.

XVI. *Ex assumtione carnis in unitate personæ divinæ oritur unio, vel si mavis, est ipsa unio, quâ Filius Dei & filius hominis una persona est. Quoniam verò, quæ uniuntur, solent aliquando participare* de denominationibus uni parti propriis; Solent commoda, honorem à parte excellentiori accipere; Solent unâ, quamvis dispari ratione, ad unum effectum producendum concurrere, quod vel ex exemplo hominis constantis ex unione corporis & animæ liquet, *dispiciendum est, quæ ex hac unione communicatio ortum trahat. Atque ut rem hanc clarius & certius deducamus, tria tractabimus. Primò quid natura divina humanæ: Secundò quid humana divinæ: Tertiò quid natura divina & humana personæ utramque comprehendenti communicet.*

XVII. N. *Natura divina humanæ communicat* (*a*) summam dignitatem alius cujusvis creaturæ superantem. Neque enim alia creatura hac arctissima ratione cum Deo unita. Attamen dignitas hæc non mox manifestanda erat. Philipp. II, 7. 8. 9. (*b*) Excellentissimas dotes, incrementi tamen capaces Luc. II, 52. quæ ad munus

munus mediatorium ritè obeundum necessariæ erant. De his Esaias c. XI. 2. *Quiescet super (Messia) Spiritus Jehovæ, Spiritus sapientiæ & prudentiæ, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus cognitionis & timoris Jehovæ,* Ps. XLV, 8. *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ omnibus consortibus tuis* Joh. I, 14. *plenus gratiâ & veritate,* Spiritum accepit *non ex mensura* c. III. 34. Hinc sapientia, quâ anno duodecimo pollebat, doctissimos in admirationem conjecit Luc. II, 47. & sanctitas immaculata Joh. VIII, 46. ipsi erat.

XVIII. *Nec tamen communicat essentiam suam sive proprietates divinas.* Divina enim essentia, à qua proprietates reipsa non differunt, creaturæ communicari nequit. Dein proprietates aut omnes aut quædam aut nullæ communicatæ sunt. Primum nemo asserere audet, vel quomodo forma servi, quæ in tempore assumta, æterna dici posset. Nec secundum verè dici potest, quia omnes proprietates Dei indivulso nexu cohærent. Tertium ergò dicendum. Nec excipi possunt omnipræsentia, omniscientia, omnipotentia atque vivificandi vis. Nam Sacræ Literæ nullibi tale inter proprietates discrimen faciunt, has carni communicatas referunt, alias non item. Imò omnipræsentiam Joh. XVI, 17. omniscientiam Marc. XIII, 32. omnipotentiam & hinc vivificandi

candi vim Historia mortis Jesu Christo tanquam filio hominis competere negant. Alioquin ultrò fatemur atque fundamentalem fidei Christianæ veritatem veneramur Jesum Christum esse Deum super omnia benedictum, ab æterno in æternum, omnia nosse, omnia quoque adimplere, omnia denique robore potentiæ suæ posse.

XIX. ב. *Natura humana divinæ nihil communicare valet.* Non honorem, non commodum, non vires, prorsus nihil. Ratio clara: Quod divinum non capax est additamenti: Quod finitum infinitum augere nequit.

XX. *Quia persona naturam divinam & humanam comprehendit, hinc fit, ut illi utriusque naturæ proprietates tribuantur.* Consimiliter ac se res habet cum homine ex corpore & anima constante, de quo utriusque partis idiomata prædicantur. Hinc exponendæ sunt variæ Scripturæ de Jesu Christo locutiones. (α) Nonnunquam persona ab utraque natura describitur. Et rectè, nam utramque habet. Loca sunt Es. IX, 6. Rom. I, 3. 4. (β) Aliquando de persona à natura divina denominata prædicantur, quæ naturæ divinæ sunt, veluti Joh. I, 1. 2. 3. (γ) Nonnunquam de persona ab humana natura denominata, quæ humanæ naturæ Luc. IX, 22. (δ) Subinde attributa enuntiantur de persona, sed ab ea natura denominata, cui attribu-

tributa illa nequaquam conveniunt. Atque hoc dupliciter; de persona à natura divina dicuntur, quæ propriè competunt naturæ humanæ, veluti Act. XX, 28. 1. Cor. II, 8. Vel de persona à natura humana nominata affirmantur, quæ divinæ sunt. Joh. III, 13.

XXI. *Dein quia utraque natura concurrit ad opus salutis nostræ perficiendum*, (de quo verò suo loco plura) *utraque faciente, quod sibi proprium est, elucet hinc communio officii* sive quod persona, quatenus & naturam divinam & humanam complectitur, *Mediator, Salvator* &c. noster sit.

XXII. *Antequam capiti huic finem imponimus, rationes adhuc dabimus, quare Mediator fidelium debuerit esse filius Dei & filius hominis in una eademque persona.* Sunt autem sequentes. Requirebat id natura officii. Per peccatum homines mortem promeriti sunt. Mors itaque obeunda à sponsore nostro, debebat itaque homo esse. Nondum sufficisset mortem pro nobis subire, sed & illa superanda, nos ex potestate Satanæ liberandi, renovandi ad imaginem Dei, ex filiis Satanæ filii Dei constituendi. Quas partes nulla mera creatura dextrè sumere potuisset, sed nonnisi, qui forti fortior Deus: Qui nos creavit, ille solus regenerare: Qui ipse Filius Dei, nos filios Dei constituere poterat. Convenienter, qui Deum & homines conciliare

liare debebat, erat Deus & homo. v. Hebr. II, 11. Coloss. I, 14-22. 1. Tim. II, 5. 6. Quâ ratione abunde salutì & solatio fidelium prospectum, ceu quorum Redemtor potens Deus & simul frater qui potest affici sensu infirmitatum nostrarum, utpote in omnibus consimiliter ac nos, sine peccato tamen, tentatus erat, Hebr. IV, 15. II, 17.

CAPUT XX.

De STATIBUS JESU CHRISTI.

Σύνοψις.

Jesu Christi dispari statu in genere indicatô. §. I.

Primô notandus venit status exinanitionis, qui describitur. §. II.

Qui impropriè ad naturam divinam, propriè ad humanam refertur. §. III.

Et hujus quidem humiliatio in initio vitæ §. IV. V.

Etiam in progressu. §. VI.

Tum in vita privata. §. VII.

Tum in publica. §. VIII.

Denique in vitæ e-

gressu ostenditur. § IX.

Distinctè notatur humiliatio, quæ crucifixionem antecedebat. §. X.

Quæ eam comitabatur. §. XI.

Quæ eam sequebatur. §. XII. XIII.

Ex dictis constat humiliationem Christi ab initio vitæ usque ad finem durasse: Corpus & animam spectasse. §. XIV.

Ad passionum Christi pretium clarius cognoscendum notandum est, quod innocens. §. XV. XVI.

Liberè, non coactè. §. XVII.

Juxta Patris voluntatem passus fuerit. §. XVIII. XIX.

Causa obedientiæ & passionum harum hæc est, ut omnes, qui in ipsum credituri sunt, salventur. § XX.

Imò omnes quoque Christi exemplum imitentur. §. XXI.

Secundò notandus venit status exaltationis, qui describitur § XXII.

Cujus jam præludia in statu exinanitionis præstabant. §. XXIII.

Insunt ei varii gradus, quorum primus resurrectio. §. XXIV.

Cujus ostenditur natura. §. XXV.

Causa, quæ modò Pater, modò Filius dicitur. § XXVI.

Circumstantiæ. XXVII.

Tandem veritas. §. XXVIII. XXIX.

Quæ maximè probatur ex apparitionibus Jesu. §. XXX.

Alter gradus est ascensio Christi in cœlum.

lum. §. XXXI.

Quæ, quod verè & localiter facta fuerit, probatur. §. XXXII.

Probatur quoque veritas. §. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII.

Sequitur tertius gradus, sive sessio Christi ad dextram Patris §. XXXVIII.

Phrasis impropriè accipienda est, & notat Christi gloriam & potentiam. §. XXXIX. XL.

Tollitur, quæ inde oriri posset difficultas, ac si Filius Patre honoratior. §. XLI.

Ultimus gradus est reditus Christi ad judicium ultimum. §. XLII.

Memoratos gradus Christus sibi promeritus est. §. XLIII.

Quod supra de exinanitione dictum, de exaltatione quoque valet quod propriè ad naturam humanam, impropriè ad naturam divinam referri queat. XLIV.

§. I.

JEsu Christi, cujus modò personam spectavimus, *dispar valdè status erat. Primò humilis: Postea excelsus.* Quod ex æterno Filii cum Patre pacto, vaticiniis v. Gen. III, 15. Ps. VIII, 5. 6. XXII. CX. CXVIII, 22, 23. Es. LIII. & implemento N. Testamenti, prout abundè Historia Evangelica & Apostolica testatur, constat. *Oportebat* παθεῖν τὸν χριστὸν καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν, *pati Messiam &* (tum) *intrare in gloriam* Luc, XXIV, 26. cf. 1. Petr. I, 11.

Quoniam enim redimendorum personam sumserat Salvator, atque hi propter peccata humiliandi, variis adversitatibus, ipsi denique maledictæ morti subjiciendi, humiliabatur ac subjiciebatur ipse. Verùm humiliatione illa promeritus sibi erat gloriam, ut eandem in nos transferret, ex morte liberaret atque in cœlestia gaudia transponeret.

II. *Primò notandus venit exinanitionis status, quò* Θάνθρωπος *quoad divinam naturam seipsum ad tempus privavit manifestatione Majestatis sibi aliàs competente, quoad humanam verò in similitudine hominis formam servi assumsit atque per totam vitam, maximè in morte ea egit, quæ ad restitutionem peccatoris poscebantur.* De quo quidem statu in Sacris passim, maximè Joh. XVII, c. t. & Philipp. II, 6-9.

III. *Exinanitio itaque spectari potest vel ratione divinæ vel ratione humanæ naturæ. Divina natura propriè humiliari nequit,* nam Deus est immutabilis. Attamen Filius Dei gloriam, quam ab æterno apud Patrem habebat Joh. XVII, 5. ad tempus sub velo carnis imbecillæ, quasi occultabat. *Seipsum exinaniebat formam servi assumens in similitudine hominis factus*, Phil. II, 7. 8. Subinde tamen radios divinitatis conspiciundos præbebat, tum miracula patrans, tum alibi Matth. III, 16. 17. XVII, 2-6.

IV.

IV. *Præcipuè vero quoad humanam naturam humiliabatur. Et quidem in initio, progressu & fine vitæ.*

V. *In initio vitæ.* Quatenus particeps factus est carnis & sanguinis, consimiliter ut alii pueri: In utero matris latebat, ex eo cruentus egrediebatur. Mater, tutor quoque pauperculus ei erat. Non domum propriam, in qua natus, imò ne quidem incunabula habebat. Octavo die circumcidebatur, qui circumcisione non indigebat, uti reliqui Judæi, sed is ita obligabat se ad totam legem servandum. Mox in Ægyptum aufugere necesse habebat.

VI. *In progressu vitæ, quæ in duas partes rursum dispescitur, privatam scil. & publicam.*

VII. *Vita privata* protendebatur ad annum trigesimum Luc. III, 23. quâ Mariæ & Josepho obedientiam præstabat, artem, uti videtur, fabrilem exercebat Marc. VI, 3. ut haberet, unde viveret. Neque enim bona propria possidebat.

VIII. *Vita publica*, (cujus spatium non satis clarè liquet, probabiliter tamen tribus integris annis & parte quadam constabat, utpote Johannes quatuor Paschata tempore functionum Christi publicarum memorat c. II, 13. V, 1. cf. IV, 35. VI, 4. XIII, 1.) exinanitione plena erat. Nam ejus exordium facturus à servo suo baptizabatur, quod cum dignitate supremi

Domini minus convenire Baptista judicabat Matth. III, 14. Mox postea à Satana ternis vicibus tentabatur, huc illuc ducebatur Matth. IV, 1-11. Concertationes ipsi erant cum omnium generum hostibus, Pharisæis, Scribis, Sadducæis, Herodianis, Sacerdotibus. Illudebatur ab his: Ab aliis gravissimis convitiis proscindebatur Matth. XI, 19. XII, 24. Joh. VIII, 48. Rursus ab aliis porcis postponebatur Matth. VIII, 34. Denique alii insidias vitæ ejus struebant. Tandem fatigationes, paupertatem, famem, sitim perferebat.

IX. *In egressu vitæ. Ubi distinctè notari possunt, quæ antecedebant crucifixionem, quæ eam comitabantur, quæ eam denique sequebantur.*

X. *Antecedebant crucifixionem* celebratio Paschatis & sacræ Cœnæ, instantes passiones horribili pictura depingentium. Dein perfida Judæ discipuli vilissimô pretiô, avaritiâ dictante, Satana cor implente, facta *sui* proditio, juxta prædictionem Ps. XLI, 10. Tum ingens angor tristitiaque in horto Gethsemane ob poculum judiciorum Dei ebibendum Matth. XXVI, 30-47. Præterea violenta, qualis adversus latrones institui solet, prehensio l. c. v. 51-56. Insuper turpis discipulorum fuga v. 56. Acerba quoque illusio & injusta coram Synedrio condemnatio v. 57--68. Etiam trina Petri abnegatio v. 69--f. Denique ignominiosa existi-

matio

matio, quâ Judæi Barnabam Christo præferebant, flagella, amarus contemtus.

XI. *Comitabantur crucifixionem* iniqua Pilati (ad tempus quidem invido Judæorum petito resistentis) sententia de cruce, mortis specie Romana, summa, maledicta, juxta Vaticinia tamen & typos, subeunda. Molesta dein crucis portatio. Vestium quoque despoliatio. Suspensio dolorosa manuum pedumque perforatione factâ. Accedit quòd medius inter duos latrones pependerit, atque sarcasticè ab omnibus spectatorum generibus illusus fuerit. Præterea passiones adeò increscebant ut exclamare necesse habuerit *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti?* Matth. XXVII, 46. Tandem subsequebatur mors, quam ultimò lateris perfossio excipiebat; nam quoniam Christus citius, quàm suspensi solent, animam efflabat, omissô crurifragiô, non tamen sine peculiari Numinis directione, lanceâ latus aperiebatur, emittens sanguinem aquamque, prout olim purificationes aquâ & sanguine fiebant.

XII. *Crucifixionem sequebatur sepultura*, opera Josephi, & Nicodemi in peregrino sepulchro facta, Christi verè mortui irrefragabile documentum. Et quoniam à veritate mortis Christi Christianorum fides dependet, ideò prospexit providum Numen, ut ejus veritas variis argumentis constaret. Hinc de ea testantur milites latus lanceâ fodientes, Centurio coram

Pilato, Josephi & Nicodemi opera sepulchralis, custodia militum sepulchro appositâ.

XIII. *Sequebatur quoque permansio in statu mortis.* Christus, qui sepeliebatur, non mox resurgebat. Quamvis ei corruptio subeunda non erat, conveniens tamen, ut tridui spatio quasi sub triumpho mortis detineretur. Anima quidem statim post mortem in Paradiso Luc. XXIII, 43. existebat, sed non prius cum corpore conjungebatur, quàm triduo elapso. Alia non tradit Scriptura de statu mortis Christi. Alia itaque à nobis credenda non sunt. Et probabile est hoc ipsum Veteres, qui *descensûs Christi ad inferos* meminêre, intellexisse.

XIV. *Ex his nunc constat quàm gravis Christi humiliatio, & quæ ac quanta ipsi perferenda fuerint.* (1.) Ab initio vitæ usque ad finem ejus adversitates certatim eum feriebant. Imò crescente ætate crescebant afflictiones. (2.) Hostes experiebatur socios æque ac nulla familiaritate sibi conjunctos, Judæos ac Gentiles, homines & spiritus malos. (3.) Patiebatur in corpore & anima. Atque hoc necessarium. Neque enim intensissimi dolores in corpore sentiri possunt, animâ de iis non participante. Dein æquum, ut, qui corpora animosque nostros redimere debebat, in corpore animoque pateretur. Unde Historia Evangelica

lica testatur Salvatorem jam tum anxium fuisse, quando futuras emortuales passiones menti suæ multo tempore antè proponebat Luc. XII, 50. Vicinus morti fortius angebatur Joh. XII, 27. *Nunc anima mea turbata est & quid dicam? Pater serva me ex hac hora.* Et quando jamjam hostibus tradendus, ἤρξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν atque dicebat περίλυπός ἐστιν *circumquaque tristis est anima usque ad mortem.* Matth. XXVI, 37, 38. Expetebat liberationem ab haustu poculi, si pote. Defluebat ex eo sudor instar guttarum sanguinis cordis anxietate extortus, Luc. XXII, 44. Imò in cruce in hæc angoris plena verba erumpebat. *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti?* Matth. XXVII, 46. Et certè acuti dolores, privatio lætitiæ, solatii, potestas tenebrarum mortis ob peccata omnium nostrûm in eum conjecta permagna animum non poterant non tristitiâ, angore replere.

XV. *Quo dignitas atque pretium memoratarum passionum clarius nobis innotescat, porro observandum perlatas illas à Christo esse absque causa, ceu quas minimè merebatur. Dein sponte & libere: Atque hoc ut voluntati Patris satisfaceret.*

XVI. *Primò patiebatur innocens.* Quod quidem ex tota Historia, maximè crucifixionis & mortis constat. Innocentiæ ejus testimonium perferunt ipsi hostes, Judas Matth. XXVII, 4.

Pilatus v. 24. Centurio v. 54. maximè miracula quæ in cœlo, terra, Templo, hominibus patrabantur. Ipsa Judæorum accusatio insontem ipsum declarat. Pilatus quippe Christum turbatorem seditiosum esse post institutum examen negabat. Æterna verò veritas est, quòd Filius Dei sit, ob quam confessionem tanquam blasphemus habebatur.

XVII. *Dein liberè.* Ab æterno passiones se subiturum sponte promittebat. In plenitudine temporis eas subibat, veniebat ad faciendum voluntatem Patris, seque servum sistebat Ps. XLI, 7. 8. Noverat tempus mortis, nam illud sæpius prædixerat, noverat locum, noverat proditorem reliquosque hostes, sed aufugere nolebat. Petrum gladio ipsi auxiliantem dehortabatur. Hostes, quos verbô prosternebat, rursum erigebat seque iis committebat. Joh. XVIII, 6--9. Ut adeò verissimum, quod dixerat Joh. X, 18. *Nemo tollit animam à me, sed ego pono eam à me ipso.* cf. Matth. XX, 28. Gal. II, 20.

XVIII. *Insuper juxta voluntatem Patris.* Unde Filius Joh. XVII, 4. *Opus, quod dedisti mihi ut facerem, consummavi*; quodnam? Ut poneret animam pro ovibus Joh. X, 18. Et Pater dicitur filium *emisisse factum ex muliere, factum sub lege* Gal. IV, 4. *tradidisse* Joh. III, 16. *misisse propitiatorium pro peccatis nostris* 1. Joh. IV, 10. Et quando Filius potestate tenebra-

nebrarum terrefactus petebat, *Transeat calix iste à me*, mox subjiciebat, *Verum non ut ego volo*, ἀλλ' ὡς σὺ *sed ut tu.* Secundum voluntatem tuam, quæ mea etiam erit, licet imbecillitas naturæ humanæ liberationem mallet.

XIX. *Salvatorem juxta Patris voluntatem passum fuisse speciatim inde constat, quoniam omnia, quæ ipsi in statu humiliationis eveniebant, eveniebant secundum Scripturas V. Testamenti. Tradidi vobis ante omnia, quod etiam ego accepi, Christum mortuum esse pro peccatis nostris* κατὰ τὰς γραφὰς, *sepultum quoque* κατὰ τὰς γραφὰς, *juxta Scripturas* 1. Cor. XV, 3. 4. Et quod expressè de morte & sepultura Paulus affirmat, verum de omni alia humiliationis parte, quod partim ex inductione exemplorum, partim ex Evangelistarum, Matthæi speciatim, allegationibus propheticis liquet.

XX. *Omnes has passiones nec optimus Pater Filio subeundas injunxit, aut Filius pertulit sine gravissima ratione. Ratio autem est eorum, qui in ipsum crediturí sunt, salus* Joh. III, 16. Horum bono & loco Christus humiliabatur, obediebat, patiebatur, moriebatur. Non solùm crediturís passiones emortuales (licet hæ præprimis) prosunt, sed & aliæ omnes antea perlatæ. Nam quod Christus agebat, patiebatur, nostri causâ tanquam Salvator.

vator. Nulla in illo humiliationis, contemtûs, adversitatum ferendarum ratio. Clarè Paulus 2. Cor. VIII, 9. Jesus Christus *propter vos factus est pauper, quum dives esset, ut vos paupertate ejus ditesceretis.* Atque ad hunc modum rectè dicimus, humiliabatur ut nos exaltaremur; Humanæ naturæ particeps factus est, ut nos divinæ. Et sic quoad reliqua. v. 2. Cor. V, 21. Jes. LIII, 4. 5. 6. 7. 8.

XXI. *At simul probè tenendum non solùm obedientiam & passiones Christi bono & loco nostro sed etiam in exemplum exantlatas fuisse.* Unde cui non sunt in exemplum, nec vergunt in bonum aut locum ejus. Christus humiliabatur, ut & nos humilitati studeremus, Philipp. II, 5. Christus pauper factus est, ut & nos bona nostra dispergeremus, 2. Cor. VIII, 9. 10. &c. Christus contemtum, crucem sustinuit, ut ipsi conformes redderemur, Hebr. XII, 2. Christus carne passus, crucifixus est, ut & nos carnem crucifigeremus 1. Petr. IV, 1. II, 21. Atque qui ita unà patiuntur, etiam unà glorificabuntur Rom. VIII, 17.

XXII. *Exinanitionis statum excipit exaltationis, quô Jesus Christus quoad divinam Naturam devictâ morte & peccatô Magnus Deus manifestatus, quoad humanam verò corpus vitæ restitutum, à defectibus liberatum, gloriâ coronatum, in cœlum translatum est, ubi tanquam* δεξιοτης *ad dextram Patris*

Patris sedet, in judicio ultimo reversurus ad judicandum vivos & mortuos.

XXIII. *Jam in Jesu exinanito exaltationis præludia cernebantur, quæ tanto magis conspicua, quo exinanitio major,* uti id passiones emortuales evincunt. Angeli ex cœlo, tenebræ Solis, motus terræ, velum Templi scissum, fissura petrarum & mortuorum resurrectio gloriæ summæ in crucifixum transferendæ documenta præbebant. Prout verò exinanitio gradus habebat, habet quoque exaltatio.

XXIV. *Primus est resurrectio,* fidei Christianæ fundamentum 1. Cor. XV, 17. 18. Rom. X, 9. *Quare distinctius de ea agendum. Et quidem* (1.) *De Natura ejus.* (2.) *Dein de Circumstantiis.* (3.) *Denique de Veritate.*

XXV. (1.) *Natura Resurrectionis.* Illud ipsum corpus, quod non ita pridem terræ mandatum, cum anima, quæ singulariter in manu Dei erat, rursum conjungebatur vivebatque. Et anima ab angore aliisque infirmitatibus liberata dulcissimum sensum gaudii charitatis Dei possidebat: Corpus verò immortale, ἀναβίε factum, & quod mox majorem gloriam consecuturum, Phil. III, 21. Act. VII, 56.

XXVI. Resurrexit verò virtute divina, cui soli vis vivificandi inest. Quum verò vis divina omnibus tribus personis communis sit, patet hinc posse adscribi & Patri & Filio, quod Scriptura

ptura facit. Patri Eph. I, 19. 20. Gal. I, 1. 1. Thess. I, 10. Rom. X, 9. unde is aliquando περιφραστικῶς describitur *qui suscitavit Jesum ex mortuis* Rom. VIII, 11. IV, 24. quâ actione docemur ipsum morte Christi glorificatum sponsorem ab omni obligatione absolvere, Act. II, 24. 32. mercedem promeritam ei addicere atque etiam peculium ejus justificare, Rom. IV, 24. Spiritu suo vivificare Rom. VIII, 11. adversus satanam defendere c. c. v. 34. 1. Thess. I, 10. Sed Filio Joh. II, 19. X, 18. v. 21. ad demonstrandum divinitatem suam, Rom. I, 4.

XXVII. II. *Circumstantiæ Resurrectionis. Ex his prima est tempus*, quod tertius dies. Non prius resurgebat, quò certius constaret illum verè mortuum fuisse. Nou diutius in sepulchro manebat, tum ad erigendum afflictos discipulos, tum quoque, quoniam corruptionem subire non debebat. Et hoc ipsum tempus est, quod ab Hosea prædictum c. VI, 2. à Jona præadumbratum Matth. XII, 40. ab ipso quoque Salvatore toties fixum erat Joh. II, 19. Matth. XVI, 21. XX, 19. Nec difficultas est, quod tres integri dies noctesque monstrari nequeant, quandoquidem in Scriptura ut & Judæorum libris pars temporis sæpissimè pro toto sumitur. *Secunda dies*, qui primus septimanæ. Parte quippe ultima sexti corpus terræ committebatur. Septimo in terra quiescebat Sabbathi

bathi antitypus, typum abrogaturus. ὀψὲ σαββάτων *exacto Sabbato* Matth. XXVIII, 1. quod Marcus clarè ait c. XVI, 1. quando mox illucescebat primus septimanæ à Sole oriente computatus, tenebris tamen nondum discussis, mox verò discutiendis Luc. XXIV, 1. Joh. XX, 1. resurgebat Christus. *Tertia motus terræ* extraordinariè factus, ut divinum opus constaret atque decenter consideraretur, cf. Act. XVI, 26. *Quarta Angelorum Ministerium* docens Majestatem Jesu Domini sui, tum apud fideles tum apud infideles Matth. XXVIII, 4.

XXVIII. IV. *Veritas Resurrectionis.* Nequit illa in dubium vocari. Nam vel in dubium vocatur, quia absolutè impossibilis, vel quia testimoniis fide dignis non est comprobata. At neutrum dici potest. Non prius: Cui enim vires hominem creandi, illi quoque ad eum excitandum è morte. Nec posterius: Nam cuncta, quæ ad ἀξιοπιστίαν testimonii faciunt, habet. Quod ex dicendis liquet.

XXIX. (1.) Testimonium Christi excitati tum dabatur, quando ipsa Historia resurrectionis contigit. (2.) Dabatur à pluribus. (3.) Et talibus, qui non poterant falli 1. Joh. I, 1. utpote à quibus Christus sæpius videbatur, nec volebant fallere, quippe homines simplices, candidi, à fraude, mendacio, ceu quæ gravissimè improbabant, alieni, quique diris simâ, plurimi

rimi mortem propter hoc testimonium patiebantur, nec denique poterant fallere, nam rem narrabant suo tempore gestam facilè falsi (si falsum subfuisset) convincibilem, rem quoque carni adversam, Judæorum & Gentium Religioni oppositam. (4.) Dabatur dein cum circumstantiis temporis, terræ motûs, saxi devoluti, monumenti vacui reperti, Angelorum visorum, militum aufugientium atque ad mentiendum subornatorum &c. (5.) Dabatur tandem juxta Scripturas Propheticas, quæ etiamnum in hostium manibus sunt atque testantur Messiam in mortis statu non permansurum, Ps. XVI, 10. cf. Act. II, 24-32. Ps. CX, 7. Es. LIII, 8. Hos. VI, 2.

XXX. *Magnum quoque robur hæc veritas sumit ex toties repetitis apparitionibus tum ante ascensionem tum etiam post eam.* Post ascensionem visus à Stephano, Paulo Act. VII, 55. 1. Cor XV, 8. Ante eam à Maria Magdalena Marc. XVI, 9. cæterisque mulieribus à sepulchro regressis Matth. XXVIII, 9. 10. duobus discipulis Emauntum euntibus Luc. XXIV, 13. 31. Simone Petro solo Luc. XXIV, 34. Apostolis collectis Hierosolymæ, Thoma excepto Joh. XX, 19-24. Post octiduum ab iisdem & etiam Thoma Joh. XX, 26. Ad mare Galilææ à septem discipulis piscantibus c. XXI, 1. A plusquam quingentis fratribus simul 1. Cor. XV, 6. Jacobo seorsim l. c. v. 7. Et tandem ipso

ipso ascensionis die ab omnibus discipulis Act. I, 2-9. Factæ autem erant hæ apparitiones tum ut ipsi Apostoli resurrectionem in dubium vocantes validissimo hoc argumento convincerentur, tum quoque ut omni πληροφορίᾳ dicere possent *Quod audivimus* &c. *testamur* 1. Joh. I, 1. tum denique ut naturam regni cœlorum rectius edocerentur discipuli Act. I, 3.

XXXI. *Secundus exaltationis gradus est ascensio Christi in cœlum.* In Sacris exprimitur vocibus לקח *assumere* Es. LIII, 8. cf. Gen. V, 24. 2. Reg. II, 9. ἀναλαμβάνειν, 1. Tim. III, 16. Act. I, 11. עלה *ascendere* Ps. LXVIII, 19. ἀναβαίνειν Eph. IV, 10. Joh. XX, 17. proficisci ad Patrem, in domum Patris, intrare in sanctuarium Joh. XIV, 2. XVI, 7. Hebr. IX, 24. Priores duæ Patrem Filium assumentem & propter glorificationem nominis sui factam in gloriam recipientem; Posteriores verò Filium propriâ virtute cœlos petentem docent.

XXXII. *Estque ascensio hæc localis*, sive Jesus Christus quoad humanam naturam relictâ terrâ in cœlum verè sublatus est. Quod non solùm volunt voces *ascendere*, *assumi*, sed maximè illa loca, quæ affirmant Christum *cœlos pertransisse* Hebr. IV, 14. *cœlis superiorem factum fuisse* c. VII, 26. *contineri cœlo* tanquam palatio suo *usque ad tempora restitutionis omnium* Act. III, 21. *reversurum* c. I, 11. imò *mundum deseruisse* Joh. XVI, 28. quæ

utique verba plus inferunt quàm statûs mutationem. Insuper omnia, quæ ad localem mutationem requiruntur, reperiuntur in Christi ascensione. *Requiritur corpus finitum*, quale Christi caro, glorioſior quidem post resurrectionem, sed tamen caro. *Dein terminus à quo*: Is erat mons Oliveti prope Hierosolymam, distans itinere Sabbathi, sive spatio bis mille cubitorum Act. I, 12. qui etiam Bethania dicitur Luc. XXIV, 50. tractus puta montis Oliveti ita dictus, non vicus hujus nominis Joh. XI, 18. *Præterea terminus ad quem*, qui cœlum & quidem summum Hebr. VII, 26. Eph. IV, 10. naturam veri loci tenens, vide supra c. VI, §. 25. *Tandem spatium interpositum*, per quod terram relinquendo in cœlum supremum evectus erat scil. cœlum aëreum, stelliferum, unde *cœlos pertransiisse, cœlis superior factus* dicitur Hebr. IV, 14. VII, 26.

XXXIII. *Hanc verò ascensionem verè gestam fuisse confirmant sequentia.* I. *Testimonium Apostolorum*, qui ascensioni interfuerunt & hinc circumstantias Christi ascendentis varias nobis reliquerunt Act. I. Verum quidem quòd nullus hostium ipsum ascendentem viderit, saltem quantum ex Historia Sacra constat, sed ideò Discipulorum testimonium in dubium vocari nequit. Habebat Deus rationes (*a*) Nam prius audiverant præconium Christi, viderant plura, maxima miracula, nec tamen cre-

credebant. (*b*) Nec solet Deus ordinariò fidem in Christum tali cœlesti argumento, demonstratione scil. filii sui in cœlo, exigere. (*c*) Sed præconio Evangelii, testimonio illorum, qui ipsum ascendentem viderant, ut esset locus fidei & explorationi, qualis non, si Christus glorioso modo in cœlo conspiceretur. Ita enim nequidem Diabolus incredulus esset. (*d*) Quare tum demum, quando ad judicandum reversurus, in nubibus apparebit, atque eum omnis oculus videbit.

XXXIV. II. *Testimonium Stephani & Pauli* Christum in cœlo videntium. Act. VII, 55. 1. Cor. XV, 8. IX, 1. Act. IX, 3. 4.

XXXV. III. *Testimonium Spiritûs S. à cœlo effusi.* Hic quippe donum Christi ascendentis Ps. LXVIII, 19. promittebatur post discessum ad Patrem Joh. XVI, 7. *Itaque dextra Dei seorsum sublatus & promissum Spiritum Sanctum adeptus à Patre effudit hoc, quod vos nunc cernitis & auditis* Act. II, 33.

XXXVI. IV. *Testatur omnis subsequens Historia progressûs regni Christi inter Judæos & Gentes.* Quare Judæorum Templum & Respublica corruit? Quare quoque Gentilium fana profana à pristinis cultoribus suis agnita? Quâ virtute piscatores, publicani tanto cum successu Historiam Christi crucifixi prædicarunt? Quâ denique potentiâ infirmi Discipuli

ingentia miracula patrarunt? Quoniam Jesus Christus in cœlum ascendit ibique regnat.

XXXVII. V. *Tandem id ipsum prædictionum & Typi natura poscit.* De Christo in cœlum ascensuro vaticinabatur David Ps. LXVIII, 19. *Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem*, cf. Eph. IV, 8. Idem Ps. XLVII, 6. Etiam Esaias c. LIII, 8. Typus verò egregius in Pontifice V. T. cum sanguine ad expiandum peccata in Sanctissima intrante prostat, quem ipse Paulus ad Christum transfert Hebr. IX, 12. 24.

XXXVIII. *Sequitur tertius gradus sive sessio Christi ad dextram Dei.* Variè proponitur in Sacris: Modò *esse* Rom. VIII, 34. Modò *sedere* Coloss. III, 1. Modò *collocari* Eph. I, 20. Modò *stare ad dextram Dei*, Act. VII, 55. 56.

XXXIX. *Impropriam esse phrasin ex natura Dei spirituali patet. Solet autem in Scriptura adhiberi ad Majestatem & gloriam* Hebr. I, 3. VIII, 1. *Insuper ad potentiam atque robur indicandum.* Cujus rei ratio minimè obscura, quippe dextra apud Hebræos sinistrâ honoratior habebatur Gen. XLVIII, 13. Job. XXX, 12. Matth. XXV, 33. quò facit sessionis in Synedrio ratio, juxta quam Pater domûs Judicii Principis latus dextrum claudebat. Cum honore verò robur conjunctum esse solet.

XL. *Quæ phrasis explicatio satis commoda*

moda est, quippe liquet eâ significari statum Christi in cœlis. Hic verò est gloriâ & Majestate plenus Joh. XVII, 5. Luc. XXIV, 26. Philipp. II, 9. 10. Eph. I, 20. 21. Pollet Salvator nunc omni potestate in cœlis & terra Matth. XXVIII, 18. Regit Ecclesiam Spiritu & verbo, atque defendit eam fortissimè adversus hostes.

XLI. *Id verò difficultatem facit, quòd ex hac explicatione sequeretur Christum Patre honoratiorem haberi*, sed difficultas mox disparet, quamprimum cogitamus gradum honoris majorem vel minorem in עליון *altissimum* non cadere. Dein ob 1. Cor. XV, 27. *Omnia subjecit pedibus ejus. Quum autem dicit omnia ei esse subjecta, palam est hoc dici exceptô eô, qui subjecit ei omnia.* Quare phrasis à more humano desumta non ultra extendenda est quàm materia subjecta patitur. Et quis ignorat Rege in regno suo honoratiorem non esse, quamvis alium ad dextram collocet, v. 1. Reg. II, 19. Ps. XLV, 10.

XLII. *Ultimus gradus est reditus Christi ad judicandum vivos & mortuos*, de quo alia hoc loco dicturi non sumus.

XLIII. *Hi ergo sunt exaltati Christi honores, quos sibi humiliatione promeritus erat* Phil. II, 6-12. Decebat utique Patrem, ut Filium, qui pro ejus gloria mortem subiit, ad vitam excitaret: Qui infima terræ calcavit, in

suprema eveheretur: Qui infirmitatibus, contemtui expositam vitam duxit, gloria & potentia coronaretur. Nec aliter Christus munus suum ad fidelium salutem gerere potuisset.

XLIV. *Prout supra diximus exinanitionem de Christo propriè quoad humanam, impropriè quoad divinam Naturam prædicari, ita hoc ipsum de exaltatione dicendum.* Deus ὑψιστος exaltari nequit. Attamen, qui ad tempus non agnoscebatur, factâ declaratione postea agnosci, & divino honore excipi potest. At natura Christi humana verè exaltata, vivificata, in cœlum translata & gloria & potentia condecorata est.

CAPUT XXI.
De
OFFICIO CHRISTI MEDIATORIO.

Σύνοψις.

Unus, propter quod sermo caro factus & formam servi assumsit, atq; usque ad mortem crucis obediens extitit, gravissimum sit oportet. §. I.

Illô Deus glorificandus & peccator salvandus erat. §. II.

In

In Sacris variè audit. §. III.

Speciatim Mediatorium. §. IV.

Quod nomen præsupponit partes inimicas, Deum scil. & hominem. §. V.

Inter quas se medium stitit Jesus Christus tum Deo pro peccatis satisfaciendo, tum peccatorem de voluntate Dei instruendo, sanctificando, regendo & defendendo. §. VI. VII.

Unde surgunt tres functiones, Prophetica, Sacerdotalis & Regia. §. VIII.

Prima itaque functio Prophetica est, cujus natura monstratur & Christo competere probatur. §. IX. X.

Jam in Vetere, multò magis in Novo Testamento. §. XI.

Figmentum est, quod raptu in Cœlum Propheta factus sit. §. XII.

Functio hæc clarius cognoscitur, primò ex doctrina proposita, quæ partim res fidei, partim res morum continet. §. XIII. XIV.

Comprehendit dein & promissa & præcepta. §. XV.

Convenit denique cum doctrina Mosaica & habet quædam peculiaria. §. XVI.

Secundò ex modo proponendi, indefessa scil. diligentia, magno zelo, magnanima libertate, auctoritate summa, vi & efficacia prophetiæ invicta. §. XVII.

Tertiò ex confirmatione. §. XVIII.

Facta tum per ipsam do-

doctrinæ naturam. §. XIX.

Tum per miracula. §. §. XX.

Vera. §. XXI.

Divina. §. XXII.

Innumera. XXIII.

Et ob alias circumstantias notatu digna §. XXIV.

Tum per vitæ sanctitatem & mortem. §. XXV.

Altera Mediatoris functio sacerdotalis est, quæ itidem describitur, & Christo competere probatur §. XXVI.

Christi sacerdotium in quibusdam disconvenit à Sacerdotum V. T. XXVII. XXVIII.

In aliis convenit. §. §. XXIX.

Maximè notandi veniunt tres sacerdotales actus, oblatio, intercessio, benedictio. §. XXX.

(α) *Circa oblationem primò notatur victima, quæ ipse Christus.* §. XXXI. XXXII.

Tum speciatim, quod sit piacularis. §. XXXIII.

Unde sequitur mortem Christi vicariam fuisse, satisfeciisse Deo ob peccata nostra irato. XXXIV.

Nam tanta illi intrinseca dignitas est, ut ea Pater plenè glorificatus fuerit. §. XXXV.

(β) *Intercessio alter actus, quem Pontifex in cœlo pro nobis peragit.* XXXVI.

Ejusque fundamentum est sanguis fusus. §. XXXVII.

(γ) *Benedictio verò tertius, quâ varia bona redundant in populum suum.* §. XXXVIII.

Memo-

Memorati tres Sacerdotales actⁿ conjunctissimi sunt, ut pro quo unus latus est, pro eodem reliqui. §. XXXIX.

Quare quando Christus nonnisi intercedit pro fidelibus eisque benedicit, etiam pro illis tantùm mortuus est. §. XL.

Solvuntur objectiones. §. XLI.

Infideles tamen hinc nullum infidelitatis prætextum habent. §. XLII.

Tertia functio Regia est, quæ in Christum quadrare adstruitur. §. XLIII.

Intelligitur autem regnum Christi œconomicum, non essentiale. §. XLIV.

Non est terrestre. XLV.

Sed spirituale. §. XLVI.

Amplissimum. XLVII. XLVIII.

Æternum. §. XLIX.

Victoriosum. §. L.

Functionibus Mediatoris absolutis constat Mediatorem esse debere θεάνθρωπον. §. LI.

Ultimò probatur, Jesum Christum esse Messiam, quem Literæ V. Testamenti promiserant. §. LII.

§. I.

GRave oportet munus sit, propter quod non solùm Deus caro factus est, sed etiam formam servi assumsit, atque durissimam contemtissimamque obedientiam usque ad crucem subiit.

II. *Munus hoc est glorificare Deum hominum*

num peccatis læsum, eundem reconciliare, ut salvis perfectionibus suis in amicitiam cum peccatore redire queat, hunc verò iis qualitatibus exornare, quæ ipsum dignum reddunt communione cum Deo.

III. *Quum verò hoc munus longè excellentissimum plurima contineat, hinc fit, ut tum ipsum munus, tum quoque, qui illud gerit, pro varia χίσει functionum, beneficiorum, statuum &c. diversis nominibus in Sacris insigniatur.*

IV. *Significans & quod generalem rei tractandæ conceptum producit, est Mediatoris nomen*, quod 1. Tim. II, 6. de Jesu Christo prædicatur.

V. *Vox hæc præsupponit duas & quidem sibi adversas partes. Et sunt Deus & homo.* Nam peccatum amicitiam, quæ inter Creatorem & creaturam sive hominem erat, sustulit. Es. LIX, 2. inimicitiam posuit, Gen. III, 15. unde homo non intercedente satisfactione ἐχθρὸς *inimicus* Dei Rom. V, 10.

VI. *Inter has partes medium se stitit Jesus Christus, amicitiam restauraturus.* Sed quomodo? An tantùm intercedendo apud Patrem, ut peccata absque demonstratione justitiæ remitteret atque peccatores secum conjungeret? Non. Deus, qui benignus, etiam justus, sanctus, verax, qui adeoque absque ἐνδείξει harum perfectionum cum peccatore conjungi, illi

illi benefacere nequibat. Patet dein clarissimè ex experientia. Non enim filium optimum morti diris simæ subjecisset, si solâ ejus intercessione gloria concinnè declarari potuisset. Speciatim huc pertinent Scripturæ loca: *Quum eramus hostes, reconciliabamur cum Deo,* διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. Rom. V, 10. Deus *mundum suum reconciliabat* ἐν Χριστῷ. Quomodo? *Quatenus eum, qui peccatum non noverat,* ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν *pro nobis fecerat sacrificium pro peccato,* 2. Cor. V, 19. 21.

VII. *Primò quidem requirebatur, ut Mediator gloriam, quam abstulerant peccata nostra, Deo restitueret, sed id nondum sufficiebat. Homines nondum tales, qui vel vellent vel possent cum Deo uniri, aut uniti in unione manere. Illi itaque prius de voluntate Dei informandi. Tum magis magisque sanctificandi. Dein potenter conservandi atque adversus hostes defendendi erant.*

VIII. *Ex his nunc fluit muneris Mediatorii functiones varias esse, quæ jam à multo tempore ad tres redigebantur, Propheticam, Sacerdotalem & Regiam.* Tot requirit status noster, quod ex dictis elucet. Tot Messiæ in vaticiniis, typis, implemento attribuuntur, sive seorsim, quod passim, sive conjunctim. Conjunguntur autem aliquando duæ, aliquando tres ex memoratis functionibus. Illô modô.

Con-

Conjungitur functio Prophetica & Regia Jes. IX, 6. David typus Messiæ Propheta & Rex unà erat. Conjungitur dein Prophetica & Sacerdotalis Hebr. III, 1. Conjungitur denique Sacerdotalis & Regia in Melchisedeco utroque honore claro, Christi figura. Hoc: Jes. LXI, 1-3. Messias ab unctione ibidem dictus proponitur *ut Propheta* Evangelium annunciaturus, *ut Sacerdos* lugentes consolaturus, *ut Rex* libertatem captivis proclamaturus. Dein Ps. CX. *Ut Rex*, sedet ad dextram Patris: *Ut Propheta*, mittit sceptrum roboris, quod Evangelium *ut Sacerdos* juratus ordinis Melchisedeciani Sacerdos est. Moses Sacerdos, Propheta, Rex erat, cui similis Messias esse debebat. De unaquaque functione ex professo nunc agendum erit.

IX. Et primò quidem de *Prophetica*, *quâ Jesus Christus omnem voluntatem Patris de salute hominis peccatoris revelavit eamque confirmavit*. Talem functionem ipsi competere tum ex nominibus, qualia sunt Propheta Deut. XVIII, 15. 18. Propheta Magnus Luc. VII, 16. Doctor à Deo missus Joh. III, 2. Doctor ad justitiam Joël II, 23. Λόγος. Chald. מימרא Joh. I, 1. Præceptor & testis nationum Es. LV, 4. Tum ex requisitis Prophetiarum, veluti Deo familiariter uti, voluntatem ejus absque defalsatione proponere, miraculis, vita sancta & morte subinde confirmare, constat.

X. *Qua-*

X. *Qualis functio Mediatorem nostrum decebat.* Quoniam enim natura in nobis ἄγνοια *ignorantia* rerum spiritualium, salutarium est, informandi eramus de via ad Deum perveniendi. Quam operam nobis nemo rectius præstare poterat, quàm is ipse, utpote qui Patris sapientia Prov. VIII, 1. qui ab æterno apud Patrem erat Joh. I. 1. qui itaque etiam nobis sapientia factus est 1. Cor. I, 30. & enarravit, quæ in sinu Patris audivit Joh. I, 18.

XI. *Functione hac jam defungi incipiebat sub V. Testamento, maximè Israëlitas ex Ægypto eductur us & edocturus. Præprimis tamen in N. Testamento ea defungebatur* Hebr. I, 1. II, 3. sub quo adimplebatur insigne Vaticinium Deut. XVIII, 15. 18. 19. cf. Act. III, 22.

XII. Ut λόγος *sermo*, qui ab æterno apud Deum, nulla revelatione indigebat: Ut Filius hominis à Patre, à se ipso informabatur atque à Spiritu sancto largissimè ungebatur Jes. LXI, 1. Joh. III, 34. Ps. XLV, 8. unde jam duodecennis cœlestis sapientiæ specimen cum audientium admiratione dabat Luc. II, 46. 47. Triginta annorum munus publicè auspicaturus cœlesti Patris voce & symbolicô Spiritus sancti descensu Propheta declarabatur Matth. III, 16. 17. qui talis ab omnibus agnosceretur. Raptus tamen in cœlum, in quo rudis informatus sit, nulla vel in Baptismi Historia mentio aut alibi.

Nec

Nec stare potest cum Hebr. IX, 12. aut typo Pontifice V. Testamenti.

XIII. *Naturam functionis Propheticæ clarius cognituri attendimus ad doctrinam propositam, dein modum, denique confirmationem.*

XIV. I. *Doctrina comprehendit Fidem & Mores.* Ratione Fidei docuit, quæ falsa Judæorum, Pharisæorum, Sadducæorum fides in capitibus de Messia, Justificatione, Legis sensu, Resurrectione &c. Docuit quoque, quæ vera, scil. quòd ipse promissus Messias vitam dans omni credenti: Quòd venerit in mundum ad ægrotos sanandum, infirmos corroborandum, Spiritu pauperes consolandum: Quòd lex spiritualiter exponenda, internam hominis sanctitatem poscat: Quòd futura sit Resurrectio mortuorum &c. Ratione Morum itidem pietatem larvatam, externam detexit, atque vitia grassantia gravi censuræ subjecit, præcepit verò cultum cordis internum, etiam externum, sed absque simulatione, abnegationem sui ipsius, imitationem, crucis tolerantiam, dilectionem tanquam infallibilem Evangelicorum notam, quæ cuncta non incommode continentur verbis: *Resipiscite & credite Evangelio.* Marc. I, 15.

XV. *Ex his nunc constat doctrinam Christi promissis constitisse* Es. LXI, 1. 2. *sed & præceptis* Joh. XIII, 34. XV, 10. quæ docebant pro-

promissiones illorum nonnisi esse, qui præceptis fidei & vitæ morem gerebant Joh. III, 36. XVII, 3. XV, 14.

XVI. *Constat porrò doctrinam Christi cum Mosaica convenire: Habere quoque quædam peculiaria.* Quoad prius: Eadem utrobique principia fidei & vitæ sunt: Eandem dilectionem Dei & proximi, etiam inimici, postulant, & per consequens alia quævis officia, quæ ex hac legis Epitome fluunt: Etiam Moses justitiam fidei tradebat Rom. X, 5. 6. Nec Christus se Mosi opponebat, sed ipsum vindicabat à falsis glossis, quod ex Matth. V, 21--45. speciatim v. 43. liquet, veniebat πληρῶσαι גמר ad plenè docendum legis postulata, quæ mutila proponebant Scribæ c. c. v. 17. Quoad posterius: Christus Mysteriis fidei longè majorem lucem accendit, veritates ex libris V. Testamenti conquirendas in unum congessit, implementum Vaticiniorum, Typorum monstravit. Totus in eo, ut spiritualem cultum erga Deum, dilectionem erga proximum, abnegationem sui ipsius, similiaque missis ceremonialibus & judicialibus inculcaret, officia hæc sæpiùs commendaret, propositô cœlesti præmiô, rariùs denuntiatâ maledictione, offerret quoque gratiam & vires obsequium præstandi aut neglectum in sanguine suo, præcedente verâ resipiscentiâ, remittendi, quæ verò in Mose nonnihil aliter se habent. Unde *Lex per Mosen data: Gratia*

& ve-

& veritas per Jesum Christum Joh. I, 17. dicitur.

XVII. II. *Doctrinam*, de qua hactenus, *proponebat indefessâ diligentiâ.* Omnem occasionem, ubicunque locorum, arripiebat voluntatem Patris tradendi, posthabitô quoque cibô Marc. III, 20. *Magnô dein zelô.* Quod putabat gloriæ divinæ refragari, graviter corripiebat Matth. XVI, 23. non sine periculo vitæ è medio tollebat c. XXI, 12. 13. *Magnanimâ quoque libertate.* Nam neminem extimescebat, nemini abblandiebatur, qui ejus mores ipsis hostibus noti exstiterunt Matth. XXII, 16. Luc. XI, 45. 46. *Auctoritate insuper summâ.* Prophetæ V. Testamenti necesse habebant dicere, *Ita locutus est Jehova.* Scribæ, qui in Gente Judaica optimi legis Interpretes habebantur, solebant dicere תנו רבנים *tradiderunt Magistri.* At Christus docebat ὡς ἐξουσίαν ἔχων Matth. VII, 29. dicens: Ἐγω λέγω ὑμῖν Matth. V, 22. &c. *Vi & efficaciâ invictâ.* Auditores percellebantur, laudabant Deum, hostes agnoscebant. *Nunquam sic locutus est homo, sicuti hic* Joh. VII, 46. confundebantur, obmutescebant Matth. XXII, 34. 46.

XVIII. III. *Quare verò tanta præconii vis & efficacia in Auditorum animis relicta, id arcessendum tum ab ipsa doctrina, tum à miraculis, quæ eam comitabantur, tum quoque à vita & morte Magni Prophetæ.*

XIX.

XIX. ℵ. *Quod doctrinam attinet* (a) *conveniebat illa cum Mose & Prophetis.* Horum verò divina habebatur. Hinc Salvator instituens discipulos, maximè disputans cum hostibus, veluti Sadducæis, testimoniis V. Testamenti ad probandum utebatur. Luc. XXIV, 44-47. Matth. XXII, 31. 32. (b) *Plena sanctitate, amore, & tota ad regnum Satanæ destruendum, Dei verò adstruendum.* Qualis itaque doctrina se ad attendentium conscientias probabat.

XX. ב. *Miracula, quæ patrabat, cum tali doctrina conjuncta divini muneris certissimum argumentum præbebant.* Quippe opera solius Dei sunt, edi solita, quando divina missio probanda erat, quod speciatim ex Historia Mosis Exod. IV, 1-5. Josuæ c. III, 7-14. liquet. Accedit quòd tanquam παραδόξων ἔργων ποιητὴς prædictus fuerit Es. XXXV, 4-7. Unde Christus Messiam se probaturus ad ea provocat, Matth. XI, 4. 5. Joh. X, 37. vultq; ut propterea in ipsum credamus Joh. V, 36. XX, 31.

XXI. *Quod clarius cognoscemus, quando perpendimus eorum veritatem, divinitatem, ingentem numerum, aliaque notanda. Veritas* patet tum ex operibus omnes naturæ vires superantibus, sive in se, uti est mortuorum resuscitatio, sive in modo consideratis, tum dein ex loco patrationis publico, præsentibus & intuentibus non amicis tantùm sed & hostibus

pluribus, tum quoque ex effectis permanentibus. Cui enim visus, auditus & vita restituebatur, postea videbat, audiebat, vivebat, tum denique ex ipsorum hostium testimonio, qui Messiam nostrum miracula patrasse negare non audent, causam licèt blasphemantes.

XXII. *Non solùm vera erant, sed & divina*, quod ipse Christus validissimè probabat Matth. XII, 24--30. Neque enim callidissimus Spiritus sibi ipsi adversatur. Ex historia dein abundè constat, quòd ante Christum Satanæ potestas longè major in orbem habitabilem fuerit, minor verò post eum, quod argumento est, adventasse eum, ut opera Diaboli solveret, doctrinam adeoque & miracula divina fuisse.

XXIII. *Ingens quoque numerus miraculorum in Historia Evangelica refertur, major tacetur* Joh. XX, 30. XXI, 25. Unde dixerant Judæi. *Si Christus venerit, an plura signa faciet quàm hic?* Joh. VII, 31. Miracula quippe patrata sunt (*a*) in Dæmonibus. (*b*) Hominibus, & his variis morbis laborantibus. (*c*) Bestiis. (*d*) Cœlo. (*e*) Terra. (*f*) Mari. (*g*) Aëre.

XXIV. *Notari tandem meretur de Christi miraculis, quod unicè bonitatem & gratiam ejus spiraverint, si duos casus exceperis. Dein quòd ex Majoribus Christi nemo miraculis inclytus narretur: Insuper quòd multo tempore*

ante

ante Christum nulla miracula patrata fuerint: Tandem quòd testimonium præbuerint, potentem esse Christum etiam ad spiritualia miracula, regenerationem, illuminationem, purgationem peccatorum &c. faciundum. Matth. VIII, 17.

XXV. 3. *Ad memorata accessit vitæ sanctitas & mors.* Quemadmodum de doctrinæ Auctoritate multum derogat is, qui malè vivit, nec necessitate poscente eam morte sua obsignat; ita vice versâ ei Auctoritatem conciliat, qui sanctè vivit, & à professione ejus nequidem morte absterretur. At vita Christi talis, qualis doctrina, sanctissima erga Deum, proximum, seipsum, absque reprehensione etiam hostium 2. Cor. V, 21. Joh. VIII, 46. Mortem ignominiosam subiturus eandem bonam confessionem profitebatur Joh. XVIII, 37. 1. Tim. VI, 13.

XXVI. Mediator quidem nos voluntatem Patris de salute adeunda edocere debebat, sed hoc nondum sufficiebat. Necesse insuper ut esset *Sacerdos, qui peccata nostra sacrificio expiaret, pro nobis apud Patrem intercederet, gratiam & sanctitatem nobis impetraret.* Qualis quoque prædictus Ps. CX, 4. & à Melchisedeco, Aarone præadumbratus erat, Hebr. VII, 1-4. IX, 7. 11. Hinc Jesus Christus in Epistola ad Hebræos toties ἱερεὺς, ἀρχιερεὺς ap-

pellatur, eique functiones Sacerdotales attribuuntur.

XXVII. *Prout verò Sacerdotes V. Testamenti certis conditionibus insignes poscebantur, ita quoque Sacerdos Novi Testamenti conditiones habet. Ex his quædam cum illis Sacerdotum Aaronicorum conveniunt: Aliæ non.*

XXVIII. *Non conveniunt*: Sacerdos V. Testamenti homo ex stemmate Aaronis oriundus requirebatur. At N. Test. ϰατὰ σάρϰα, secundum naturam humanam ex tribu Juda natus, Hebr. IX, 14. VII, 14. Dein Sacerdos V. T. absque juramento vocabatur. Sed noster sub N. T. μετ' ὁρϰωμοσίας *cum juramento* Hebr. VII, 20. 21. ut constaret & præstantia & immutabilitas Sacerdotii. Porrò Sacerdos V. Testamenti occupatus circa *legem* ἐντολῆς σαρϰιϰῆς, *præcepti carnalis*, veluti bestiarum &c. At Pontifex N. Testamenti circa spiritualia. Insuper Sacerdos V. Testamenti & victima, quæ bestia, differebant: At Jesus Christus Sacerdos & victima simul est, Hebr. IX, 14. Præterea Sacerdos V. Testamenti piacularia offerebat primò pro se, tum pro peccatis populi Hebr. VII, 27. Verùm N. Testamenti Sacerdos tantùm pro nostris peccatis. Denique Sacerdos V. Testamenti victimâ suâ nihil consummabat, peccata vi sanguinis taurorum & hircorum non tollebat, unde toties, singulis annis, mensibus, septi-

septimanis, imò diebus sacrificia repetenda erant Hebr. VII, 19. X, 4. 11. At Sacerdos N. Testamenti unica oblatione omnes, qui sanctificantur, consummavit atque conscientias mundat ab operibus mortuis Hebr. X, 14. IX, 14. Tandem Sacerdos V. Testamenti vitæ satur cum vita Sacerdotium deponebat: At N. Testamenti Sacerdotium in terris inchoavit, in cœlis verò perpetuat Hebr. IX, 24. VII, 26. Ultimò Sacerdos Aaronicus sacerdotali tantùm dignitate inclytus erat. At Christus & Sacerdos & Rex, Melchisedeco similis Hebr. VII, 1-4.

XXIX. *Quæ conveniunt ratione nominis, vocationis ad munus sacerdotale, consecrationis, administrationis, muneris, conjugii, jam supra* c. XVI. §. LXXVII. *in medium productæ sunt.* Hæ tamen convenientiæ certâ ratione disconveniunt, nam cuncta in Pontifice N. Testamenti modo excellentiori obtinent, atque in sensu spirituali.

XXX. *Plures quidem Sacerdotum Typicorum functiones erant, verùm notabiliores tres, offerre victimam, aromata incendere, populo benedicere. Ita quoque Pontificis N. Testamenti functiones tres constitui possunt, oblatio, intercessio, benedictio.*

XXXI. (α) *Quod oblationem attinet, investigandum* (1.) *quæ victima offerenda, &* (2.) *Cujus naturæ sit.*

XXXII. (1.) *Oblatio* Sacerdotum V. Testamenti *constabat* ex animali, quod verò minimè sufficiebat ad expiandum peccata, sed *Pontificis N. Testamenti ex corpore & anima sua. Christus tradidit* ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας *seipsum pro nobis oblationem & victimam Deo in odorem suavitatis* Eph. V, 2. cf. Tit. II, 14. Hebr. IX, 14. Alibi *anima* Es. LIII, 10. Matth. XX, 28. *Corpus* Christi 1. Petr. II, 24. victima dicitur. Et quidem immaculata, perfecta 1. Petr. I, 19. quæ Hierosolymis mactabatur, suspendebatur, cujusque sanguis ibi effundebatur, prout hæc in typo præfigurata erant. Hinc talis victima in oculis Dei pretiosa 1. Petr. I, 19. quod porrò inde patet, quoniam in corpore hoc habitat Deus Joh. I, 14. 1. Tim. III, 16. Sanguis est sanguis Filii Dei 1. Joh. I, 7. sanguis Dei Act. XX, 28. Non coacta se sistebat sed liberè, ex amore Patris & fidelium.

XXXIII. (2.) *Pretiosa hæc victima maximè piacularis est.* Quod inde constat (*a*) quoniam eodem nomine venit, *si posuerit animam suam* אשם *sacrificium pro reatu* Es. LIII, 10. περὶ ἁμαρτίας *sacrificium pro peccato* (sic enim à Lxx. חטאת verti solet cf. Hebr. X, 6. ex Ps. XL. 7.) *condemnavit peccatum in carne*, Rom. VIII, 3. cf. 2. Cor. V, 21. (*b*) Dein quia, quæ singulari modò in piacularibus obtinebant, in sacrificio Christi adimplentur scil. (1.) Piacularibus

bus peccata, pro quibus immolanda erant, imponebantur, (2.) Tum mactabantur, sanguis effundebatur, absque quo nulla ἄφεσις facta. (3.) Quorundam sanguis in Sanctissimum illatus ibique versus operculum propitiatorium sparsus erat. (4.) Quibus omnibus peractis dicuntur *mundare*, *sanctificare*, *expiare* Lev. XVI, 19. 20. Ita *Adonai* הפגיע בו את עון כלנו *in Messiam incurrere fecit omnium nostrûm peccata* Es. LIII, 6. quæ tamen non prius ablata censeri poterant quàm in morte ejus, sanguine fuso, Rom. V, 9. 10. Qui postea in cœlum inferebatur Hebr. IX, 7. 11. 12. 22. 24. atque ita purgat, sanctificat, expiat fideles peccatores, 1. Joh. I, 7. Hebr. XIII, 12. Dan. IX, 24.

XXXIV. *Exinde sequitur mortem Christi vicariam fuisse, satisfeciisse Deo ob peccata nostra irato, ut eapropter rursum cum illo reconciliati simus. Primò* id exigit sacrificiorum expiatoriorum ratio. Vices aliorum subibant, pœnas eorum commeritas ferebant. Ut Antitypus typo respondeat, necesse ut Christus, qui sacrificium expiatorium. (*vide etiam* Hebr. IX, 14. X, 10. Eph. V, 2.) aliorum pœnas susceperit. *Secundò*: Christus Deum peccatis nostris ad iram provocatum sanguinis sui effusione propitium, reconciliatum reddidisse dicitur, Rom. III, 25. V, 10. 2. Cor. V, 19. 21. 1. Joh. II, 2. IV, 10. *Tertiò* Christus quoque dicitur suscepisse peccata nostra 1. Petr.

II, 24. & hinc effecta eorum, morbos, dolores animi, corporis, mortem, maledictionem nostram Es. LIII, 4. 5. 1. Petr. III, 18. Gal. III, 13. ut nos haberi queamus sanati 1. Petr. II, 24. cum illo mortui, unà vivificati 2. Cor. V, 15. Rom. VI, 4. Eph. II, 5, benedicti Gal. III, 14. *Quarto* substitutionem clarè probant voculæ ὑπὲρ, ἀντὶ, ἀνὶ, Rom. V, 6. 7. Matth. XX, 28. XXVI, 28. Hæc quippe est vocularum significatio. Hanc significationem volunt circumstantiæ 2. Cor. V, 15. maximè quòd Christus ὑπὲρ ἡμῶν *pro nobis* mortuus dicitur, eâ ratione, quâ de alio nullo prædicari potest 1. Cor. I, 13. At de alio dici potest, quod ad ædificationem fidelium mortuus fuerit Coloss. I, 24. *Quintò* attribuitur Christo emtio, redemtio eaque plena, datô magnô pretiô æquivalente pro debito, quod constat ex vocabulis כפר, פדה ἀγοράζειν, ἐξαγοράζειν, λυτροῦν, ἀπολυτρῶν, ἀντίλυτρον. Job. XXXIII, 24. 1. Cor. VI, 20. Rom. III, 24. 25. 1. Petr. I 18. 19. 1. Tim. II, 5. 6. *Ultimò*: Negatâ morte Christi vicariâ, negatur officium ejus sacerdotale in his terris inchoatum juxta Eph. V, 2. 1. Petr. II, 24. Matth. XXVI, 28. atque cum Prophetico & Regio confunditur. Negatur quoque alius finis mortis Christi, quàm Martyrum, quod falsum.

XXXV. *Ut verò mors Christi vicaria rectius intelligatur, probè tenendum est, eam à Patre, ob inhærentem dignitatem, quâ gloria ejus*

ejus plenè demonstrata est, constitutam admissamque fuisse. (1.) Qui enim obedientiam præstitit, is θεάνθρωπος. (2.) Non jure aliquo obligatus erat, ceu qui Patri æqualis Philipp. II, 6. Attamen seipsum exinanivit, gloriam divinam occultavit, contemtum, dolores acutissimos corporis, animæ sustinuit, ut dicere necesse habuerit *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti.* (3.) Hâc obedientiâ & passione præceptum, εὐδοκίαν Patris implevit, eum glorificavit Joh. XVII, 1. 4. 5. Ps. XL, 7. 10. (4.) Nam id egit, passus est, quod nos agere, pati debebamus, *vide thesin anteced.* (5.) Promeritus itaque est, ut rursum à Patre glorificaretur Joh. XVII, 4. 5. atque peculium haberet, cui vitam dare potest Joh. XVII, 2. (6.) Quod speciatim inferunt loca, veluti Philipp. II, 9. *Ideo Deus eum superexaltavit*, quoniam is se humiliaverat. Hebr. II, 10. *Decebat enim Deum, propter quem omnia & per quem omnia, multos filios in gloriam introducendo Principem salutis eorum propter passiones consummare* E. si non consummasset, non decuisset Deum. Jes. XLIX, 4. Messias ait sibi esse propter servitium suum משפט & פעלה *judicium & operæ pretium apud Jehovam.*

XXXVI. (β) *Quemadmodum Pontifex V. Testamenti die expiationis immolatione factâ Sanctissimum cum sanguine intravit, bonum Israelitarum promoturus, ita quoque*

Christus post mortem cœlum ingressus est intercessurus, sicuti testantur loca Scripturæ, Hebr. IX, 24. VII, 25. 1. Joh. II, 1. Rom. VIII, 34. Hanc functionem requirunt tum Satanæ accusatio Apoc. XII, 10. tum peccata nostra, 1. Joh. II, 1. 2.

XXXVII. *Fundamentam intercessionis hujus sanguis* Christi est Hebr. IX, 24. 1. Joh. II, 1. 2. Quoniam enim hunc ex voluntate Patris pro peccatis populi sui fudit, Pater filii intercessionem meritò magni æstimat, gratiam facit illis, pro quibus intercedit & velut monstrat passiones suas pro illis exantlatas. Unde sequitur, neminem, pro quo coram Patre Mediator rogat, periturum Rom. VIII, 34. Hebr. XII, 24. Sequitur quoque, intercessionem non humilem, verùm gloriosam esse, quod inde insuper constat, quoniam peragitur à sedente ad dextram Patris Rom. VIII, 34.

XXXVIII. (γ) *Ex morte Christi vicaria & intercessione nunc fluit benedictio ejusdem, quâ benedicit populo suo, bona acquisita distribuendo.* Bona hæc sunt externa, temporalia, maximè interna & spiritualia. *Quoad illa*: Nam Pater cum filio πάντα *omnia* nobis donat Rom. VIII, 32. cf. Matth. VI, 33. 1. Tim. IV, 8. Legis & Evangelii præconium, quatenus hominum ministerio peragitur atque ad externa bona pertinet, ortum suum quoque trahit à morte Christi Matth. XXVIII, 18-f. *Quoad hæc:*

hæc: Spiritus S. ejusque salutares operationes Act. II, 33. Joh. XIV, 16. 17. redemtio, remissio peccatorum, Eph. I, 7. vita æterna, Joh. XIV, 2. sunt fructus mortis Christi.

XXXIX. *Partes muneris sacerdotalis nunc vidimus. Videndum insuper, pro quo illæ præstitæ sint. Antequam sententiam nostram ex Sacris adstruimus, tenendum est quòd oblatio, intercessio, benedictio sint partes unius muneris*, adeoq; quibus benedicit Pontifex, pro illis intercedit, & pro quibus intercedit, pro illis etiam victimam obtulit, quod tum ex naturali partium memoratarum nexu, tum quoque typo V. Testamenti patet. Neque enim Aaron pro aliis victimam obtulit & pro aliis intercessit. *Tenendum porrò quòd oblatio sit prima, præcipua & fundamentum reliquarum partium*: Unde sequitur quòd ad eos, ad quos oblatio pertinet, etiam intercessio & benedictio pertineat. *Tandem tenendum quòd illis, pro quibus Filius se in mortem tradidit, minimùm tanta gratia annuntianda fuerit.* Quis moreretur pro alio, nec tamen indicaret ei amorem suum. Maximè quando aliàs mors vicaria ipsum non juvat. Nemo sapiens, benignus pretium redemtionis pro captivo solvit, intermittit autem ad captivum dicere. Egredere ex captivitate tua, sequere me, nam λύτρον expendi.

XL. *His claris certisque, ut judico, præmissis,*

missis, affirmo Christum partes muneris sacerdotales, speciatim oblationem sui ipsius pro electis, fidelibus partim peregisse partim etiamnum peragere. Rationes sunt. I. Benedictio, uti Spiritus S., remissio peccatorum, fides, vita æterna, horum tantùm est Eph. I, 3-11. Rom. VIII, 9. Ergo eorumdem oblatio & intercessio. II. Intercessio quoque pro fidelibus tantùm, quod patet ex Joh. XVII, 9. *Non rogo pro mundo sed pro iis, quos dedisti mihi.* & v. 20. *Non pro his tantùm rogo sed & pro credituris propter sermonem tuum in me.* E. pro iisdem oblatio facta est. Atque hoc tantò magis, quoniam oblatio est prima, præcipua atque fundamentum reliquarum functionum sacerdotalium. Quod si igitur hæc pro omnibus, tum etiam intercessio & benedictio pro omnibus. At falsum consequens. III. Nequidem omnibus & singulis munus hoc sacerdotale annuntiatum est, quod ex Historia abunde constat, aut etiam annuntiari debuit Act. XIV, 16. Matth. X, 5. Act. XVI, 6. 7. E. multò minus pro omnibus & singulis susceptum illud erat. Incredibile enim videtur, tantum fuisse Dei amorem, ut filium suum pro omnibus & singulis in mortem tradiderit, non verò omnes & singulos longè minori, qui tamen ad priori illo fruendum poscebatur, prosecutum fuisse scil. annuntiatione mortis vicariæ. IV. Accedit quod mors Christi ad certum hominum

num genus cum manifesta exclusione cæterorum restringatur, veluti quando dicitur pro *ovibus suis* Joh. X, 15. *Ecclesiâ suâ* Act. XX, 28. *populo suo* Matth. I, 21. *multis* Matth. XXVI, 28. mortuus. Vel an omnes & singuli sunt *oves*, *Ecclesia*, *populus Christi*? Minimé. V. Pro quibus Christus mortuus, illos maximo amore prosecutus est Joh. XV, 13. Rom. V, 7. At hoc de omnibus & singulis dici nequit. Aut dicendum, Judam pariter amatum fuisse ac amabatur Petrus. VI. Supra adstruebamus mortem Christi vicariam fuisse, sufficiens lytrum pro illis, pro quibus mortuus, solutum fuisse. Si verò pro omnibus & singulis mortuus, tum quoque omnes & singuli vitam haberent, captivitate egrederentur, quod verò ita se non habet.

XLI. Quando verò Scriptura alicubi ait, quòd Christus *pro omnibus aut mundo* mortuus fuerit, nexu circumstantiisque pensitatis mox patebit, id non de omnibus & singulis hominibus explicandum esse, sed universitate fidelium absque discrimine gentis, sexûs, conditionis. Nec propriè perire potest is, pro quo Christus mortuus est Joh. X, 28. 1. Petr. I, 3-6. Attamen alius, quantum penes ipsum, dici potest eum perdere. Nam revera perdidisset, nisi gratia & potentia Dei ipsum conservasset. Rom. XIV, 15. vide consimilem phrasin 1. Joh. I, 10.

XLII.

XLII. *Quamvis Christus pro solis fidelibus munus sacerdotale susceperit, infideles tamen inter Christianos minimè excusari queunt ob infidelitatem.* Absconditum quippe est apud Dominum Deum nostrum, quinam illi sunt, pro quibus Christus mortuus est. Nostrum est pœnitentiam agere & præcepta Christi observare, qui omnes indubitato scire possunt, se ad Christi peculium pertinere. Qui verò susque deque habita omni institutione, monela, in peccatis pergunt, se unicè fabros infelicitatis agnoscere tenentur. Nam certo tenendum, (licet omnem modum tradere nequeamus) decreta Dei justa, æqua esse, illis omnibusfructus mortis Christi conferri, qui dignè Evangelio ambulant, sed negari illis, qui secundum carnem vivunt.

XLIII. *Mediator Jesus Christus* non solùm Propheta & Sacerdos, sed *etiam Rex est atque esse debet.* (1.) Nam ut Rex præadumbrabatur à Melchisedeco Hebr. VII, 1-4. Davide Hos. III, 5. atque promittebatur Gen. XLIX, 10. Ps. II. *toto.* Es. IX, 6. Zach. IX, 9. cf. Matth. XXI, 5. Hos. III, 5. (2.) Ut Rex quoque præstabatur, quod tum Angelus Luc. I, 32. 33. tum ipse de se coram Pilato testabatur Joh. XVIII, 37. (3.) Ut Rex maximè in Historia Apostolica declaratur, ceu quæ refert Christum, postquam ei omnis potestas in cœlo & terra data erat, Spiritum S. ex cœlo misisse, adeo-

adeoque se Dominum cœli comprobasse, quare Petrus ait: *Certò igitur sciat omnis domus Israel quòd Deus eum & Dominum & Christum fecerit*, declaraverit, *scil. hunc Jesum, quem vos crucifixistis* Act. II, 36. cf. Act. V, 31. Eph. I, 20--f. Phil. II, 9-12. 1. Cor. XV, 25. 26. (4.) Hoc ipsum comprobant tot tituli regii, qui ipsi ἐν δυνάμει attribuuntur. Vocatur quippe *Rex*, Hos. III, 5. *Rex Regum & Dominus Dominorum* Apoc. XIX, 16. &c. (5.) Tandem alia cuncta regalia veluti unctio, inauguratio, thronus, sceptrum, Leges, potestas judicialis, Ministri, Subditi, hostes &c.

XLIV. *Christus quidem etiam Rex jure creationis, conservationis, gubernationis, quemadmodum Pater & Spiritus S. Sed sub hac χίσει propriè hôc locô non occurrit, verùm quatenus talis est jure redemtionis.* Is optimo titulo Rex habetur, qui populum miserrima & injusta servitute pressum ex pacto ejus, cujus antea erat, magnô labore & sanguinis effusione liberat atque liberatum regit, eumque adversus hostes defendit. Atqui Christus tali modo Rex est. Quod liquet ex fœdere filii cum Patre: Liquet ex executione. Unde quando regia Christi potestas memoratur, causa obedientia & mors ejus traditur Philipp. II, 6-12. Colos. I, 13. 14. Jes. LIII, 10. Matth. XXVIII, 18. & populus tanquam liberatus sistitur Matth. I, 21. Tit. II, 14.

XLV.

XLV. *Quo vero regni Christi naturam intelligamus, tenendum, illud non terrestre esse.* Hinc jam olim promittebatur *Rex pauper & egenus* Zach. IX, 9. sine pompa, contemtus Jes. LIII, 2. 3. Talis quoque manifestatus absque divitiis, satellitio, potestate, quod ex Historia vitæ ejus elucet. Ipse accusatus de affectato regno terrestri confitetur *Regnum meum non est de hoc mundo* Joh. XVIII, 36. cf. Luc. XVII, 20. Rom. XIV, 17.

XLVI. *Esse verò spirituale, cœleste* probant diserta Scripturæ loca Rom. XIV, 17. *Regnum Dei est justitia & pax & gaudium Spiritus S.* Joh. XVIII, 37. *Ego ad hoc* (ut Rex essem) *natus sum atque in hunc finem in mundum veni, ut veritati testimonium perhiberem*: ut & illa, in quibus *regnum cœlorum* sive *Dei* appellatur. Probant cuncta, quæ ad hoc Regnum pertinent: Pertinent autem א. ipse Rex *Dominus ex cœlo* 1. Cor. XV, 47. unctus oleo spirituali Ps. XLV, 7. 8. Es. LXI, 1-3. cujus thronus in cœlo ad dextram Patris Ps. CX, 1. Hebr. I, 3. Col. III, 1. ג. Dein subditi qui *ex veritate* sunt Joh. XVIII, 37. seipsos abnegant, crucem ferunt atque Christum sequuntur Matth. XVI, 24. ג. Insuper modus administrationis. Christus regnum administrat sceptro, quod verò Evangelium Ps. CX, 2. Leges dat itidem spirituales Rom. VII, 14. Ministros Spiritu S. actos ablegat 2. Petr. I, 21.

Act.

Act. XX, 28. Subditorum cogitata, voluntatem, affectus, corpus spiritui obsecundans regit. Largitur quoque bona spiritualia, justitiam, pacem, gaudium Spiritûs S. Rom. XIV, 17. ¶ Tandem hostes: *Non est nobis lucta adversus sanguinem & carnem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus imperatores mundi tenebricosi seculi hujus, adversus Spiritus malos*, Eph. VI, 12. qui quoque spiritualibus armis debellantur c. c. v. 13-19. 2. Cor. X, 4.

XLVII. *Regna mundi, quæ glorioſissima, commendari solent ab amplitudine, duratione, successu. Omnium glorioſissimum hoc Christi Regnum, ceu quod ampliſſimum, æternum est & alta pace fruitur hostibus cunctis subjugatis.*

XLVIII. *Ampliſſimum est.* Hoc enim regno non solùm comprehenduntur (1.) omnes fideles ceu quorum caput est Eph. I, 22. 23. (quamvis hi maximè) sed (2.) etiam infideles, quos, quia nolunt ut super illos regnet, interimit Luc. XIX, 27. cf. Ps. II, 9. (3.) Insuper Angeli boni Eph. I, 20. 21. Hebr. I, 6. 7. jussa tanti Regis exspectantes. (4.) Angeli quoque mali, quorum Ministerio Christus utitur ad humiliandum suos 2. Cor. XII, 7. ad torquendum peccatores 1. Cor. V, 5. (5.) Cuncta alia cœlum, terra, infernus & quæ in iis Matth. XXVIII, 18. Phil. II, 10. *Omnia subjecit*

jecit pedibus ejus: Dum verò omnia ei subjecit, nihil omisit, quod ei non sit subjectum, Hebr. II, 8.

XLIX. *Æternum dein.* Pater filio regnum ab æterno sub certa conditione committebat. Acceptabat illud filius atque jam sub V. Testamento aliquatenus fideles regebat sed modo longè nobiliori, perfectiori sub N. Testamento & tum quidem maximè, quando lytro pro populo suo soluto resurrexit, in cœlum ascendit, considetque ad dextram Patris, atque ex cœlo Spiritum S. effudit, quô perfusi Apostoli Judæos, Samaritanos, Gentes ad regnum ejus vocabant. Matth. XXVIII, 18. Phil. II, 7-12. Ps. CX, 1. Act. II, 36. Nec desinet regnare in omne ævum Luc. I, 33. Ps. XLV, 7. Es. IX, 5. quamvis modus regiminis alius longè futurus. post hanc vitam, tum regnaturus cum Patre 1. Cor. XV, 25-29.

L. *Denique victoriosum.* Cum multis magnisque hostibus à mundo condito, maximè à manifestatione ejus in carne usque ad consummationem præsentis mundi certandum erat atque etiamnum est, quos tamen omnes partim superavit, partim certò superabit victor Jesus Christus. *Mundus* tandem peribit, 1. Joh. II, 17. Omnia *regna mundi* consumentur à regno Messiæ Dan. II, 44. *Anti-Christum* perdet Spiritu oris sui 2. Thess. II, 8. *Caput Serpentis* contritum est, Gen. III, 15. & brevi planè

planè conteretur sub pedibus nostris Rom. XVI, 20. Etiam ultimus hostis *mors* abolebitur 1. Cor. XV, 26. Quibus hostibus subjugatis regnum Christi longè glorioſissimum erit: *Deus erit omnia in omnibus* 1. Cor. XV, 28.

LI. Atque ita pertractavimus functiones Propheticam, Sacerdotalem, Regiam muneris mediatorii. *Ex pertractatione* autem facilè *constare potest Mediatorem hunc esse debere* θεάνθρωπον. (1.) Nam tantum illud opus est, ut ei ferendo perducendoque nudus homo non sufficiens sit, quale illud glorificare Deum ut cum homine peccatore rursum reconcilietur. (2.) Dein functiones memoratæ ea in se continent, quæ naturam humanam & divinam poscunt. Humanam: veluti verbum Dei de salute nostra annuntiare, mortem pro peccatoribus subire. Divinam: verbum de salute in sinu Patris audire, id miraculis propriâ virtute patratis confirmare, id quoque eloqui propriâ potestate *Ego dico*. Dein mortem superare, sanguinem inferre in cœlum. Tandem populum per totum terrarum orbem dispersum absque externa vi colligere, conservare, defendere adversus potentissimos hostes. (3.) Loca quoque Scripturæ ad utramque naturam reconciliationem per Christum factam referunt. Act. XX, 28. 1. Cor. II, 8. Hebr. IX, 14. 1. Joh. I, 7.

LII. *Omnibus his absolutis, quæ dicenda*

erant de persona, statibus & officio Mediatorio Jesu Christi, restat ut probemus illum ipsum esse Messiam, quem Literæ V. Testamenti toties promiserant. Quod nunc sine magno labore fieri potest superioribus præmissis. Messias prædicebatur Deus & homo, homo oriundus ex Virgine, semine Abrahæ, tribu Judæ, familia Davidis eaque humiliata, oppido Bethlehem: Prædicebatur sub forma servi, contemtus, inops, moriturus, post mortem resurrecturus, in cœlum ascensurus, ad dextram Dei sessurus: Prædicebatur porró ut Propheta Magnus, miraculis clarus, sanctus: Prædicebatur insuper ut victima juxta ac Pontifex. Prædicebatur tandem ut Rex regnaturus modo spirituali, quæ verò cuncta in Jesu Christo adimpleta esse ostendimus. Hoc ipsum confirmatur, quoniam cuncta signa, quæ Messiæ adventum comitari & subsequi debebant, jam præstita sunt. Quando enim Messias manifestandus erat, tum adhuc tribus Juda à reliquis distincta atque potestate aliquâ insignis esse debebat juxta Gen. XLIX, 10. Requirebatur quoque, ut Templum secundum nondum eversum Malach. III, 1. ceu cujus præ primo major gloria unicè in Messiæ adventu sub illo ostendi potest Hagg. II, 7-10. Nec solùm Templum stare debebat, sed etiam urbs Hierosolymitana ac cultus sacrificiorum & fertorum Dan. IX, 24-f. Lxx dein septimanæ, quarum ibidem men-

mentionem facit Daniel, ad tempora Messiæ pertingebant. Tandem Messiâ manifestatô Gentes idololatriam suam relicturas, illi obsequium præstituras esse à Prophetis prædictum erat Gen. XLIX, 10. Es. II, 2. 3. At nunc Juda à reliquis tribubus dignosci nequit, sine Rege & Principe vivit, Templum secundum eversum, urbs Hierosolymitana desolata, sacrificia & ferta abrogata, Lxx septimanæ sive 490. anni jam dudum elapsi sunt, & Gentes legem ac Prophetas tanquam fidei & vitæ normam venerantur. Judæi, quorum cordatiores loca allegata ad Messiam pertinere non negant, ipsi fatentur neminem ex gente sua esse, in quem prædicata quadrent. Christiani verò producunt talem docentque singula Jesu filio Mariæ apprimè convenire. Imò arbitrantur plura Majorum suorum de Salvatore judicia, speciatim qualia prostant in tr. סנהדרין *cap.* חלק hanc sententiam egregiè confirmatam dare.

CAPUT XXII.
DE
APPLICATIONE BENEFICIORUM CHRISTI IN GENERE.

Σύνοψις.

Beneficia, quæ Christus sanguine suo acquisivit, applicanda erant, utpo-

utpote applicatio acquisitionis scopus & finis. §. I.

Quò verò applicatio rectè intelligatur, cognoscendus primò venit hominis status. Hic, sive in genere sive in specie consideretur, corruptus est, licet in variis varii corruptionis gradus inveniantur. §. II. III. IV.

Unde sequitur hominem ex se ad salutem consequendum, communionem cum Deo quærendum, inveniendum inidoneum esse. §. V.

Quare secundò notandæ veniunt Dei circa corruptum hominem gratiosæ actiones. §. VI.

Convictio de corruptione, sanatio, conformatio ejus cum imagine Divina. §. VII.

In hunc finem præter lucem naturæ & continuam bonorum largitionem. §. VIII.

Dat verbum Evangelicum. §. IX.

Quod solum nondum sufficit. §. X.

Sed & Spiritum suum, cujus illuminationi mali non credunt, resistunt. §. XI.

Sed boni eam admittunt, unde lux major, & vires majores in iis exeruntur. §. XII.

Quæ spiritûs operatio specialis, omnipotens & efficacissima est. §. XIII.

Sed simul mira, ineffabilis. §. XIV.

Subjectum hujus operationis sunt præcogniti ex Judæis & Gentibus. §. XV.

Ex

Ex dictis constat memoratas Dei actiones gratiosas esse, atque adeò divinæ gratiæ initium, progressum & finem salutis nostræ adscribendum esse. §. XVI.

Ob meritum Jesu Christi. §. XVII.

Tertiò considerandi sunt homines, quales se præbent erga memoratas Dei actiones. §. XVIII.

Et quidem infideles variò modò verbum Evangelii rejiciunt, illuminationi, convictioni Spiritûs S. resistunt XIX. XX.

Fideles considerantur vel ante conversionem, quando nonnulla illis à gratioso Numine conferuntur, ut eos excitent, futuræ conversioni inserviant. §. XXI. XXII.

Vel in conversione, quâ vitâ spirituali donantur. §. XXIII.

Hæc verò conversio est opus solius Dei. §. XXIV.

Vel post conversionem, quando vita eorum spiritualis semper crescit, major lux, majus studium sanctitatis oritur. §. XXV.

§. I.

HActenus beneficia ab æterno destinata, in tempore verò obedientia & morte Magni Salvatoris parta, contemplati sumus. Nunc verò cotemplaturi applicationem eorum in hominibus, utpote quæ destinationis & impetrationis scopus finisque. Quid enim beneficium

cium destinatum acquisitumque ab alio pro alio, nisi huic applicetur? Dein passim promissa est bonorum appropriatio, Ezech. XXXVI, 25-30. & phrasi toties occurrente, *Ero Deus tuus.* Egregiè quoque adumbrata est veluti in sanatione leprosi, qui non prius purus declarabatur quàm aquâ sanguineque aspersô Lev. XIV, 6. 7. Sic qui spirituali lepra laborat, mundus non est priusquam conscientia ejus sanguine & aqua Jesu Christi aspersa. Ps. LI, 9. 1. Petr. I, 2. Hebr. IX, 13. 14. X, 22. Porrò inde confirmatur, quoniam beneficia rebus accomparantur nullum usum præbentibus, nisi applicentur. Accomparantur convivio Ps. XXII, 27. cibo, potui Joh. VI, 53. Tandem idem S. Cœna probat, ceu in qua Christus symbolicè applicandus sistitur.

II. Applicationis naturam clarius cognituri attendimus א. ad statum, in quo homo, in quem conferenda sunt beneficia, versatur. ב. Tum ad actiones Dei in applicando ut & media, quibus utitur. ג. Rursum hominem consideraturi sumus, quomodo is se habeat ad operationes Dei.

III. א. *Hominis statum quod attinet, potest ille considerari vel in genere vel in specie. In genere*: Qualis scil. in omnibus ex naturali generatione est. Omnibus deest imago Dei, in qua Adam conditus erat. Hinc omnes naturâ in rebus spiritualibus obtenebrati, per consequens

quens spiritualia non amant, æstimant, nulla eorum cognoscendorum, possidendorum cupiditate feruntur. Attamen omnibus inest facultas percipiendi, judicandi, volendi, nec facultas tantùm sed omnibus quoque Deus notitiam sui & voluntatis suæ, actionum honestarum, turpium indidit. Quia verò ex carne carnales, hinc fit ut carnaliter h. e. malè de rebus spiritualibus judicent.

IV. *In specie.* Status hic corruptus, qui naturâ omnibus inest, varios gradus admittit. Nonnulli magis corrupti, nonnulli minus, prout vel luce naturali usi sunt vel abusi. Sic institutio, educatio, imitatio, conversatio, tot alia corruptionem augent vel minuunt.

V. Ex dictis, quæ supra deducebamus, constat talem esse hominis naturâ statum, ut ex se, propriis viribus, ad salutem consequendum, communionem cum Deo quærendum, inveniendum, inidoneus sit.

VI. ב. Quare necesse est, ut, si homo ex miseria hac emergere debeat, Deus ipsi auxilio sit, impedimenta cuncta removeat.

VII. Et quidem necesse, ut primò convincatur de corruptione sua, de salute in Christo Jesu quærenda. Tum quoque, ut corruptionem illam magis magisque minuere, tandem tollere, cum Deo uniri, in studio veritatis & sanctitatis conformari velit, valeat.

VIII. Ad quem finem obtinendum sapientissimum Numen ea adhibet media, quæ sufficere queunt. Non sufficit lux naturæ aut continua bonorum suppeditatio, (licet etiam hæc certâ ratione hominem ad Deum invitent, alliciant,) sicuti constat tum ex corrupto hominum statu, tum Gentium historia, tum quoque Mysterio salutis in Christo Jesu coram oculis hominum naturalium abscondito:

IX. Ad hæc accedere debet Ministerium Evangelii, tradens corruptionem originariam, acquisitam liberationem ex ea in sanguine Jesu Christi resipiscentibus & credentibus Joh. XVII, 3. Rom. X, 9. 10. Marc. I, 15. Quod patet tum ex viis Dei ordinariis. Ubicunque voluit, ut populus aliquis à potestate satanæ ad Deum perduceretur, ad eum quoque Evangelium suum misit. Tum ex locis Scripturæ Rom. X, 14. *Quomodo credent, de quo non audiverunt?* 2. Thess. II, 14. *Vocavit* Deus *vos per Evangelium nostrum ad consecutionem salutis*, cf. Rom. I, 16. 2. Tim. III, 15. Mitto afflictiones, morbos, aliaque, quæ subinde à Deo immitti solent ad corruptionem cognoscendum & gratiam Dei avidius desiderandum.

X. Sed quamvis verbum sit ordinarium externum resipiscentiæ & fidei plantandæ medium, attamen per se non sufficit. Quippe homo naturalis non capit, quæ sunt Spiritûs Dei

1. Cor.

1. Cor. II, 14. Ipsi præcones cor mutare nequeunt. Tantùm rigant, plantant. 1. Cor. III, 7.

XI. Itaque cum Evangelio conjuncta sit oportet Spiritûs S. operatio, quâ per verbum animis auditorum veritates persuasas certasq; reddit, eos de peccato & officiis erga Deum & proximum agendis convincit Jer. XXIII, 29. Hebr. IV, 12. Joh. XVI, 8. 2. Tim. III, 16. Hebr. VI, 4. 5. 6. Accidit verò, ut mali huic Spiritûs S. operationi resistant, tenebras præ luce, impietatem præ pietate eligant Act. VII, 51. Eph. IV, 30. additô quoque convitiô Matth. XII, 31. 32. quorum sors longè miserrima, qui obicem ponunt ulteriori operationi, atque gravissima Dei judicia sibi accersunt l. c. quorum obfirmantur corda, excœcantur oculi Jes. VI, 10. Joh. XI, 37--41.

XII. In obedientibus, bonis altius assurgit hæc Spiritûs S. operatio. Lux major accenditur Matth. XIII, 12. quâ Mysteria regni cœlorum clarè intelliguntur v. 11. Vis quoque major exeritur, quâ corda naturali & acquisita pravitate præputiata circumciduntur Deut. XXX, 2. 6. aperiuntur, ut attendere possint ad ea, quæ Deus in verbo proponit Act. XVI, 14. ut in corde tanquam agro bono semen projectum recipiant, fructus ferant Matth. XIII, 23.

XIII. Operatio hæc non communis sed specia-

ſpecialis, omnipotens atque efficax eſt. Neque enim exeritur in omnibus, qui verbum Dei audiunt, aut à Spiritu S. illuminantur Matth. XIII, 11. 19-23. Eph. I, 17. 18. Quanta verò vis Dei impendatur, inde liquet, quando ab Apoſtolo *Virtus, virtus magna & quidem excellens, efficacia roboris virium, quas exeruit in Chriſto excitans eum è mortuis* Eph. I, 19. 20. dicitur. Præterea excitatio è morte Eph. II, 6. creatio lucis 2. Cor. IV, 6. regeneratio 1. Petr. I, 3. aliisque ejusmodi nominibus appellatur. Unde porrò fluit quòd talis operatio ſucceſſu ſuo nunquam deſtituatur. Quemadmodum in creatione ad vocem Creatoris ſe ſiſtebant quæ non erant, ſic in ſecunda creatione, unde hæc cum illa non ſemel confertur, 2. Cor. IV, 6. *Dabo vobis cor novum & Spiritum novum indam vobis, amovebo cor lapideum è carne veſtra & dabo vobis cor carneum: Spiritum meum indam vobis, & faciam ut in ſtatutis meis ambuletis, judicia mea ſervetis & faciatis* Ezech. XXXVI, 26. 27.

XIV. Mira admodum eſt hæc Spiritûs S. operatio, ut nemo ejus modum, qui in circumſtantiis variare videtur, plenè intelligat Joh. III, 3-13. Novimus quidem Dei opus eſſe, ſed modum operationis, quem Deus communiter in actionibus ſuis abſcondit, ignoramus. Diſtinguendum venit initium à progreſſu. In initio,

initio, quando vita spiritualis inditur, homo patienti similis; Sed in progressu agenti vel cooperanti virtute vitæ collatæ. Eph. I, 1-11. Ezech. XXXVI, 25-28. Notandum porrò quòd quamvis tanto robore in fideli operetur Deus, actionem ita instituat ut ex nolente & ad tempus reluctante volens imò currens reddatur Jer. XX, 7. Cant. 1, 4. quippe carnis ratiocinationes fortiter refutat, veritatum nexum clarissimè docet, atque ita voluntatem flectit.

XV. Illi, in quibus Spiritus S. tali modo operatur, sunt ab æterno prægogniti, Rom. VIII, 28. 30. ex Judæis & Gentibus IX, 23. 24. non omnes & singuli l. c.

XVI. Ex dictis abundè constat omne hoc, quod circa fideles agit Deus, gratuitum esse. Neque enim naturalis hominum status quidquam huc tribuit aut Deum ad ita operandum movet. Gratiâ ejus prædicatur Evangelium. Gratiâ ejus operatur Spiritus S. in electis, Tit. III, 5. 6. Gratiâ ejus illuminamur Eph. I, 17. 18. 1. Cor. I, 4. 5. 6. credimus, sanctificamur, Phil. I, 29. 1. Cor. I, 30. Hebr. XIII, 20. 1. Thess. V, 23. salvamur Eph. II, 8. 9. Quare omnis gloriatio in causa salutis homini præclusa est.

XVII. Hanc verò gratiam promeritus est Jesus Christus. Nisi enim hic mortem obiisset, nullus

nullus gratiæ divinæ locus Act. IV, 12. Rom. V, 10. Quia verò obiit, cum eo omnia donat Rom. VIII, 32.

XVIII. 3. Diximus de Dei actionibus in applicatione salutis. Dicendum nunc quoque, qualem se homo erga eas præbeat. Hic vel infidelis considerari potest, vel fidelis.

XIX. Infidelis non unius speciei datur. Est qui Verbum Evangelii, quod ipsi proponitur, audire non vult, mox rejicit, ceu quod præconceptis opinionibus adversatur, aut saltem nullâ adhibitâ diligentiâ audit, unde nullam meditationem in corde ejus excitat. Est dein, qui illud audit quidem atque etiam animo tenet, at quando reperit refragari curis & cupiditatibus mundi, has præfert, unde verbum rursum suffocatur. Est insuper, qui pellectus bonis, quæ Evangelio insunt, ad aliquod tempus constans in ejus professione manet, verùm quando tristia fata manent Evangelii professionem, tum eam mutat. Est tandem qui veritatem Evangelicam Spiritûs S. illuminatione inspexit, docuit, virtutes vel ipse patravit aut patratas vidit, qui tamen illi contrariatur, eum convitiatur.

XX. Tales infidelium classes, imò aliæ plures ex Historia omnis temporis notæ sunt. Notæ quoque tum ex Parabola Christi Matth. XIII, 4-8. 19-23. tum ex aliis Scripturæ locis Matth. VII,

VII, 21. 22. Act. XIII, 46. Hebr. VI, 4. 5. X, 26. 29. Quæ omnes non habent quod accusent, nisi seipsas, propriam inobedientiam, abusum mediorum, quæ ipsis Deus largitus est.

XXI. Fidelem quod attinet, spectari potest vel qualis ante conversionem, vel qualis in conversione & post eam. Non enim communiter simul & semel homo converti solet, sed sensim.

XXII. Ante conversionem fidelis luce naturali non ita abutitur, ut vulgò ab aliis in infidelitate mansuris fieri solet, à flagitiis erga Deum, proximum, quæ communi humanitati, claro conscientiæ dictamini repugnant, abstinet, aut saltem postea agnoscit, dolet, intermittit, magnam de se existimationem non fovet, externæ honestati, modestiæ, amori studet. Lectione, auscultatione Legis, Evangelii quamdam notitiam sibi acquirit, periculosum statum nonnihil cognoscit, timet, optat liberari. Hæc & similia ad statum ante conversionem referri possunt, atque etiam à gratioso Numine conferuntur, diriguntur, ut hominem excitent, futuræ conversioni inserviant.

XXIII. In conversione fidelis demum vera spirituali vita donatur, ex mortuo vivificatur, Eph. II, 5. in corde tenebricoso oritur lux cœlestis, 2. Cor. IV, 6. dispellens priores tenebras, detegens vitam, quam hactenus duxerat, pecca-

peccatis infectam, ex animali fit spiritualis, Joh. III, 6. omnia spiritualiter dijudicans, 1. Cor. II, 14. 15.

XXIV. Qui transitus à morte ad vitam neutiquam hominis viribus attribuendus est. Nam quæ sunt in mortuo ad surgendum vires? Nullæ. In tenebris nullæ lucis qualitates latent. Neque in carnali semen Spiritûs. Unde in locis citatis vivificatio, illuminatio, regeneratio Deo & ejus gratiæ in Christo Jesu tantùm adscribitur.

XXV. Post conversionem fidelis vitâ communicatâ frui pergit, infantis recens nati instar, benedicente Deo, vires sumit, petit à Patre suo cœlesti cibum spiritualem, eum accipit atque consumit in voluntate Patris adimplenda, unde perpetuò majora bona ipsi conferuntur. Tenebræ etiam magis magisque dispelluntur, caro debilitatur, minuitur, mortificatur, ut tandem totus spiritualis sit. *Charitas abundat magis & magis in cognitione & omni sensu ad probandum potiora ut sit sincerus & sine affectu in diem Christi, repletus fructibus justitiæ per JEsum Christum*, Philipp. I, 9--12. cf. 1. Thess. V, 23. Eph. IV. vers. 13. 14. 15.

CAPUT

CAPUT XXIII.
De
REGENERATIONE TOTAQUE VITA SPIRITUALI.

Σύνοψις.

Dignitas simul ac difficultas requirit, ut fusiùs de Operationibus Dei in convertendo homine agatur. §. I.

Et quidem primò de initio vitæ spiritualis, tum quoque ejus conservatione. §. II.

Illud, quod Regeneratio vocatur, definitur. §. III.

Ubi notatur status ante Regenerationem. §. IV.

Ipsa Regeneratio. §. V.

Quoad animam, ejus intellectum, voluntatem, affectus, corpus. §. VI.

Incrementum vitæ spiritualis. §. VII.

Hæc pro diversis subjectis quoad circumstantias variant. §. VIII.

Regenerationis causa Deus. §. IX.

Isque Pater, Filius & Spiritus S. §. X.

Attamen etiam ipsorum hominum est, quantum penes illos stat, cor novum facere. §. XI.

Speciatim Ministrorum. §. XII.

Vita spiritualis in genere sub fide, in specie sub resipiscentia & obedientia consideratur. §. XIII.

Fidei nomina & variæ acceptiones. §. XIV. XV.

Quæ hujus loci, est salvifica. §. XVI.

Quam semper notitia veritatum fide recipiendarum antecedit. §. XVII.

Quod cum cautela asseritur. §. XVIII.

Attamen naturam fidei non constituit. §. XIX.

Requiritur insuper assensus, amor & fiducia. §. XX.

Et quidem assensus firmus, plenus. §. XXI.

Amor dein Dei & Jesu Christi summus. §. XXII.

Præterea fiducia. §. XXIII.

Unde sequuntur varii fidei fructus, qui non eodem modo se in fidelibus habent. §. XXIV.

Diversitatis ratio est tum graduum fidei differentia, tum fidelium inobedientia. §. XXV.

Fructus ipsi sunt (a) *Unio cum Deo & Jesu Christo.* §. XXVI.

Fruitio (b) *bonorum sanguine Christi partorum.* §. XXVII.

Quæ varia, uti Spiritus S., adoptio, remissio peccatorum, purificatio cordium, studium sanctitatis, pax, gaudium, spes, gloriatio, vita æterna. §. XXVIII.

Memorata fidei fructus esse, probatur. §. XXIX.

Unde si in subjecto reperiuntur, fidele cognoscitur, sin, infidele. §. XXX.

Fidei

Fidei Auctor Deus est. §. XXXI.
Hominis verò est Spiritûs operationem recipere, atque eam conservare. XXXII.
Sub fide Scriptura aliquando comprehendit resipiscentiam & obedientiam. §. XXXIII.
Resipiscentia & describitur & illustratur phrasibus Scripturæ. XXXIV.
Cujus postea proferuntur Characteres falsi, quales resipiscentia externa, particularis, temporaria, ex alia quàm propter Deum causa orta. §. XXXV. XXXVI.
Adduntur que Observationes. §. XXXVII.
Secundò memorantur Characteres resipiscentiæ necessarii, sed nondum sufficientes, ex quibus primus est peccatorum agnitio, cujus necessitas XXXVIII.
Et natura indicatur. §. XXXIX.
Alter est dolor ob peccata, cujus ratio panditur. §. XL.
Ejusq; tres fontes aperiuntur. (a) *Pensitatio pœnæ commeritæ.* (b) *Consideratio dein turpitudinis actionis.* (c) *Tandem amor Dei.* §. XLI. XLII.
Tertius sequitur sive Confessio peccatorum. §. XLIII.
Hæc semper Deo dicenda est. §. XLIV.
Aliquando etiam homini sive læso sive Pastori &c. §. XLV.
Quartus necessarius Gradus est fuga ad misericordiam Dei in Christo Jesu. §. XLVI.

Cujus natura rectè explicatur. §. XLVII.

Sequitur ultimus sive propositum emendandi vitam, quod simpliciter necessarium est. §. XLVIII.

Hujus bona indoles exponitur. §. XLIX.

Characteres hi omnes quidem necessarii sunt, sed non sufficiunt. §. L.

Nisi accedat actualis emendatio. §. LI.

Quæ postulatur interna juxta ac externa, Universalis; constans atque obligat resipiscentem ad restituendum ablatum, sive honorem, sive bonum proximi sui. §. LII.

Ex necessitate actualis emendationis concluditur extrema impietas, injustitia & imprudentia illorum, qui resipiscentiam in aliud tempus differunt. LIII.

Præter resipiscentiam etiam obedientia ad fidem spectat. §. LIV.

Requisita ejus tria sunt, conformitas cum Lege Dei, ortus ex puro corde, finis gloria Dei. §. LV.

Docetur ejus necessitas. §. LVI.

Nec non præstandi possibilitas. §. LVII.

Illustratur hoc ipsum. §. LVIII.

Minime tamen Obedientia fidelis naturam meriti habet. §. LIX.

Nondum sufficit Deo ad tempus obedire, sed in obedientia perseverandum est. §. LX.

Perseverantia licet difficilis sit, non tamen impossibilis. §. LXI.

Nec tantùm in obedientia

tia perseverandum, sed etiam in ea crescendum est. §. LXII.

Obedientia hæc continet א. *Officicia erga Deum* (a) *interna, uti sunt notitia Dei & rerum divinarum, amor, reverentia, spes, oratio mentalis.* §. LXIII. LXIV.

Quæ definitur, ejusque recensentur species. §. LXV.

Ostenditur tum necessitas tum utilitas. §. LXVI.

Tum denique vera natura. LXVII. LXVIII.

(b) *Externa sunt* (α) *Confessio Nominis Divini.* (β) *Obsequium externum.* (γ) *Frequentatio cœtuum sanctorum.* §. LXIX.

Continet dein Officia ב. *erga proximum, qualia sunt charitas, justitia, liberalitas, pax, veracitas. Hæc fidelis omnibus debet.* §. LXX.

Sunt dein alia particularia. §. LXXI.

Tandem continet officia ג. *erga seipsum, uti sunt abnegatio sui,* αὐτάρκεια, *modestia, temperantia, assiduitas laboris, patientia.* §. LXXII.

Ultimò memorantur XI. media promovendæ obedientiæ utilia. §. LXXIII.

§. I.

Quamvis jam generatim dixerimus de Operationibus Dei in peccatore convertendo, hujus quoque conversionis initio & progressu, alia magis specialia dicenda sunt.

Requirit id materiæ dignitas, difficultas. Nam à regeneratione omnis noſtra felicitas pendet. Chriſtus & omnia ejus beneficia nemini proſunt niſi regenito & progredienti in vita Chriſtiana. Et quoniam de natura regenerationis totiusque vitæ ſpiritualis non omnes conſimiliter judicant, plures vitam morti ſimillimam pro vita ſpirituali habent, venditant, cautè admodum hac in materia verſandum nobis eſt, ne cum animarum diſpendio fallamur atque etiam alios fallamus.

II. *Prout igitur homo naturalis diſtinctè conſiderari poteſt, tum uti vitam recens accepit, tum uti eam conſervat, atque vitales functiones jugiter edit; Ita quoque ſpiritualis à nobis ſpectandus erit.* Prius ſtrictiori ſenſu regeneratio 1. Petr. I, 3. vivificatio Eph. II, 5. ablatio cordis lapidei, ſubſtitutio cordis carnei, novi, Spiritûs Ezech. XXXVI, 26. Poſterius verò ipſa vitæ continuatio Gal. II, 20. crucifixio, mortificatio veteris hominis Gal. V, 24. Coloſſ. III, 5. Fides per charitatem efficax Gal. V, 6. Præceptorum divinorum obedientia Ezech. XXXVI, 26. 27. dici poteſt.

III. *Regeneratio* ſtrictiori hac ſignificatione *eſt gratioſa & omnipotens Dei actio, quâ electis naturâ ſpiritualiter mortuis vita ſpiritualis inditur.*

IV. *Ante regenerationem itaque homo ſpiritualiter mortuus eſt*, quod tum ex terminis rege-

regenerari, *vivificari*, &c. tum ex descriptione statûs antecedanei patet. Vivit quidem sed in peccatis Eph. II, 3. quæ vita à Dei abalienata c. IV, 18. Cor illi est sed lapideum Ezech. XXXVI, 26. incircumcisum Act. VII, 51. Oculi sunt, at obtenebrati Eph. IV, 18. V, 8. Voluntas, verum à Dei aversa l.c. quod ex exemplo irregeniti facile constare potest. Æstimat enim & diligit seipsum, mundum, in mundo honorem, divitias, voluptates, non verò Deum, Jesum Christum, bona cœlestia, spiritualia, saltem eâ ratione, quâ æstimanda & diligenda sunt, Sapientiam Dei pro stultitia, intemeratam sanctitatem pro hypocrisi, superstitione &c. habet, reputat.

V. *Quando regeneratur, accipit vitam ex Deo*, 1. Joh. III, 9. fitque *divinæ naturæ particeps* 2. Petr. I, 4. *spiritualis*, Joh. III, 6. Gal. VI, 1. habens φρόνημα τῦ πνεύματ☉, qui antea carnaliter judicabat Rom. VIII, 6.

VI. *Prout qui naturaliter vivere dicitur, vivit anima & corpore, ita quoque spiritualis vita totum hominem permeat*, unde *nova creatura* Gal. VI, 15. novus homo Eph. IV, 24. audit. *Quoad animam* vivit *intellectus*, alius nunc quàm olim, utpote *novus* Eph. IV, 23. Rom. XII, 2. Ezech. XXXVI, 26. *illuminatus* Eph. V, 8. ceu in quo prodire jussit Deus lucem πρὸς φωτισμὸν *ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi* 2. Cor. IV, 6.

IV, 6. Nunc intelligit mysteria salutis, rationem cultûs, judicat uti Deus in Scriptura, qui priùs non intelligebat, aliter judicabat. Vivit dein *voluntas*. Hæc intellectum sequi solet: Quare quando regenitus voluntatem Dei clarè intelligit, Lex cordi ejus inscripta Jer. XXXI, 33. est, tum ejus voluntas id ipsum vult, eligit, probat. Voluntas *nova* Ezech. XXXVI, 26. quæ aliter vult ac priùs, *carnea* l. c. flexilis, quæ eò inclinat, quò intellectus illuminatus monstrat, timore Dei plena, quæ impellit ad volendum id, quod Deus vult Ezech. XXXVI, 26.27. Jerem. XXXII, 39. 40. Vivunt denique *affectus*, ceu qui intellectui illuminato, voluntati sanctificatæ obediunt. Unde *amor* Dei, proximi, *odium* verò peccati, *desiderium* bonorum spiritualium consequendorum, *gaudium* ob eorumdem possessionem, *metus* ad patrandum vitium, *zelus* pro gloria Dei, *ira*, quando nomen Dei profanatur &c. Vivit tandem *corpus*, quod membra sua justitiæ ad sanctificationem sistit, Rom. VI, 19. Oculi, aures, manus, pedes, lingua &c. impellente Spiritu functiones ad gloriam Dei obeunt 1. Cor. VI, 20. Joh. XXXI, 1. Ps. CXIX, 37. Jac. I, 19. 1. Thess. IV, 11. Matth. V, 41. Jac. III, 9.

VII. *Quemadmodum recens nati vitam quidem habent, sed valdè infirmam, quæ tamen crescente ætate, usu ciborum, quibus Creator benedicit, incrementum sumit*, atque magis

magis magisque ad robustam ac virilem, quæ omnibus actionibus suscipiendis & perferendis par est, assurgit; *Ita quoque cum recens regenito se habet.* Vita quidem spiritualis illi inest, sed admodum tenera, quæ solo lacte alitur 1. Petr. II, 2. Lux cognitionis paululum obscura, quâ infans in Christo sola principia intelligit, veritates sublimiores nondum capit, Rom. XIV, 2. Hebr. V, 12-f. VI, 1-3. Hinc quoque voluntas nondum satis in bono confirmata. Facilè in transversum rapitur doctrinâ vel exemplô malorum 1. Cor. III, 1-4. Præterquam quod uti in natura sic quoque in gratia plurimùm vires vitæ sensim augeantur, ad facilitatem actionum spiritualium multum facit γυμνασμὸς & experientia, quæ nonnisi cum tempore crescit. Tandem & hoc maximè notandum, quòd ab initio regenerationis vires veteris hominis fortiter rebellent, caro nondum mortificata spiritui fortiter resistat. Quod verò Spiritui accedit, carni decedit. Quò clarior lux, tenebræ magis dispelluntur: Quò voluntas pronior ad Legem Dei, inclinatio ad malum magis tollitur. Atque hac ratione regeneratio, quæ ab initio imperfectior, indies perficitur, Eph. IV, 13. qualem quoque nobis imitandam proponere debemus Matth. V, 48. Col. I, 28. IV, 12. Is nunquam in arte aliqua perfectionem attinget, qui ad eam non collimat. Dein quamvis nos ex nobis ipsis nihil queamus, Deus

tamen potens & benignus est, qui sincera desideria, fortes conatus juvat, sanctificat ὁλοτελεῖς ut ὁλόκληρον τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τηρηθείη. 1. Thess. V, 23. Qui verò, dum tendunt ad perfectionem, contumacibus concupiscentiæ & affectuum motibus abripiuntur, ex inanimadvertentia cæspitant, tutò sibi promittere possunt, Jesum Christum causam suam apud Patrem acturum, 1. Joh. II, 1. 2. Non illi, qui de imperfecta regeneratione queruntur & ἑκουσίως peccant.

VIII. *Quæ de initio & progressu regenerationis dicta, generalia sunt atque communiter se ita habent. At plura specialia, particularia, quæ pro variis subjectis diversimodè se habent, illi insunt, quæque, maximè ob varietatem, difficulter literis consignari queunt.* Quidam diu satis mundi vias calcarunt, tandem Dei ingrediuntur. Quidam statim ab ineunte ætate in timore Domini ambulant. Quidam, qui statim ab ineunte ætate vim Dei regenerantis testatam fecerunt, ad tempus curis mundi implicantur, tandem ex laqueis illis exsurgunt. Quorumdam regeneratio lentos gressus sumit. Aliorum brevi tempore ad apicem assurgit, quorum tamen exempla rariora sunt, quo Pauli pertinet.

IX. *Hujus regenerationis causa est* solus Deus, quod tum constat ex deplorato hominis irre-

irregeniti, divino regeniti statu, nullis viribus humanis naturalibus deponendo, consequendo, tum quoque ex disertis Scripturæ locis Eph. II, 5. *Deus nos in lapsibus mortuos cum Christo vivificavit.* Deus Pater luminum volens nos verbo veritatis genuit, Jac. I, 17. 18. cf. Joh. I, 12. 1. Joh. III, 9.

X. *Et quidem opus hoc omnibus tribus Personis attribuitur. Patri* gratiâ & misericordiâ nos complectenti, regenerationem in nobis producenti Eph. II, 5. 1. Petr. I, 3. Propter *Filium* pro peccatis nostris satisfacientem, resurrectione justificatum 1. Petr. I, 3. cf. Joh. III, 5. Ezech. XXXVI, 25. Per *Spiritum sanctum* Joh. III, 6. hinc *Spiritum vitæ* Rom. VIII, 2. dictum, eò quòd spiritualem vitam in fidelibus producat.

XI. *Quamvis regeneratio soli gratiæ & potentiæ divinæ attribuenda sit, nihilominus hominum quoque, quantum penes eos stat, est, sibi cor novum & Spiritum novum facere,* Ezech. XVIII, 31. *Hæc verò media sunt.* (1.) Solicitus usus luminis conscientiæ. Nihil contra dictantem conscientiam agendum est. (2.) Devota, attenta, frequens lectio tum legis convincentis de malitia, tum quoque Evangelii monstrantis liberationem à corruptione. (3.) Seria meditatio infelicis status, in quo irregenitus versatur, felicis, in quem is transferendus, qui Deo obsequitur. (4.) Gemitus,

sup-

ſupplicatio ad Deum, ut pro infinita miſericordia ſecum agere velit. (5.) Conſortium cum iis, qui Deum timent, proximum juvant, modeſtam vitam gerunt. (6.) Sæpiùs repetita penſitatio Baptiſmi, in quo homo ſervitium addixerat Patri, Filio & Spiritui S. ex quo ſibi in ſanguine Chriſti purificationem ab omni peccato polliceri poteſt. Certò perſuaſus autem eſſe debet, ſe ex Baptiſmo nullum uſum, ſed grave damnum habere, niſi Domino ſuo, in cujus nomen baptizatus eſt, obediat.

XII. *Quoniam verò etiam Miniſtri verbi dicuntur Patres* 1. Cor. IV, 15. Gal. IV, 19. *illis quoque incumbit partum hunc ſpiritualem promovere*, tum precando Eph. I, 16. 17. tum laborando diu noctuque, non in genere tantùm, ſed, quantùm fieri poteſt, unumquemque ſpeciatim compellando, ſtatum ſuum examinando, adhortando, dehortando, conſolando, maximè naturam regenerationis verè docendo, diſtinguendo à regeneratione fallaci, externa, particulari, temporali. Vix dici poteſt, quantam noxam regenerationi Paſtores adferant, qui munere demandato non ritè defunguntur, aut defungi non valent, utpote ipſi regenerationis expertes.

XIII. *Alterum, de quo fuſius agendum eſt, concernit vitæ ſpiritualis continuationem, quam primò generalius, poſtea ſpecialius conſideraturi ſumus. Illò modò ſub Fide: Hòc ſub*

sub resipiscentia & obedientia præceptorum. Fides est quasi anima hujus vitæ, quæ in regeneratione homini indita, postea varias vitales actiones edit, in Christum credit, peccata fugit, obedientiam præstat. Gal. II, 20. 1. Joh. V, 4. 5. Jac. II, 20. 26.

XIV. *Fides, quam Hebræi à firmitate* אמונה cf. Hebr. XI, 1. *Græci* πίστις à πείθειν (ab Hebr. פתה) *persuadendo dictam volunt, admodum diversè accipi solet.* Vel notat doctrinam Evangelii fide nostra dignam Gal. III, 23. 25. Gal. I, 23. Vel etiam aliud argumentum fidem producens Act. XVII, 31. Vel illum mentis actum, qui revelationem divinam ceu veram recipit.

XV. *Juxta ultimam acceptionem denuò variat.* Vel revelatio divina oculos subit, Joh. XX, 29. Vel non Hebr. XI, 1. Vel revelatio est communis Jac. II, 19. Vel specialis, veluti promissio de miraculo patrando, (unde *Fides miraculorum*, quæ & ejus, qui miraculum patrat, 1. Cor. XIII, 2. Matth. XVII, 20. 21. & ejus, ad cujus bonum miraculum patratur, Marc. V, 34. 36.) Aut Evangelica de Jesu Christo. Joh. III, 16. Vel assensus simplex nullam vim in animo credentis relinquens ad vivendum, prout revelatio poscit Jac. II, 20. & dicitur à quibusdam *Fides historica.* Vel si relinquit vim, credentem terrore afficit, utpote doctrina fide accepta sibi adversatur c. c. v. 19.

Vel

Vel assensus conjunctus cum proposito Christum sectandi, quod tamen persecutionibus ingruentibus, aut aliis ex causis mox evanescit, Matth. XIII, 20.21. Act. VIII, 13. quem communiter *Fidem temporariam* vocant. Vel denique assensus conjunctus cum firmo ac constanti proposito Jesum Christum tanquam Prophetam, Sacerdotem & Regem suum à Patre missum recipiendi, colendi atque ab eo omnem benedictionem, remissionem peccatorum vitamque æternam exspectandi Joh. III, 16.

XVI. *Et hæc est Fidei acceptio, quæ hujus loci.* A quibusdam *propria*, ab aliis *salvifica* dici solet. In Sacris appellatur *Fides Sanctorum* Apoc. XIII, 10. *Electorum* Tit. I, 1. *Communis* v. 4.

XVII. *Ut verò naturam hujus Fidei clarius intelligamus, notabimus tum ea quæ antecedunt, tum etiam quæ naturam ejus constituunt, tum denique quæ eam consequuntur. Antecedit notitia veritatum fide recipiendarum.* Nam veritati incognitæ assensus præberi nequit, Rom. X, 14. Dein Scriptura cognitionem aliquando medium vitam consequendi tradit Joh. XVII, 3. Jes. LIII, 11. unde sequitur, notitiam cum fide necessariò conjunctam esse debere. Præterea Fides per notitiam illustratur, aut cum ea indissolubili nexu conjungitur Tit. I, 1. Joh. VI, 69. Insuper ex adjuncto consequenti, quod fidei professio, idem

idem liquet. Nequeo autem profiteri fidem, quam ignoro, Rom. X, 9. 10. Tandem notandum quòd in Sacris eorum fides præ aliis laudetur, quæ cum solida notitia conjuncta Act. XVII, 11. 12. At è contra regnat infidelitas, ubi regnant tenebræ, quod tum ex statu Gentium, tum quoque Judæorum tempore Christi facilè patet.

XVIII. *Quando verò notitia veritatum fide recipiendarum prærequiri dicitur, non ea mens est, ac si nullus fidelis haberi posset, qui non omnes veritates in Scriptura revelatas aut ex inde per consequentias deductas intelligit, multò minùs qui tot in scholis agitari solitas controversias ignorat, fidelium numero excludendus.* Jam sufficit, modò veritates, quæ corruptionem nostram, salutis Auctorem, media, officia tradunt, assequatur. Is tamen rectè agit, qui in timore Dei, & animi humilitate Scripturas scrutatur, in veritates speciales, quæ sub generalibus comprehenduntur, modestè investigat, quâ ratione major notitia ad majorem fidem multum facit. Ubi verò alicui vel occasio, vel tempus, vel dotes, vel alia deerant ad Scripturam particulatim legendum, cognoscendum, is ex lectione, auscultatione præcipuas veritates explicitè tantum novit, reliquas implicitè sive non dubitat alia cuncta, sibi incognita licet, in Sacris contenta vera esse.

XIX. *Verùm licèt hic actus in omni fide requi-*

requiratur, nondum tamen naturam ejus constituit. Potest enim subjecto inesse, quod tamen ex fidelium numero minimè est, Joh. XII, 42. 43. Hebr. VI, 4-7. Matth. XIII, 20-23. Jac. II, 19. Probat quoque experientia omnis temporis, dari, qui veritates revelatas cognoscunt, de illis loquuntur, scribunt, qui tamen fideles non sunt.

XX. *Ad naturam fidei igitur constituendum alia requiruntur. Et quidem assensus, amor, fiducia.*

XXI. Quia Jesus Christus cum beneficiis suis nobis offertur Matth. XI, 28. Es. LV, 1. ipse ante fores pulsare, Apoc. III, 20. conjugium ambire sistitur Hos. II, 21. *fidei actus commodè receptio, assensus constituitur. Non tamen quilibet assensus veritati cognitæ sufficit,* qualis quoque in infideles cadere potest *sed firmus*, quo fidelis λόγον ἀποδοχῆς ἄξιον 1. Tim. I, 15. ob pretiosas veritates firmiter recipit, tenet Joh. III, 33. 1. Thess. II, 13. Joh. I, 12. Coloss. II, 5. 6., non dubitat vera esse, quæ nomine Dei revelata, atque rejicit cuncta, quæ assensum infringere possent, quamvis caro plura habeat, quæ ogganiat Hebr. XI, passim, speciatim 17-20. Unde v. 1. Fides definitur ἐλπιζομένων ὑπόστασις quæ sperantur, in se nullam subsistentiam, basin habent. At Fides verbo Dei innitens ὑπόστασιν producit. Præterea dicitur πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων quum alioquin demonstratio

ad

ad oculum fiat. Unde etiam fidei πληροφορία adscribitur Rom. IV, 21. quæ vox aliis idem ac βεβαιότης *firmitas*. *Plenus quoque assensus requiritur*, sive qui recipit omnes veritates, quas à Deo revelatas novit, speciatim Christum recipit, uti Pater ipsum dedit, uti ipse se obtulit, non ut Pontificem tantùm sed etiam ut Prophetam & Regem, non ut Redemtorem sed etiam ut Dominum suum, qui à discipulis exigit abnegationem, imitationem, tolerantiam crucis &c.

XXII. *Huic assensui conjunctus est amor Dei & Jesu Christi isque summus.* Quando enim firmiter tenet, se miserum esse & æternum perire debere, Deum verò in Jesu Christo ejus miseriæ succurrere velle &c. assensus amore erga Deum & Jesum Christum plenus oportet sit, Matth. X, 37. Joh. XXI, 15. 16. 1. Cor. XVI, 22. cf. Marc. XVI, 16.

XXIII. *Assensui & Amori simul inest fiducia.* Assensus enim & amor veritatum ex se gignit fiduciam, quâ confidimus Deum nobis promissiones in Christo Jesu ritè recipientibus salutem donaturum. Aliàs ubi deficit fiducia, oportet deficiat quoque assensus. Quomodo enim quis verè assensum præbere potest revelationi divinæ, non tamen confidere? Vel non confideret, eò quòd Deus gratiam sibi promissam exhibere nolit, quod assensum tollit, aut quòd nequeat, quod adversatur tum revelationi

tum dictamini conscientiæ de Omnipotentia. Quod porrò probatur ex phrasibus, quibus sacræ Literæ τὸ credere exprimunt, uti (*a*) האמין infantis instar simplici animo se Deo gestandum committere, non dubitare de fida cura 2. Reg. XVII, 14. (*b*) בטח *confidere* Es. XII, 2. (*c*) סמך & נשען *inniti Deo* tanquam fundamento bene fundato Ps. LXXI, 6. Es. L, 10. (*d*) חסה *fugâ salutem quærere* sub umbra Dei Ps. XCI, 2. (*e*) *apprehendere arcem* Dei, Jes. XXVII, 5. ut quis in ea tutus sit. Insuper ex *explicationibus* fidei, veluti quando ὑπόστασις ἐλπιζομένων dicitur Hebr. XI, 1. aut ubi illi attribuitur παῤῥησία, προσαγωγὴ ἐν πεποιθήσει, *libertas, accessus in fiducia*, Eph. III, 12. Hebr. IV, 16. θάρσος Matth. IX, 2. Quamvis, quod mox dicendum, fiducia in alio major, in alio minor sit. Nec id abnuimus, tempora dari, in quibus fideles se Deo confidere non sentiunt.

XXIV. *Ex memoratis fidei actibus, assensu, amore, fiducia sequuntur varii fructus, qui tamen diversimodè se habent in subjectis suis.* Quidam majori mensura conferuntur his; Minori aliis. Quidam hoc tempore sentiuntur; Alio non.

XXV. *Causa diversitatis est* (1.) *varietas graduum fidei.* Datur magna fides, quæ maxima obstacula tandem superat Matth. XV, 28, qualis in Abrahamo Gen. XXII. sed & datur exigua Matth. VI, 30. Dantur infirmi fide

Rom.

Rom. XIV, 1. XV, 1. Sed & dantur potentes, Rom. XV, 1. Matth. VIII, 10. pleni fide Act. VI, 5. Unde fides dicitur *crescere* Luc. XVII, 5. 2. Cor. X, 15. *confirmari* Col. II, 7. (2.) *Causa quoque est fidelium inobedientia, ἀπι-στία, quam in actionibus suis committere solent.*

XXVI. *Fructus illi sunt* (1.) *Unio cum Deo & Jesu Christo.* Ex natura fidei id clarum. Docet dein Scriptura passim 1. Joh. I, 3. 7. 1. Joh. IV, 16. Joh. XVII, 21. quò pertinent similitudines, veluti ubi Christus capiti, viti, arbori, cibo, potui, fundamento, vesti, nos verò corpori, surculo, ramo, ædificio superinstructo assimilamur, 1. Cor. XII, 12. Joh. XV, 4. 5. Rom. XI, 17-25. Joh. VI, 48. 53. Eph. II, 20-22. Quodnam verò hujus unionis vinculum? Fides Eph. III, 17. Joh. I, 12.

XXVII. II. *Communio, fruitio bonorum divinorum, sanguine Christi partorum.* Qui aquâ circumdatus, ex ea bibit, quantum vult. *Qui credit in me, uti Scriptura ait, fluvii aquæ vivæ ex ventre ejus fluent,* Joh. VII, 38.

XXVIII. III. *Beneficia sanguine Christi parta varia.* Est (a) Spiritus S. Gal. IV, 6. Est (b) dein adoptio Joh. I, 12. Est (c) præterea remissio peccatorum Act. X, 43. Est insuper (d) purificatio cordium Act. XV, 9. Est (e) quoque studium amoris omniumque operum

Christianorum Gal. V, 6. Jac. II, 20. Est (f) porrò pax, gaudium, spes, gloriatio in Deo, Rom. V, 1. 2. Est (g) tandem vita æternâ, Joh. III, 16.

XXIX. *Hos esse fidei fructus tum ex locis memoratis clarum est, tum ex naturali nexu omnium illorum, adeò ut cui unus competit, competat etiam alter.* Qui fide Christum apprehendit, oportet cum eo unitus sit. Unitus cum Christo esse nemo valet, nisi participet de ejus beneficiis. Speciatim Spiritu Christi Rom. VIII, 9. Impossibile, ut quis fide cum Christo unitus nec tamen filius Dei aut cui peccata imputantur, vel qui peccatis se polluit, 1. Joh. I, 6. Qui verò tot ac tantis beneficiis à Deo mactatus, an ille dubitare potest de pace cum Deo suo? Annon ideo in Salvatore suo lætatur? Annon spem habet de aliis bonis consequendis Hebr. XI, 1.

XXX. *Quare quemadmodum arbor ex fructibus cognoscitur, sic fides nostra ex his,* 2. Cor. XIII, 5. *Vos ipsos tentate, an in fide sitis, vos ipsos explorate. Annon vos ipsos cognoscitis, quòd Jesus Christus in vobis sit. Nisi rejectanei estis?* At ais: Pax, gaudium, spes, gloriatio, similesque fructus, Scripturâ & experientiâ probante, in pluribus fidelibus non reperiuntur. R. (1.) Nonnunquam habentur fideles, qui tales non sunt. In quo casu non mirandum, memoratos fructus illis deesse. (2.)

Qui

Qui verò veri fideles, illi hos fructus, si non semper gustant, sæpius tamen. Aliàs nescio an concipi possit fidelis omni tempore expers pacis, gaudii, spei, gloriationis in Deo. (3.) Præterea qui non gustant, qui anguntur &c. illi ex accurato sui scrutinio causam mox cognoscent, sc. eam esse unam vel alteram actionem, infidelitatem, inobedientiam Ps. LI. (4.) Aut si esset extraordinaria tentatio, illa finitis tristitiæ horis ex sensu majoris gaudii, spei &c. agnoscetur.

XXXI. *Expositis nunc, quæ fidem antecedunt, quæ naturam ejus constituunt, & quæ eam sequuntur, dicendum adhuc de ejus Auctore, qui Deus*, quod variè constat. Nam (1.) Omne bonum ab eo descendit Jac. I, 17. At fides præstantissimum bonum. (2.) Dein hoc ipsum de fide Scriptura affirmat Eph. II, 8. 9. Phil. I, 29. (3.) Præterea quoniam Spiritus S. fidei Auctor dicitur 2. Cor. IV, 13. Gal. V, 22. (4.) Tandem quia etiam medium fidei, quod præconium Evangelii, donum cœleste, Rom. X, 14.

XXXII. *Hominis verò est operationem Spiritûs recipere, eam conservare.* Quando igitur veritates divinæ, salutares de Christo Jesu illi proponuntur, luce in corde accensâ iis assentitur, eas amat atque Deo confidit. Nam quamvis Deus fidei Auctor sit, non tamen ipse Deus in nobis credit, sed fidelis credit, licèt gratiâ ejus. Idem renuntiat cunctis fidei obsta-

culis, φρονήματι σαρκὸς, ceu cujus dictata cum fide consistere nequeunt, præconceptis dein opinionibus ab infantia adhærentibus, amori mundi & rerum mundanarum, vitiis cunctis. Unde fides in Sacris non solùm ut divina in nobis operatio, sed etiam ut officium nostrum proponitur Marc. I, 15. annexum habens præmium Joh. III, 16. aut pœnam æternam, si negligitur Marc. XVI, 16. Nulla verò pœna æterna in quempiam animadvertetur, qui intermittit, quod agere nulla ratione valet.

XXXIII. *Hæc de vita Christiana in genere: In posterum magis speciatim de resipiscentia & obedientia Christianorum, quæ duo subinde fidei nomine in Sacris comprehenduntur.* Et certum est, veram fidem non esse, nec concipi posse, quæ non in ambitu suo fugam mali & patrationem boni contineat. Ex natura fidei maximè fluit odisse peccatum, facere justum. Unde Christianus absque resipiscentia & obedientia indubitatò infidelis est.

XXXIV. *Resipiscentia*, de qua primò, *est conversio hominis à peccato ad studium sanctitatis orta ex agnitione scelerum cum dolore conjuncta, producens confessionem atq; veniæ implorationem, nec non vitæ emendandæ propositum.* Sacræ Literæ eam variè nominant. Voces insigniores sunt μετανοεῖν, Matth. III, 2. μεταμέλεσθαι, Matth. XXI, 29. שוב *reverti*, Joël. II, 12.

II, 12. *viam parare Jehovæ*, Matth. III, 3. *lavare se*, Es. I. 16. *crucifigere carnem cum passionibus & concupiscentiis suis*, Gal. V, 24. *mortificare*, Coloss. III, 5. *exuere veterem hominem*, Eph. IV, 22. Quæ singulæ, maximè simul sumtæ, resipiscentiæ naturam pandunt.

XXXV. *Ut verò de arduo hoc dogmate clariùs disseramus, dabimus resipiscentiæ Characteres falsos; dein necessarios, sed nondum sufficientes; Tandem necessarios & sufficientes.*

XXXVI. *Characteres falsi sunt.* I. *Resipiscentia, quæ in externis tantùm consistit.* II. *Dein quæ temporaria, sed tandem in pristinam sceleratam vitam desinit.* III. *Insuper quæ particularis:* Veluti si quis quibusdam peccatis valedicit, at unum alterumve eximit, fovet. IV. *Tandem ubi alia resipiscentiæ causa quàm voluntas Dei peccatum abominans, peccatorem à communione sui separans*, veluti (*a*) eorum, qui ex sola pœnæ formidine à sceleribus abstinent, patraturi alioquin, si nulla pœna timenda esset. (*b*) Aut eorum, qui vitam mutant mutatô statu & conditione suâ. (*c*) Vel eorum, qui ex sola impotentia certa peccata relinquunt. (*d*) Aut tandem, qui à peccatis quibusdam abstinent instigante temperamento, cura valetudinis vel oppositio vitio.

XXXVII. Characteribus his sequentia addimus

dimus א. *Quosdam characteres cum vera resipiscentia nullatenus consistere posse.* Quemadmodum qui ad horam peccatum intermittit: *Alios verò & consistere posse & debere.* Vera resipiscentia non solùm interna sed etiam externa requiritur. ב. *Contingere aliquando, ut falsa resipiscentia non quidem ex natura sua, sed ex gratia Dei gradus sit ad veram.* Ex. gr. homo sceleratus, qui prius se omnibus sceleribus polluebat, primò quædam, quæ adversus omnem honestatem & leges civiles erant, omittit, tandem luce Spiritûs S. in corde ejus orta, singula odit. Dum quædam omittebat, ex veris resipiscentibus nondum erat. ג. *Imprudenter illos facere, qui vitium ebrietatis solùm perstringunt, eò quod bona dilapidet, &c.*, nam qui ex hac causa tantùm resipiscit, non resipiscit. Possunt quidem ejusmodi motiva in medium proferrri, sed primò & præcipuè sancta Dei voluntas urgenda. ד. *Ingentem esse numerum falsorum resipiscentium*, si, qui vulgò resipiscentes audiunt, ad hos Characteres examinantur. Atque hoc unumquemque solicitum & prudentem reddere debet.

XXXVIII. *Sequuntur Characteres resipiscentiæ necessarii, nondum tamen sufficientes. Ex quibus primus est peccatorum agnitio.* Qui non agnoscit delicta sua, quomodo animo dolere, confiteri &c. per consequens resipiscere posset?

XXXIX.

XXXIX. *Ut verò peccatorum agnitio genuina sit, requiritur primò* solida Legis & cordi inscriptæ & maximè in Scriptura extantis notitia. *Tum* cum ea conferendæ sunt actiones nostræ, cordis, oris, operis, erga Deum, proximum, nos ipsos. Notandæ sunt aberrationes plures, variæ, graves. Gravitas exinde cognoscitur, quando facinus à conscio patratum, sæpius repetitum, licèt quis intermissionem aliquoties Deo pollicitus fuerit. Circumstantiæ dein temporis, loci, occasionis peccatum quoque aggravare solent, maximè publica functio sive sacra sive politica malè administrata.

XL. Qui ad trutinam Sanctuarii peccata sua appendunt, illi non possunt non propter ea dolere, unde surgit *secundus Character, Dolor propter peccata*, quem ἐμφατικῶς S. Literæ modò *tristitiam secundum Deum* 2. Cor. VII, 10. modò *spiritum fractum, cor fractum & comminutum*, Ps. LI, 19. *laceratum* Joël. II, 13. *spiritum percussum & trepidantem ob verbum Dei*, Jes. LXVI, 2. modo aliter appellant. Vide maximè Psalmos sextum & trigesimum octavum. Unde constat, verum ob peccata dolorem auferre animi lætitiam, inferre verò profundam tristitiam, vim, quâ Spiritus hominis quasi frangitur, comminuitur. Tum quoque dolor, qui intus in corde exortus est, variè per externa signa, faciem, os, oculos, caput, manum &c.

prodit. Et non mirum, si de arctissimo animi & corporis vinculo cogitamus.

XLI. *Quare autem peccatum dolorem excitet, causa est* (1.) *pensitatio pœnæ* tum temporalis, tum & quidem maximè æternæ commeritæ Matth. III, 8. 10. X, 28. Homo quippe salutem suam diligit: Dolet verò, quando intelligit de salute sua actum esse. (2.) *Consideratio dein turpitudinis actionis*, ceu quæ deflectit à scopo præfixo, adversatur voluntati divinæ, rebellat adversus mandatum justi Domini, polluit agentem, sicuti ex natura & vocibus, sub quibus peccatum sistitur, constat. (3.) *Tandem amor Dei.* Qui enim cogitat se peccasse adversus Deum infinitum, Creatorem, Conservatorem, Redemptorem, cui omnia omninò debet, se vermem, pulverem, cinerem esse, & ne ad momentum quidem absque auxilio ejus consistere, qui, dico, hæc secum ritè perpendit, ille animitus dolebit, eò quòd Deo obsequium non præstiterit.

XLII. *Dolor, quem amor Dei producit, rectissimè se habet. Melior ille, quem consideratio actionis abominabilis causatur, quàm qui ortus metu pœnæ.* Quamvis, si ad ordinem attendas, communiter dolor incipiat à formidine judiciorum, tum detestatione actionis agnita integrior fieri incipit. Tandem puriſſimus & Deo gratissimus ille est, quem exprimit

primit sincerus Dei amor. Imò prima causa, si sola, haud genuina est.

XLIII. *Serius dolor exprimit confessionem peccati, quæ tertius Character* resipiscentiæ necessarius, non tamen sufficiens. *Confessio illa requiritur humilis & ingenua*, quâ peccator se gratiâ Dei indignum, morte verò dignum in conspectu Dei fatetur, nihil velat, aut culpam in alium transfert, sed nudè facinus confitetur, circumstantias memorat, aggravat.

XLIV. א. *Peccata semper Deo confitenda sunt*, nam omnia adversus Deum patrantur. Gloria in confessione Deo restituenda est, quæ in peccato rapiebatur. Aliàs nullam sibi veniam promittere potest. Ex adverso ingenuo confessori gratia Dei confertur, conscientia ejus tranquillatur.

XLV. ב. *Aliquando confessio etiam dicenda homini. Et quidem bifariam.* (α) *Homini, quem quis læserat.* Hoc officium commendat Jacobus c. V, 16. (β) *Homini spirituali, in viis Dei exercitato sive Pastor is sive alius aliquis.* Imò huic potius dicenda confessio, si illum superat prudentiâ, charitate, notitiâ viarum Dei. Posterior hæc confessio tum utilis est, si quis sibi ipsi consulere nequit.

XLVI. *Huic succedit quartus Character, sive fuga ad misericordiam Dei in Christo Jesu.* Nam & hic necessarius. Deus nemini pecca-

peccata remittit, nisi in sanguine filii sui. Act. IV, 12. Joh. XVII, 3.

XLVII. Plurimi abutuntur hac ad gratiam Dei in Christo Jesu fuga. Voluntarió peccant, tum fugiunt ad Deum & implorant veniam, mox lætantur de venia, rursum peccant, atque ejusmodi actus identidem repetunt, quod est *abuti gratiâ ad lasciviam. Fuga hæc tum rectè se habet, quando quis peccati turpitudinem ritè agnoscit, odit, metuit gravissimam pœnam, enixè petit Deum ut sibi propter Christum gratiosus esse velit, atque in posterum malum intermittit.*

XLVIII. *Hinc cum prioribus conjunctus oportet sit quintus Character, propositum vitam emendandi.* Qui non proponit à malo abstinere, ille nunquam resipiscet, per consequens delictorum condonationem non consequetur.

XLIX. *Ut verò propositum hoc rectæ indolis sit, requiritur non solùm generale sed & particulare* ratione hujus vel illius peccati, cui antea deditus erat. Tale propositum majorem in pœnitente vim relinquit. *Dein oportet ut non solùm proponat ab ipso vitio abstinere sed etiam occasione, incitamento, circumstantia quavis ad id pelliciente. Insuper propositum requiritur firmum,* non nudæ voluntatis & iners. *Tandem in Deo factum sit oportet.* Humiliter invocandum Clementissimum Numen,

men, ut quod gratiam convictionis dedit, det quoque emendationis.

L. *Memorati quinque Characteres ad veram resipiscentiam simpliciter necessarii sunt.* Si unus ex iis deficit, deest veri nominis resipiscentia. *Attamen nondum sufficiunt.* Verum quidem, quòd recensiti pœnitentiæ actus, in quocunque rectè se habent, post se trahant salutarem resipiscentiam, attamen si non conjuncti (quod præsuppono) cum actuali emendatione, hinc agnoscuntur falsi, hinc quoque falsa resipiscentia.

LI. *Igitur ad infucatam, Deo gratam resipiscentiam*, præter peccatorum agnitionem, dolorem, confessionem, fugam ad misericordiam Dei in Christo, propositum vitæ emendandæ *requiritur actualis emendatio*, quod constat tum ex denominationibus, phrasibus, sub quibus resipiscentia insignitur, tum ex pluribus Scripturæ locis, qualia sunt Prov. XXVIII, 13. *Qui defectiones suas fatetur & derelinquit, misericordiam consequetur.* cf. Es. I, 16-19. Ezech. XVIII. Matth. III, 8. VII, 21. Jac. I, 22-26. tum ex exemplis Davide, Petro, Zachæo, tum denique ex natura resipiscentiæ. Peccator, qui vitam non emendat, licet illos actus observet, idem manet.

LII. *Hæc verò actualis emendatio debet esse interna & externa. Tum quoque universalis* quoad omnia peccata, maximè ratione graviorum

rum 1. Cor. VI, 9. 10. Gal. V, 19-22. etiam ratione minus gravium, uti sunt contumaces motus concupiscentiæ, affectus, actiones pravæ ex inconsiderantia, verba otiosa, requiritur animus serió correctionem constituens atque promovens. *Præterea constans. Tandem obligat resipiscentem ad restituendum ablatum sive honorem sive bonum proximi sui.*

LIII. *Quoniam verò tanta emendandæ vitæ necessitas est, liquet, illum extremè impium, injustum, imprudentem esse, qui resipiscentiam in aliud tempus differt*; (1.) Nam Dei voluntas est, ut peccatum quamprimum fugiamus, ac illud fugiendum esse edocemur Hebr. III, 7. IV, 7. (2.) Dein longè miserrimus irresipiscentis status est. Irresipiscens quippe (*a*) extra Christum est. (*b*) Cœcus, stultus, stupidus, bestiæ similis, imò illâ deterior. (*c*) Expers veræ libertatis, bonæ conscientiæ, lætitiæ in Deo. (*d*) Super illum manet ira Dei, qua nihil gravius, maximè quoniam æterna. (*e*) Se in mancipium Satanæ tradit, atque ejus jussum cum cruciatu exequitur. (3.) Porrò summa impietas est. Qui enim procrastinat resipiscentiam, idem ac si diceret: Ego quidem novi, me nunc adversus Deum ejusque leges vivere, attamen per aliquod tempus adhuc id ipsum agere pergam. Impietas major fingi vix potest. (4.) Ultimò maxima imprudentia ejusmodi procrastinationi inest. Nam incertus est futuri temporis.

poris. Nescit an adhuc diem, septimanam, mensem, annum vivere liceat. Nec certus est se lento morbo vitam finiturum. Malignus, acutus morbus aut apoplexia, vel furor, vel repentinus casus vitam forsan adimit. Et quò perseverantia in peccato longior, resipiscentia est gravior, molestior, incertior. Imò solet Deus gratiam conversionis adimere, qui oblatam acceptare noluerunt Hebr. III, 7. Act. XIII, 46. Prov. I, 24-29.

LIV. *Hæc de resipiscentia. Sequentia de obedientia.* Etiam qui resipiscit, obedit. Attamen hîc specialius sumitur pro obsequio, quod fidelis in præceptis affirmativis adimplendis præstat.

LV. *Hæc verò obedientia requiritur* (1.) *conformis voluntati divinæ*, tum in conscientia, tum & quidem maximè in verbo suo expressæ. Servus ille non obedit, qui agit, quod sibi videtur. Est nonnisi ἐθελοθρησκεία. (2.) *Tum profluens ex corde puro, bona conscientia & fide non fucata* 1. Tim. I, 5. Quæ ab invito & nolente quasi præstatur, laudem non meretur. (3.) *Præterea intendens glorificationem Nominis divini* 1. Cor. X, 31. Nec tamen sufficit pro scopo habere divini Nominis glorificationem Joh. XVI, 2. necesse est, ut ipsa actio & media bona Rom. III, 8. sint.

LVI. *Talem obedientiam unusquisque fidelis Deo debet.* (1,) Nam vera fides absque obe-

obedientia erga præcepta divina concipi nequit. Ἀσύμφατον est credere in Jesum Christum, & non facere voluntatem ejus. Unde Apostoli, Jacobus c. II. Johannes 1. Epist. V, 4. 5. Paulus Gal. V, 6. VI, 15. 1. Cor. VII, 19. hæc duo conjunxerunt. (2.) Hinc qui Christum agnoscunt, gratiam ejus implorant, quædam tantùm opera præstant, minimum verò præceptum solvunt, illi nullum vitæ jus sibi promittere possunt. Matth. VII, 21. V, 19. 20. (3.) *Sine sanctificatione nemo videbit Deum* Hebr. XII, 14. cf. 1. Joh. I, 6. 7. Apoc. XXI, 27. XXII, 14. 15. (4.) Eò tendunt cuncta, quæ Deus largitur, beneficia. Electio, Eph. I, 4. Redemtio, Eph. V, 25-28. Tit. II, 14. Hebr. IX, 14. Vocatio, 1. Thess. IV, 7. 1. Petr. I, 15. 16. Regeneratio, conversio, 1. Petr. II, 1. 2. Act. XXVI, 18. Justificatio, Ps. CXXX, 4. Rom. V, 21. Adoptio 1. Petr. I, 14. 17. (5.) Tandem ob judicium ultimum, quod secundum opera nostra instituendum dicitur. Qui adeoque malè vixerunt, non possunt aliam mercedem quàm mortem reportare 2. Cor. V, 10. Gal. VI, 7. 8. Matth. XXV, 31. &c. Rom. II, 6. 7.

LVII. *Quoniam vero obedientia tantoperè necessaria est, oportet sit possibilis*, non quidem propriis hominis fidelis viribus, sed Dei, qui eas propter Christum rectè petentibus largè suppeditat. (1.) Qui in Christo est, is omnia valet Philipp. IV, 13. (2.) Christianismi præcepta

cepta non sunt gravia 1. Joh. V, 3. Jugum leve, Matth. XI, 30. (3.) Regenitus ex Deo non peccat 1. Joh. III, 9. (4.) Ad perfectionem contendit, eamque assequitur Matth. V, 48. Eph. IV, 13. Phil. III, 9-12. 15. (5.) De Noacho, Abrahamo, Davide aliisque Sacræ Literæ referunt, quod integram vitam duxerint, Deum dilexerint ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus.

LVIII. *Obedientia*, de qua hactenus, *requirit pium & sincerum fidelis propositum, primâ occasione datâ omnem voluntatem Dei adimplendi, nunquam negligendi. Tum quoque serium conatum ad propositum illud in effectum deducendum.* Abesse debet omnis gloriatio & fiducia in proprio robore: Adesse verò firma persuasio, quod Deus, qui ipsi talia præcepta præscripsit, Spiritu & gratiâ suâ contendenti, infirmo licet, ad bonum ex se inidoneo, adfuturus. Atque qui ita Deo obedit, quamvis ex imprudentia, præcipitantia à tramite deflectat (aberrationem tamen agnoscit, veniam ob sanguinem Jesu Christi petit, atque serió constituit in posterum prudentius vivere,) obedientia ejus ex benigno Patris cœlestis judicio perfecta habetur, (quod ex exemplis supra allatis constat,) & aberratio non imputatur 1. Joh. II, 1. 2.

LIX. *Minimè tamen obedientia hominis fidelis vitam æternam promeretur*, quasi Deus

ob intrinsecum obedientiæ valorem æquivalentem mercedem, vitam puta æternam, reddere deberet aut promisisset. Etenim salus, vita æterna pura Dei gratia est Rom. VI, 23. Eph. II, 5-11. quam Jesus Christus morte sua pro nobis promerebatur, Rom. III, 24. V, 9. 10. 1. Cor. I, 30. Unde omnis gloriatio in opere salutis homini præclusa est Rom. III, 27. Eph. II, 9. 1. Cor. I, 29. 31. Dein nulla vitam æternam inter & obedientiam hominis proportio Rom. VIII, 18. nullum adeoque meritum obtinet. Porrò quamcunque præstat homo obedientiam, illam debet, atque ideò inutilis servus nonnisi dicendus Luc. XVII, 10. Denique cujus viribus fidelis bonum agit? An suis? Non. Sed Dei. Ergò nihil promeretur.

LX. *Non solùm obediendum Deo ad tempus aliquod, sed in obedientia ad finem vitæ jugiter perseverandum est.* Nam *qui perseverat ad finem, (seductiones superat,) salvabitur* Matth. XXIV, 13. Si verò *justus à justitia sua recedit, & facit iniquitatem* &c. *morietur.* Non sufficit notitia Evangelii, illuminatio Spiritûs, fruitio quædam bonorum Christi, vel etiam fides temporaria. Accedere debet constantia, etiam tum, quando judicia Dei, publica vel privata, ingruunt. Hebr. III, 14. VI, 4-7. Rom. XI, 20-25. Matth. XIII, 20. 21.

LXI. *Verum quidem, quod plurima & gravissima obstacula perseveraturis obmovean-*

veantur. (1.) Diabolus & dolo & vi; (2.) Mundus (a) blanditiis, (b) minis, (c) exemplis, (d) scandalis; (3) Caro ignorantiâ, quæ reliqua est, cordis inconstantiâ, affectibus, corpore ejusque appetitu, sensibus, perseverantiam difficilem reddunt. *Difficilem reddunt quidem sed non impossibilem.* Nemo victor evadit, nisi qui certaverit & certando superior factus fuerit Apoc. II, 17. &c. (1.) Nullus fidelium sibi relictus Diaboli stratagemata & potentiam evitat, vincit: at fideles sibi relicti non sunt. Fides illos unit cum Deo, qui callido sapientior & forti fortior est. Ille porrigit παναπλίαν, quâ hostem superare queunt Eph. VI, 13. Modo sobrietati studeant, vigilent, precentur, Scripturam sibi perspectam reddant, atque fortiter resistant Jac. IV, 7. 1. Petr. V, 8. 9. Matth. IV, 4. 7. 10. Eph. VI, 18. (2.) Nec quoq; mundus verum Christianum à constantia obsequii retrahit. (a) Nam is mundum non diligit 1. Joh. II, 15. divitias, voluptates, dignitates pro caducis, vanis, belluinis, molestis bonis habet. (b) Nec timet mundi minas, qui Deum verè timet Matth. X, 28. (c) Aliud discipulus Christi exemplum imitandum sibi non proponit quàm Magistri sui Matth. XI, 29. (d) Et dum scandala præberi cernit, audit, memor est vaticinii Matth. XVIII, 7. fraudes cordis humani deplorat, cautus redditur & integritati magis magisque studet. (3.) Christianus, in

quo adhuc caro reliqua, eam cum passionibus & concupiscentiis crucifigit Gal. V, 24. contendit plena lux in Domino existere, statum suum exactè investigare, officia sua accuratè intelligere, in corpus dominari, ut Spiritui subjectum sit & membra sua ad justitiæ serviendum sistat Rom. VI, 6. 13.

LXII. *Sed non solùm in obedientia præceptorum divinorum perseverandum, verùm quoque in ea crescendum est.* Is, qui post conversionem, qualem imaginatur, in eodem semper gradu hæret, non ad ulteriorem contendit, assurgit, nescio an veris conversis accenseri queat. Nam hi in Sacris ut *crescentes* sistuntur 2. Petr. III, v. ult. Col. I, 10. Hinc assimilantur infantibus recens natis, qui cum tempore majorem staturam, vires majores, facilitatem agendi sumunt, acquirunt, 1. Petr. II, 2. Eph. IV, 13. Vel etiam viatoribus, qui iter non solùm inchoant, sed & perficiunt, metam attingunt. Similis potius servo illi in Parabola, qui talentum concreditum defodit Matth. XXV, 24-31. Unde status ipsorum periculosus, quoniam enim is ab initio infirmus esse solet, lux nondum satis à tenebris purgata, nec voluntas in bono confirmata, affectus nondum satis domiti, potentissimorum hostium, qui majori vi castra sua deserentibus insidiantur Luc. XI, 26. præda denuò haud difficulter existunt Hebr. VI, 4-7. Nec tales firmam de salutis certitudine persuasio-

sionem tenere valent. Vel quodnam persuasionis fundamentum erit? An immediata revelatio? Vel an Spiritus cordis? Aut Scripturæ testimonium? Certè nullum ex his. Dei voluntas & præceptum est, ut ad perfectionem tendamus Eph. IV, 13.

LXIII. Obedientia, cujus naturam hactenus generatim tantùm spectavimus, nunc quoque in specie tractanda esset, sed præsentis instituti ratio tantam prolixitatem non permittit, quare prima tantùm lineamenta obedientiæ specialis ducemus. Comprehendit hæc officia erga Deum, proximum, nos ipsos. Tit. 11. 12.

LXIV. *Officia erga Deum*: Hæc sunt vel interna vel externa. *Interna sunt* (1.) vera, solida, viva *notitia Dei & rerum divinarum*. (2). *Dein amor*. Qui enim novit, Deum consummatissimum Ens esse, omnes possidere perfectiones, esse Creatorem, Conservatorem, Redemtorem, ejus quoque est illum super omnia diligere. (3.) *Insuper reverentia*. Eadem Numinis notitia producit quoque reverentiam, quâ fidelis magnum Deum & Legislatorem jugiter profundâ veneratione prosequitur, ne minimum quidem, quod ipsi displicere novit, loqui aut agere proponit. (4.) *Præterea spes*. Quâ plurima bona promissa à Deo benigno indubitatò exspectantur. (5.) *Tandem oratio mentalis*. *Veri adoratores Patrem ado-*

rant ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ *in spiritu & veritate* Joh. IV, 23.

LXV. *Hoc ultimum Christiani officium est elevatio mentis ad Deum, quâ precans conscius indigentiæ suæ, confidens verò gratiæ divinæ in Christo Jesu bona corporis & animi pro se aut proximo petit, vel pro acceptis humiles grates dicit.* Paulus 1. Tim. II, 1. quatuor species constituit, δέησιν *deprecationem mali*, cf. 1. Petr. III, 12. προσευχὴν *adprecationem boni*, ἔντευξιν *intercessionem pro proximo*, εὐχαριστίαν *gratiarum actionem pro acceptis beneficiis.* Hæ tamen voces alibi latius etiam accipiuntur.

LXVI. *Officium hoc fideli & necessarium & salutare est. Necessarium*, nam & olim sub V. Testamento præscriptum Deut. VIII, 10. *Si comedisti & saturatus es, grates dices Domino Deo tuo*, cf. Ps. L. 15. Eodem pertinent sacrificia & suffitus non sine precibus offerendi Luc. I, 10. & nunc sub Novo Rom. XII, 12. *Precationi instate* 1. Thess. V, 17. 18. *Indesinenter orate. In omni re gratias agite. Hæc enim est voluntas Dei in Christo Jesu erga vos.* Est dein cultûs nostri erga Deum pars præcipua, quâ precans perfectiones, maximè omnipræsentiam, omniscientiam, bonitatem, omnipotentiam veneratur. Requirit id indigentia nostra. Mendico, qui ex fastu stipem petere renuit, tandem pereundum. Homines necessaria

pro

pro vita corporis, animæ, liberatione ex tot periculis ipsi non possident. Ergo ea petenda sunt. *Etiam salutare.* Precatio quippe clavis thesaurorum cœlestium reserandorum, manus, quâ dona Dei accipiuntur. Matth. VII, 7. *Petite & dabitur vobis; quærite & invenietis; pulsate & aperietur vobis.* Jac. I, 5. *Si cui vestrûm deest sapientia, petat à Deo, qui illam omnibus simpliciter dat.* cf. Joh. XIV, 13.

LXVII. *Non omnis tamen precatio precatio est Deo grata, atque canalis, per quem gratia Numinis in nos descendit.* Aliquando abominabilis & fœtor in naso Dei existit. Veluti si precans labia tantùm movet, aut formulam ab alio compositam, quæ circumstantias ad statum precantis minimè pertinentes continet, absque animo recitat, vel ubi animus irâ, fastu, vel aliô affectu infectus est. Transeo tot alios abusus. *Memoro potiùs quædam bonæ precationis requisita.*

LXVIII. *Sunt autem hæc*: (1.) Animus requiritur præsens & probè conscius eorum, quæ Deo proponit. Unde verus adorator Patrem adorat ἐν πνεύματι *in spiritu* Joh. IV, 23. (2.) Deus ut Omnipræsens, Omniscius, Sanctus, Bonus, Omnipotens, speciatim ut Deus respiscentis peccatoris in morte Christi, menti precantis jugiter obversari debet. Act. I, 24. *Tu Domine, cordium scrutator &c.* (3.) Hinc in nomine Christi orandum. Extra Christum

Deus nemini gratiam facit. Joh. XVI, 23. *Amen, amen dico vobis, quæ petetis Patrem meum in nomine meo, dabit vobis.* cf. Hebr. IV, 16. (4.) Nec non in fide, animô confidente, Deum bonum petitum & dare posse & dare velle, Jac. I, 6, 7. (5.) Id, quod orator petit, cum voluntate Dei conveniat oportet 1. Joh. V, 14. quale est omne bonum spirituale Luc. XI, 13. Jac. I, 5. corporale ad necessitatem Matth. VI, 11. 33. non abundans, multô minus ad malè consumendum Jac. IV, 3. (6.) Animus precantis requiritur purus, in cujus signum videntur olim manus lotæ 1. Tim. II, 8. (7.) Humilis, agnoscens Majestatem Dei cum quo loquitur, suam verò indigentiam, miseriam. Dan. IX, 4. 5. 6. &c. Gen. XVIII, 27. (8.) Amore erga proximum, etiam inimicum, plenus. Quomodo is Deum misericordem, placabilem experietur, qui ipse immisericors, implacabilis? Matth. V, 23. 24. VI, 12. 14. 15. (9.) Tandem fervidus, perseverans in precibus. Rom. cap. XII. vers. 12. 1. Thess. V, 17. 18. Si bonum, quod à Deo petimus, non statim reportamus, tanto majori fervore & cordis effusione Clementissimum Numen adeundum, rogandum est.

LXIX. *Sequuntur externa.* (1.) *Confessio Nominis Divini*, quâ Christianus ingenuè & cordatè religionem, quam in corde tenet, ore profert. Tum maximè necessaria est, quando ex cir-

ex circumstantiis colligere licet, velle Deum, ut quis coram impiis nominis sui professionem edat, quamvis hæc post se trahat varia adversa, imò ipsam mortem Matth. X, 32. 33. (2.) *Obsequium externum.* Nam dantur, maximè hoc corrupto seculo, homines, qui quidem officia Christianorum vera, divina agnoscunt, hinc quæ clam præstari queunt, præstant, sed publicè intermittunt, ne à mundo irrideantur. At quos pudet vitæ Christianæ, eorum quoque Christum pudebit Joh. XII, 42. 43. Rom. XII, 2. (3.) *Frequentatio cœtuum sanctorum*, in quibus Deus glorificatur, cœtus ædificantur.

LXX. *Succedunt officia erga proximum, quæ vel universalia vel particularia. Universalia sunt* (1.) *Charitas*, quâ quilibet proximus sincerè diligitur, commodum promovetur. (2.) *Justitia*, quâ proximo suum relinquitur. (3.) *Liberalitas*, quâ proximo, maximè pauperi, ex meis bonis benefacio. (4.) *Pax* amicitiam tenet, inimicitiam tollit. (5) *Veracitas* sive studium vera cum corde & rei natura convenientia loquendi, proximo narrandi. Quæ cuncta latissimè se diffundunt.

LXXI. *Particularia verò sunt* Parentum erga liberos: Liberorum erga Parentes. Maritorum erga uxores: Uxorum erga Maritos. Herorum erga servos: Servorum erga Heros. Magistratuum erga Subditos: Subditorum erga Magistratus. Pastorum erga Auditores: Audi-

torum erga Pastores. De quibus partim in Cap. XV. de Decalogo, partim in Cap. de Ministerio Ecclesiæ. Ex professo in Theologia morali.

LXXII. *Tandem notanda veniunt officia erga seipsos.* I. Generale est *abnegatio sui ipsius.* Homo naturâ φιλαυτίας vitio laborat, se Dominum in judiciis, voluntate, affectibus habet. Probat, quæ sibi secundum carnem judicanti vera videntur. Fertur voluntate & affectibus in superba, voluptuosa, divitias mundi: Christianus verò seipsum sive talia, quæ corruptioni suæ adhærent, abnegare, deserere debet, judicare verò secundum dictamen mentis ex verbo Dei illuminatæ, diligere Deum, proximum, bona spiritualia, etiam crucem. II. Ex specialibus αὐτάρκεια *animus sorte sua contentus.* Si pauper non murmurat adversus bonorum dispensatorem. Si paupertatem patienti animo fert. III. *Modestia*, quâ tenuiter de se judicat, aliis præferri non cupit, præfectus licet minimè superbit. *Temperantia*, quæ cupiditates naturales temperat, spiritu dirigit, ut omnis excessus intermittatur, nonnisi ad vires naturæ reparandum, laborem perferendum, cibus potusque assumantur. V. *Assiduitas laboris*, quâ otium fugit atque jugiter honestum laborem agit. VI. *Patientia* perferens adversitates quasvis. Christianus quippe novit illas absque directione Dei sibi non obvenire, atque tandem ad commodum suum vergere.

LXXIII.

LXXIII. His cunctis de fide, resipiscentia, obedientia enarratis, restat, ut etiam mediorum, quæ Christianum ad exposita officia præstandum excitant, promovent, mentionem faciamus. Sunt autem (1.) devota precatio Matth. VII, 7. 8. (2.) Frequens virtutum Christianarum exercitium. Matth. XXV, 29. (3.) Scripturarum lectio prudenter & bono fine instituta, 2. Tim. III, 16. (4.) Lectio quoque aliorum librorum pietatis studium solidè tradentium, quorum proventus hodiè minimè sterilis est. (5.) Accuratum scrutinium obedientiæ in Baptismo Triuni Deo promissæ. (6.) Legitimus S. Cœnæ usus. (7.) Attenta sæpiusque iterata præcipuorum Religionis Christianæ capitum, Omnipræsentiæ, Omniscientiæ Dei, mortis Jesu Christi, mortis propriæ, vitæ & pœnæ æternæ meditatio. (8.) Observatio particularis providentiæ, quâ ipsum Deus dignatur. (9.) Accuratius vitæ suæ examen cum Lege & Evangelio. In quo ad id maximè attendit fidelis, num gressus in pietate fecerit nec ne. (10.) Firmum propositum mutandi ea, quæ in examine facto mutanda deprehendit. (11.) Tandem fuga malorum, societas eorum, qui Deum timent. At mecum nosse debes, Christiane commilito, media hæc Pharmaci naturam habere, quod nisi ab ægroto assumatur, morbum non pellit, sanitatem non promovet. His itaque utere mecum.

CAPUT

CAPUT XXIV.
De
JUSTIFICATIONE

Σύνοψις.

ILli, qui vita spirituali prædita, etiam justificantur. §. I.

Ad justificationis materiam rectè intelligendam, primò expenduntur voces originales. §. II.

Tum Justificatio definitur. §. III.

Dein indicatur is, qui justificat, Deus scil. Triunus. §. IV.

Nempe quando fidelis à Satana, lege, conscientia coram ipso accusatur. §. V.

Nec habet quod propriam justitiam opponat. §. VI.

Unde constat causam Justificationis non esse propriam hominis justitiam. §. VII.

Atqæ actum Justificationis profluere ex immensa gratia Dei. §. VIII.

Qui tamen actus nihilominus justi & sancti Judicis est. §. IX.

Quippe causa justificationis meritoria est omni numero perfecta Jesu Christi justitia, loco nostro præstita. §. X.

Quæque fideli donatur. §. XI.

Me-

Medium verò necessarium, quò præstans hoc donum accipitur, est Fides. §. XII.

Et ea vera, viva, fructuum ferax. §. XIII.

Unde fluit, duo extrema fugienda esse, (1.) *Ne causa justificationis propria hominis justitia habeatur.* (2.) *Ne fides mortua, inanis ea dicatur, quâ homo justificatur.* §. XIV.

Fides tamen se non habet ut causa justificationis, sed medium apprehendens justitiam Christi. §. XV.

Ex dictis porrò fluit illum justificationis certum esse, qui viva & fructibus justitiæ fertili fide pollet. §. XVI.

Tandem adferuntur duæ Justificationis partes, quarum prima remissio peccatorum. §. XVII.

Quæ definitione & phrasibus scripturariis illustratur. §. XVIII.

Natura ejus dein deducitur. §. XIX.

Objectio quoque solvitur. §. XX.

Tandem observatur, peccata præterita remitti, non futura. §. XXI.

Altera est adjudicatio vitæ æternæ. §. XXII.

Quæ jam ab æterno facta. Fit etiam in tempore in conscientia fidelis. Solenniter fiet in judicio ultimo. XXIII.

§. I.

§ I.

Illi, in quibus vita spiritualis est, quique vera & viva fide Christum apprehendunt, etiam justificantur. Quod tum ex locis Scripturæ Rom. III, 24. 25. Jac. II, 17-f. tum ex natura fidei, quæ semper per charitatem efficax Gal. V, 6. tum ex absurdis constat. Vel quis dicet justificari hominem, in quo vita spiritualis non est? Aut in quo fides non exstat, & quidem viva?

II. *De Justificatione ex professo dicturi initium facimus à vocibus originalibus earumque in hac materia notione.* Hebræi appellant הצדיק *facto judicio aliquem absolvere.* Es. L. 8. Cujus oppositum est הרשיע *facto judicio aliquem condemnare.* Deut. XXV, 1. הצדיקו *absolvent justum*, והרשיעו *& condemnabunt improbum.* cf. Prov. XVII, 15. Græci tum LXX. tum Scriptores N. Testamenti enuntiant δικαιῶν itidem *absolvere* à facta accusatione Rom. VIII, 33. Unde constat, voces Originales, ad quas solùm attendendum nobis est, actum judicialem, quô pars sententiâ judicis absolvitur, significare. Et si loca reperirentur, in quibus memoratæ voces paulò aliter acciperentur, attamen quæ hanc materiam tractant, modo forensi exponenda sunt vid. Job. IX, 2. 3. Ps. CXLIII, 2. Rom. III, 24. 25. IV, 2. 3. 6. 7. 8.

7. 8. ubi explicatur *per remittere peccatum, non imputare peccatum,* Rom. VIII, 33. Accedit quòd justificatio fidelis coram Deo sub processu judiciali sistatur, unde quæ in hoc communiter reperi solent, Scriptura refert de materia justificationis.

III. *Justificatio est gratiosus actus Dei Judicis, quô is verum fidelem propter justitiam Jesu Christi à peccatis absolvit & vitæ æternæ hæredem declarat.* Quâ de materiâ prolixè Paulus ad Rom. cap. III. & IV. Jacobus II, 17-20.

IV. *Qui justificat hominem, Deus est,* quod tum ex Scriptura, tum ex natura justificationis patet. Qui enim justificat, is homini peccata remittit. At potestas peccata remittendi penes solum Deum. Tribuitur autem modo Patri Rom. III, 25. modo Filio Jes. LIII, 11. modo Spiritui S. Rom. VIII, 16. 1. Cor. VI, 11. Illi ut creditori, cui satisfactum Rom. III, 24. 25. Ipsi ut sponsori, qui satisfecit pro nobis & cui Pater judicium dedit Joh. V, 22. 27. Huic ut testi sententiæ nondum solenniter prolatæ.

V. *Homo verò apud Deum accusatur à lege, Satana, conscientia.* Lex quippe varia postulata continet, quæ homo præstare debuisset, non autem præstitit, hinc illi præmium negat, pœnam verò comminatur Joh. V, 45. Satanas ὁ κατηγορῶν pariter eum accusat legis violatæ.

Apoc.

Apoc. XII, 10. Job. I, 9. II, 5. Denique conscientia justas accusationes sive à lege sive à Diabolo factas negare minimè audet, sed cum iis consentit Rom. II, 15.

VI. *Justus Judex accusationes cognoscit, examinat, reis proponit, ut, si pote, excipiant, respondeant, defendant causam suam. At non habent, quod opponant.* Nam *si* Deus *vult* cum homine *contendere* לא יענה אחת מני אלף *ad mille ne unum respondere valet,* Job. IX, 3. Potius supplices orant: *Noli in judicium cum servo tuo ire, nam nemo, qui vivit,* hâc ratione *coram te absolvitur* Ps. CXLIII, 2. Quod quoque clarissimum. Lex quippe ab homine poscit universalem, constantem, consummatam obedientiam. Qui unicam legem violaverit, ille jam maledictionis reus factus est Deut. XXVII, 26. Gal. III, 10. At nemo unquam, si Christum exceperis, absque peccato vixit. Etiam *justitiæ nostræ* כבגד עדים *ut vestis sordida sunt* Jes. LXIV, 5.

VII. *Unde patet causam justificationis fidelium non esse propriam justitiam.* Quod porrò inde constat, quoniam justificatio consistit in remissione peccatorum Rom. IV, 5-9. Act. XIII, 38. 39. Excludit dein propria opera, ceu quæ Deum ad justificandum proprie non movent Rom. III, 20. Etiam gloriationem excludit c. c. v. 27. Qualis verò locum habe-

haberet, si ob dignitatem operum suorum homo justificaretur.

VIII. *Quoniam tamen certum est Deum justificare quosdam, elucet profluere actum hunc ex gratia & misericordia divina.* Si enim Deus nobiscum ageret secundum jus, non absolvendi sed condemnandi essemus. Hinc Paulus ait: *Justificamur* δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι *gratis* sine merito nostro nonnisi *gratia ejus* (Dei) Rom. III, 24. Præterea quem Deus justificat, illum quoque salvat. At salus ex gratia Dei profluit. E. quoque justificatio. Eph. II, 8. Tit. III, 3. 4. 5. 6. 7. 2. Tim. I, 9.

IX. *At quamvis Justificatio sit actus Dei gratiosus, simul tamen est actus veri, sancti, justi Judicis.* Dixerat olim, hominem, qui legem transgressurus, maledictioni ejus subjiciendum esse. Dixerat quoque, illum vitam habiturum, qui legem adimpleturus est. Ut sanctus conjungi nequit cum scelerato. Ut justus suum cuique tribuit. Quare necesse erat, ut Deus glorificaretur, maledictio auferretur, obedientia præstaretur, peccator sanctificaretur, justitia adeoque exerceretur. Unde Paulus, qui justificationem gratiæ divinæ adscribit, simul dixit, justificari nos διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν χριστῷ Ἰησοῦ *per redemptionem à Christo Jesu factam.* E. quoniam Jesus Christus λύτρον, idq; sufficiens pro nobis solvit. Quare commate sequente addit, Christum in sanguine suo propitiato-

tiatorium propositum fuisse εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, *ad demonstrationem justitiæ suæ propter remissionem peccatorum prius factorum.* Nec juvat dicere, vocem δικαιοσύνη etiam alibi *benignitatem* notare. R. I. Proprius & formalis significatus est *justitia*, qui semper tenendus, nisi grave quid obstet. II. At hoc loco nihil obstat. Imò nexus & scopus pro illo faciunt. Illa enim intelligenda est δικαιοσύνη, quæ requirit effusionem sanguinis ad remissionem peccatorum, quæ accuratè loquendo *justitia* non *benignitas* est. Tenendum insuper quòd Justificatio, uti eam Paulus tractat, legem stabiliat, non abroget Rom. III, 31. si non abrogat, tum sequitur, postulato legis satisfieri.

X. *Tum verò egregiè legis postulatum adimpletum monstratur, si causa justificationis agnoscitur omni numero perfecta Jesu Christi justitia, loco nostro præstita.* Christus enim maledictionem legis subiit abstulitque Gal. III, 13. omne quoque legis postulatum implevit, Matth. III, 15. Rom. VIII, 3. 4. Totum hoc non sui sed nostri causa, imò nostro loco egit, 1. Petr. II, 24. 2. Cor. V, 21. Et quidem ex voluntate Patris, negotium hoc ad nominis sui glorificationem ipsi committentis atque ideo promittentis populo suo remissionem peccatorum vitamque æternam, (*Pater*) *sacrificio pro peccato peccatum condemnavit in carne.* ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν *ut jus legis in no-*

in nobis adimpleretur, Rom. VIII, 3. 4. Joh. XVII, passim. 2. Cor. V, 19-21. Rom. VIII, 1. Hinc Christus dicitur adduxisse *justitiam æternam* Dan. IX, 24. Factus *justitia nostra* Jer. XXIII, 6. 1. Cor. I, 30. Quomodo verò factus *justitia nostra*? Satisfaciendo pro nobis, debita nostra lytro suo expungendo, quomodo in foro terrestri haud semel obtingit, ut N. pro N. solvat.

XI. *Quam Christus justitiam obedientiâ & morte acquisivit, ea peccatori donatur.* Hinc à Paulo χάρισμα, χάρις θεῦ, δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τῦ ἑνὸς ἀνθρώπε Ἰησῦ χριςῦ, χάρισμα εἰς δικαίωμα, χάρις καὶ δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης, notanter vocatur, Rom. V, 15-18. Ex nexu constat, Apostolum agere de justificatione peccatoris atque his tradere modum, quo qui ex se condemnandus est, absolvatur, scil. donô, gratiâ. cf. 1. Cor. I, 30. 31. Atque hoc necessarium, si aliter justificatio obtinet. Homo enim propriam justitiam non habet. Deus sanctus, justus non justificat nisi demonstrans justitiam suam, ut esset justus Rom. III, 24-27. Quare aut nulla est justificatio, aut justitia Christi nobis donatur. Quemadmodum verò donum, quod pauperi datur, pauperis est, sic quoque justitia Christi, quæ peccatori donatur, peccatoris est.

XII. *Medium verò necessarium, quô justitia Christi donata accipitur, est fides.* (1.) Nemo fide destitutus justificatur. Quod men-

dico manus ad Eleemosynam accipiendum, id peccatori fides. (2.) Unde toties *fide* justificari dicimur Rom. III, 28. *Colligimus igitur, hominem fide justificari.* cf. v. 24. 25. *Credenti in illum, qui justificat impium, fides ejus imputatur in justitiam,* c. IV, 5. hoc est, eo loco habetur, ac si omne δικαίωμα legis impleviſſet, cf. V, 1. Gal. II, 16. (3.) Et justitia nostra *ex fide* Rom. I, 17. *per fidem* III, 22. *non propria ex lege, sed quæ per fidem Christi, justitia ex Deo in fide,* Phil. III, 9. dicitur.

XIII. *Et quidem fides vera, viva, ferax fructuum.* (a) Nam alia fides in Scripturis non probatur. (b) Paulus passim docet, se non aliam fidem intelligere, maximè Gal. V, 6. (c) Etiam Jacobus fidem sine operibus mortuam adeoque nullam agnoscit, c. II, 20. (d) Fides vera, quæ non viva & fructuum ferax, ne quidem concipi potest. Quare nova fidei justificantis natura haud fingenda est, de qua Spiritus S. nihil novit, atque in causa, quod homines, qui fidem in ore tantum habent, cum periculo animarum arbitrentur, sibi esse fidem ad justificationem peccatoris necessariam.

XIV. *Duo itaque probè cavenda sunt in hac de Justificatione materia: Quorum primum, ne causam Justificationis statuamus propriam Justitiam. Alterum, ne fidem inanem, vanam, mortuam, oris pro illa venditemus, quâ*

quâ justificari dicimur. Utrumque periculosum & veritati inimicum est. Imprudenter illi, dum primum errorem infringere conantur, in alterum non minus gravem incidunt. Illi se opponit Paulus disputans cum Judæis τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην *propriam Justitiam* ex operibus legis statuentibus Rom. X, 3. Huic Jacobus, rem habens cum falsis Christianis, qui fidem sine operibus ad justificationem sufficere putabant. Atque si ita ad scopum, quem uterque Apostolus præfixum tenet, ritè attendimus, sibi ipsis non contrariari facilè cognoscemus.

XV. Quando verò fidem vivam, fructuum feracem, necessariam asserimus, ex antecedentibus constat, eam non haberi causam justificationis meritoriam, ceu quæ sola Christi justitia est. χάριν medii tantùm habet, attamen ex voluntate Dei necessarii. Quemadmodum nemo justificari posset, nisi Christus pro illo mortuus, ita quoque nemo actu justificatur, nisi in quo vera fides est. Quomodo deceret Deum justificare hominem, qui peccata eorumque turpitudinem non agnoscit, non animitus dolet, non serió constituit vitam malam relinquere, scelera non actu intermittit, Deum non amat, voluntati ejus se non subjicit? Quis hæc cum sanctitate Dei conciliaret? Abrahamus, David, exempla justificatorum probata id satis probant, Rom. IV, 1-9. Jac. II, 21-f.

XVI. *Unde patet, neminem de justificatione sua certum persuasumque esse posse, nisi qui viva & fructibus justitiæ fœcunda fide pollet.* Verum quidem, quòd Deo ab æterno omnia nota, etiam noti sint justificati vel justificandi. Sed quod Deo notum, non mihi, tibi &c. notum, nisi juxta criteria, quæ in hunc finem data sunt. Ais. At Spiritus S. testatur quòd sim filius Dei. Si testimonium cordis testimonium Spiritûs S. est, tum necesse, ut idem in te veram peccatorum fugam, sanctum Dei amorem, sincerum pietatis studium produxerit. Alioquin testimonium cordis suspectum ducendum est. In corde humano non solùm loquitur sanctus sed & impurus Spiritus. An hic vel ille loquatur, ex materia cum Scriptura conveniente vel non conveniente dijudicandum est. Quicunque in peccatis vivit, putatque se audire testimonium Spiritûs S. quòd sit filius Dei, quòd vita contaminosa cum justificatione consistere queat, ille miserè decipitur. *Non est condemnatio in illis, qui in Christo Jesu.* Sed quales illi? *Qui non secundum carnem sed secundum Spiritum ambulant*, Rom. VIII, 1. *Jus legis impletur in nobis, qui non secundum carnem sed secundum Spiritum ambulamus*, v. 4. Lege reliqua in hoc Capite. *Videte igitur, hominem ex operibus justificari & non ex fide tantùm*, Jac. II, 24. fide scil. quæ ab operibus divulsa est, qualem somniabant

bant mali Christiani. Aliàs vera fides cum operibus conjunctissima v. 20.

XVII. *Constat Justificatio duabus partibus*, puta *peccatorum remissione & vitæ adjudicatione*. Nam justificatus possidet justitiam Christi, per consequens absolvitur à peccatis suis atque jus vitæ æternæ habet. Hinc etiam Scriptura conjungere solet: *Beati, quorum peccata remissa sunt*, Rom. IV, 7. cf. Act. XXVI, 18.

XVIII. *Remissio peccatorum*, quæ prima justificationis pars, *est actus gratiosus Dei Judicis, quò fidelibus propter mortem Jesu Christi pœnam, quam peccatis suis commeriti sunt, remittit*. Hebræi exprimunt per נשא *ferre, auferre*, Exod. XXXIV, 7. allusione, ut videtur ad sacrificia Lev. XVI, 22. Joh. I, 29. Item סלח *condonare*, Ps. CXXX, 4. *tegere peccata*, Ps. XXXII, 1. cum quo coincidit כפר Dan. IX, 24. *non imputare perversitatem* Ps. XXXII, 2. Græci ἀφιέναι ἀφειλήματα, *remittere debita*. Loquendi ratio desumpta est ab ære alieno, quod in rationes refertur. Nam peccata nostra sunt æs alienum, quod Deo debemus cf. Matth. V, 25. 26. XVIII, 23. 24. quod verò ex gratia ob λύτρον Jesu Christi expungit.

XIX. *Remissionis peccatorum naturam clariùs cognoscemus attendentes ad peccatum ejusque in homine effectum*. Peccatum hominem debitorem Dei facit, pœnæ subjicit, se-

parat illum à Deo, causa est, quominus gratiæ Numinis ad vitam spiritualem particeps reddatur. Hinc peccator, cujus peccata retinentur, secundum carnem ambulat, peccato servit. Quando verò peccata remittuntur, sequitur, debita ex libro rationum deleri, Ps. LI, 3. ad pœnas commeritas non condemnari Rom. VIII, 1. Peccatorem reconciliari cum Deo 2. Cor. V, 19. Hinc frui Deo propitio, cuncta donante, quæ ad vitam spiritualem ducendum pertinent, Tit. III, 6. Gal. IV, 6. Unde is, cui remissa sunt peccata, non amplius peccato servit sed justitiæ Rom. VI, passim. Ps. CXXX, 4. *Apud te remissio peccatorum, ut timearis.* Ratio quoque clara. Deus nemini gratiam facit, qui eâ abutitur, legibus ejus adversatur. Unde qui certus esse vult de remissione peccatorum, certus esse debet de sincero proposito & conatu peccata deserendi, secundum Spiritum vivendi Rom. VIII, 1. 4. Nam *qui in carne sunt, Deo placere nequeunt*, c. c. v. 8.

XX. *At dices: Si remissio peccatorum præter alia involvit liberationem à pœna commeritâ, quâ ratione fit, ut plurimi fideles diras satis pœnas subire cogantur?* Resp. (1.) Involvit quidem liberationem à pœna, sed non omni. (2.) Pœna, quæ immittitur Filiis Dei, nonnisi temporalis, paterna potius castigatio quàm pœna Judicis, Hebr. XII, 5-9. (3.) Unde non infligitur ad compensationem injuriæ Deo

Deo per peccatum illatæ, aut ad nocendum fidelibus sed eos juvandum. Attamen fidelium peccatum ideò leve non habendum est, grave satis & tantò gravius, quò illis major gratia data est ad non peccandum quàm infidelibus. Deo quoque maximopere displicet & in causa, quod liberos suos duriter tractet, subinde majoribus afflictionibus temporalibus afficiat quàm impios, quod ex variis exemplis, maximè Davidis, constare potest.

XXI. *De peccatorum remissione tenendum, quòd præterita respiciat, non futura.* Qui justificatur, absolvitur à præteritis delictis, minimè privilegium peccandi cum spe veniæ accipit. *Quid igitur dicemus? An permanebimus in peccato ut gratia Dei abundet? Minimè.* Rom. VI, 1. 2. Perpende etiam reliqua. *Si in luce ambulamus, uti ipse in luce est, communionem inter nos invicem habemus, & sanguis Jesu Christi filii ejus purgat nos ab omni peccato*, 1. Joh. I, 7. Qui verò non in luce ambulat, ille sibi remissionem peccatorum polliceri nequit. Fidelis, cui peccata remissa sunt, jugiter memor sit verborum: *Ecce sanatus es, noli amplius peccare.* Joh. V, 14. Qui verò, postquam sibi videbatur de condonatione pristinæ malæ vitæ persuasus, in peccatum incidit, ille de novo gradus pœnitentiæ observare, atq; veniam à misericorde Deo in Christo Jesu petere tenetur, Ps. LI. Matth. XXVI, 75. *Hæc*

scribo vobis filioli, ne peccetis. Si quis verò peccaret, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum. Cave verò exponas contra mentem Apostoli *si quis verò peccaret* ex opinione hominum carnalium.

XXII. Altera justificationis pars est *adjudicatio vitæ.* Vita secundum legem ejus, in quo nullum peccatum, in quo δικαίωμα τῦ νόμυ. At fidelibus peccata remissa sunt & jus legis in illis adimpletum est, Rom. VIII, 1. 4. Secundum Evangelium vita eorum, qui in Christum credunt Joh. III, 16. At illi, de quibus nos loquimur, credunt. Ergo eorum quoque vita. *Beatus ille vir, cui Deus non imputabit peccatum*, Rom. IV, 8.

XXIII. *Adjudicatio hæc jam ab æterno facta est*, quæ verò apud Dominum Deum nostrum abscondita latet. *Dein adjudicatio hæc etiam in tempore fit* per testimonium Spiritûs S. Rom. VIII, 16. unde fideles cum Paulo dicunt *spe salvati sumus* c. c. v. 24. Procul dubio plurimi se fallunt, seque hæredes vitæ æternæ habent, qui non sunt. At hoc inde, quod ad criteria beandorum non attendant, quæ plura exstant tum in memorato octavo ad Romanos capite, tum Matth. V, 3-12. Itaque qui prudenter & tutò agunt, illi primò soliciti de signis eaque custodiunt, tum quoque de vita æterna in Domino gloriantur. Rom. V, 1. 2.

Tan-

Tandem solennis adjudicatio erit in ultimo Judicio. Tum enim Rex ad illos, qui ad dextram collocati sunt, dicet. Venite benedicti Patris mei, possidete Regnum paratum vobis à jactis mundi fundamentis. Matth. XXV, 34.

CAPUT XXV.
De
ECCLESIA.

Σύνοψις.

ILli, quibus beneficia offeruntur & applicantur, dicuntur Ἐκκλησία. §. I.

Quod nomen ex origine & usu suo explicatur. §. II.

Quâ nominis tractatione præmissâ observatur, Ecclesiam considerari vel juxta Communionem internam cum Christo, vel juxta externam. §. III.

Prior modus in genere explicatur, illustraturque aliis vocibus scripturariis. §. IV.

In specie (I.) observatur, quam χάριν *circa internam Ecclesiam Deus habeat, ceu qui ab æterno de ea consultavit, gratiam suam in tempore promulgavit, media eam con-*

se-

sequendi obtulit. §. V. VI.

Jesus Christus vero pro ea satisfecit, & eam sibi in peculium acquisivit. §. VII.

Dein (II.) notatur, quem respectum Ecclesia circa gratiam Dei & Jesu Christi teneat. §. VIII. IX.

Ex his nonnulla consectaria sequuntur

(α) *Quòd unio sit inter Deum & Ecclesiam.* §. X. XI.

(β) *Quòd quoq; unio inter Christum & Ecclesiam sit.* §. XII.

Ex hac unione ingentia beneficia ex Deo & Jesu Christo in Ecclesiam redundant. §. XIII.

Ecclesia verò obligatur ad fugam mali, amorem boni, sancti. §. XIV.

(γ) *Quod tandem etiam unio inter membra Ecclesiæ.* §. XV.

Quæ quoque varia officia mutua ex se progignit. §. XVI.

Hæc Ecclesia Catholica est sive continet omnes fideles, qui unquam exstiterunt, qui nunc existunt, aut unquam exstituri sunt. §. XVII.

Dispescitur in Ecclesiam triumphantem & militantem. §. XVIII.

Militans invisibilis est XIX.

Atque errores, qui fidei Christianæ naturam evertunt, errare nequit. §. XX.

Sequitur consideratio Ecclesiæ juxta communionem externam cum Christo. Ubi in specie probatur, quòd fideles in Spi-

Spiritu uncti etiam externè Christum profiteri & eum unâ colere debeant. §. XXI.

Sed his immixti sunt plures, qui internè cum Deo & Christo uniti non sunt. §. XXII.

Ecclesiæ dein Christianæ externè consideratæ non conveniunt in articulis fidei, non in vita, nec vinculo amoris coniunctæ sunt. §. XXIII.

Ostenduntur igitur notæ optimæ Ecclesiæ externæ tum in genere, veluti quæ proximè accedit ad formam Ecclesiæ, qualem Christus & Apostoli descripserunt. XXIV.

Tum in specie (1.) *quæ omnem & solam doctrinam Christi in rebus fidei tenet.* (2.) *Quæ pietatem commendat & præstare contendit.* (3.) *Quæ bonum regimen observat.* §. XXV.

Juxta has notas Ecclesiæ particulares probandæ sunt. §. XXVI.

Examen verò docebit unam præ altera ad illas accedere. §. XXVII.

Adeoque eorum sortem felicissimam esse, qui communionem colunt cum Ecclesia Apostolicæ simillima. §. XXVIII.

Quamvis ad salutem minimè sufficiat, ut quis nonnisi membrum Ecclesiæ externæ purissimæ sit, oportet porrò sit membrum Ecclesiæ internæ. §. XXIX.

§. I.

§. I.

I. *Illi, quibus beneficia Christi & offeruntur & applicantur, communi nomine* Ἐκκλησίας *Ecclesia dicuntur.* 2. Cor. I, 1. 2.

II. *Nomen vi originis notat concionem à præcone evocatam.* LXX. substituunt Hebræorum קָהָל. Solet tum apud memoratos Interpretes, tum etiam apud Scriptores N. Testamenti variè adhiberi, utpote notat quamvis hominum turbam Act. XIX, 32. etiam ex malis constantem Ps. XXVI, 5. Speciatim Ecclesia Christiana, quæ rarissimè ad distinguendum à Judæorum cœtu Συναγωγὴ dicitur Jac. II, 2. sæpissimè Ἐκκλησία audit, sive comprehendat Pastores & Auditores simul Act. VIII, 3. Rom. XVI, 16. Matth. XVIII, 17. sive hos tantùm Act. XX, 28. 1. Tim. III, 5. sive membra externæ societatis, quæ Christum caput suum profitentur Act. II, 47. 1. Cor. XI, 18. sive membra spiritualiter cum Christo conjuncta, verè viva Eph. V, 23. 25. 27.

III. Præmissâ Ecclesiæ voce, rem ipsam propius tractabimus. *Ecclesia consideratur vel juxta communionem internam cum Christo, vel juxta externam.*

IV. Illô modô est cœtus hominum ad Regnum Christi vocatorum, qui omnes ipsum non solum externè caput profitentur, sed & in fide

cum

cum illo conjuncti omnem ejus voluntatem præstare contendunt. Aliàs vocatur *Corpus*, 1. Cor. XII, 12-15. Etiam *Regnum*, Col. I, 13. *Sponsa*, Ps. XLV, 10. ut exprimatur arctissima Christum inter & Fideles communio, ordo, protectio, obedientia, tenerrimus affectus, quô seinvicem prosequuntur.

V. *Tria hîc exponenda veniunt I. Quam χέσιν habeat Deus, speciatim Jesus Christus. II. Quam quoque corpus sacrum. III. Quæ hinc Ecclesiæ attributa resultent.*

VI. I. *Deus, qui ab æterno consilium pacis de Ecclesia sua iniit, in tempore ordinavit, ut in felicem effectum deduceretur.* Quare, quando sacrum hoc corpus natura perditum est, curavit, ut miser hic status membris innotesceret, ab iis ritè agnosceretur; Procuravit dein modum, quô ex illo liberari & in alium feliciſſimum transponi possent. Atque etiam in hunc finem sufficientia media, externa, interna suppeditavit. Dicta deductione aut probatione non indigent, utpote in superioribus prolixè tractata sunt. Unde optimo jure non semel *Ecclesia Dei* appellatur, 1. Cor. I, 2. XV, 9. Gal. I, 13.

VII. *Magis specialis respectus est Filii Dei ad Eccesiam, utpote qui ab æterno pro ea sponsondit, quæ ad glorificandum Deum requiruntur: Qui quoque in tempore sponsioni satis-*

satisfacturus in mundum venit, obedientiam usque ad mortem crucis præstitit, sicque sanguine suo Ecclesiam redemit atque in peculium sibi acquisivit Joh. XVII, 4. 5. Philipp. II, 8. Act. XX, 28. Pf. II, 8. Unde is Ecclesiam suam vocat Matth. XVI, 18. Dicitur Dominus Act. II, 36. Rex Pf. II, 6-f. Pastor Joh. X, 11. 15-19. Sponsus Hos. II, 21. 22. Caput Eph. I, 22. 23. Vitis Joh. XV, 1.

VIII. II. *Respectus verò Ecclesiæ ad Deum, speciatim Filium Dei hic est.* Ecclesia statum suum naturâ & propriis peccatis deperditum agnoscit, deplorat, firmiter credit, aliam ex miseria emergendi viam non esse, quàm quam Deus revelat, mediis, quæ liberationi destinata sunt, decenter utitur, Christum Prophetam, Sacerdotem, Regem habet, atque officia, quæ hinc profluunt, sincerè præstat. Unde dicitur *Ecclesia Dei, Christi, populus peculiaris,* Tit. II, 14. *oves,* Joh. X, 27. 28. *Sponsa* Apoc. XXII, 17. *corpus, membra,* Rom. XII, 5. 1. Cor. VI, 15. *palmites,* Joh. XV, 1. 2.

IX. *Memorata veræ Ecclesiæ insunt & inesse debent.* Quod requiritur ab uno quoque membro, id quoq; requiritur ab universo corpore. Scriptura memorata dogmata ut necessaria proponit, inculcat. Nec ullum ex iis ceu minus necessarium abesse potest. Non agnitio miseriæ: Non agnitio viæ liberationem monstrantis: Non Fides in Christum & obedientia.

X. III.

X. III. *Ecclesia, quæ ita comparata, est unita cum Deo, singulariter Jesu Christo. Unita quoque sunt membra inter se invicem.*

XI. *Primò Ecclesia unita est cum Deo,* quod varia Scripturæ loca testantur. Joh. XIV, 23. *Si quis me diligit, sermonem meum servabit: Et Pater meus diliget eum, & veniemus ad eum,* καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν *& mansionem apud eum faciemus.* 2. Cor. VI, 16. *Vos estis Templum Dei, sicut Deus dixit: Habitabo in illis.* 1. Cor. VI, 19. *Annon nostis, corpus vestrum esse Templum Spiritûs S. qui in vobis.*

XII. *Unita est speciatim cum Jesu Christo.* Joh. XVII, 24. *Pater, volo, ut ubi ego sum, etiam mecum sint illi, quos dedisti mihi.* cf. v. 21. Christus habitat *per fidem in cordibus nostris* Eph. III, 17. Unionem hanc clarissimè docent supra memoratæ similitudines, sub quibus Christus tanquam Dominus, Rex, Pastor, Sponsus, caput, vitis; Fideles tanquam populus, oves, sponsa, membra, palmites sistuntur.

XIII. *Ex hac unione uti ingentia beneficia in Ecclesiam redundant, ita vice versâ postulantur varia erga Deum & Jesum officia. Beneficia sunt.* Quemadmodum Deus fons omnis felicitatis, omnium spiritualium & terrestrium bonorum, ita unitus cum Deo nullo

vero bono carere potest, Gen. XV, 1. 2. Cor. XIII, 13. *Si Deus pro nobis*, cum nobis, *quis contra nos*? Rom. VIII, 31. Si Jesus Christus Dominus & Rex noster, tum nullus hostium nobis prævalere potest. Si is Pastor noster, deducet nos in prata viridia, aquæ adjacentia, abiget lupos, & ut bonus Pastor, animam suam pro ovibus ponit. Si is quoque Sponsus noster, quantus honor fidelium? Quàm tener amor, quo afficiuntur? Si præterea is caput, spiritus vitalis, sapientia, amor &c. membris abundè suppetet. Si is tandem vitis, palmites succo ad fructus ferendum nunquam carebunt. Ab hac unione arcessendum, quòd Paulus ea, quæ in Christo facta sunt, etiam in fidelibus facta referat, ceu qui in illo circumcisi, cum eo crucifixi, mortui, sepulti, vivificati, resuscitati, translati in cœlestia, Colos. II, 11. Gal. II, 20. Rom. VI, 3-7. Eph. II, 5. 6.

XIV. *Officia vero sunt.* Unio cum Deo & Jesu Christo causa esse debet derelictionis omnium eorum, quæ unioni aliquâ ratione obstare queunt, maximè vitæ sceleratæ Eph. V, 31. 32. 1. Cor. VI, 15. 16. 2. Cor. VI, 16-f. VII, 1. Unio ab Ecclesia, ceu summum bonum, agnoscenda, diligenda, æstimanda, prædicanda Ps. LXXIII, 25. 26. In luce itaque ambulandum, uti Deus in luce est, 1. Joh. I, 3. 5-8. Regi & Domino servitium & reverentia testanda est, Ps. II, 11. Malach. I, 6. Ovibus incum-

cumbit Pastoris vocem sequi Joh. X, 27. Sponsa redamat sponsum, *Dilectus meus est meus & ego illius* Cant. II, 17. Membra parata esse debent ad serviendum justitiæ Rom. VI, 19. Palmites denique & viti indivulsè adhærere & fructus ferre.

XV. *Unita quoque sunt membra Ecclesiæ inter se invicem.* Hæc unio ex priori profluit. Si enim membra cum Deo & Jesu Christo unita, tum quoque inter se invicem 1. Joh. I, 3. Unde accomparantur membris corporis humani 1. Cor. XII, 12. Vinculum unionis est Spiritus S. c. c. v. 11. Eph. IV, 4.

XVI. *Etiam hæc unio postulat officia mutua.* Quia fideles uno Spiritu aguntur, illis quoque eadem φρόνησις Luc. I, 17. Phil. II, 2. eadem voluntas Jes. II, 3. amor mutuus, quô unus alterum prosequitur Joh. XIII, 35. Phil. II, 2. contristatur cum tristi 1. Cor. XII, 26. ea præstat officia, quæ possunt utilia esse, benefaciendo Rom. XII, 13. instituendo, monendo Gal. VI, 1. intercedendo 1. Tim. II, 1. Exulare debet invidia, contemtus, avaritia aliaq; vitia, quæ Spiritûs communionem tollunt. Membrum corporis humani alii membro non invidet, aliud non contemnit, aut ei quidquam, quod necessarium, subtrahit.

XVII. *Ad hanc Ecclesiam pertinent omnes, qui unquam exstiterunt, qui nunc existunt, & qui in posterum extituri sunt, fideles.* Ec-

clesia vera nonnisi una proponitur Eph. V, 25. unum corpus sub uno capite Rom. XII, 5. una sponsa, uxor 2. Cor. XI, 2. Eph. V, 23. *Omnia, quæ in cœlis & terra, in unam summam in Christo collecta sunt* Eph. I, 10. Omnibus idem Redemtor, idem Spiritus, idem bonum, idem medium bonum consequendi &c. Eph. IV, 4. 5. Atque hoc sensu Ecclesia vera rectè *una, Catholica* dicitur.

XVIII. *Hæc nunc universalis vulgò & rectè dispescitur in Ecclesiam triumphantem & militantem.* Ad illam pertinent omnes fideles, qui ad hæc nostra tempora decesserunt, qui bonum certamen certarunt, Satanam, mundum, carnem devicerunt. Licet & hi, si Ecclesia militans militiam suam perfecerit, triumphum plenius acturi, & morte devictâ corporis vitam cum ineffabilibus aliis bonis gratiosissimâ brabeutæ sententiâ reportaturi sint 2. Tim. IV, 8. Ad hanc referuntur fideles, qui bonum certamen decertant, vel etiam decertaturi sunt. Horum Ecclesia militans vocatur, præeunte Scripturâ Es. XL, 2. 1. Cor. IX, 24. 2. Tim. II, 3. IV, 7. 1. Petr. V, 4. Dein quæ in bello vel certamine aliquo reperiuntur, eadem in Ecclesia in his terris existente. Atque hæc Ecclesiæ χίσις clarissimè docet, neminem præmium propositum consecuturum, aut Ecclesiæ triumphanti adscriptum iri, nisi qui bene certaverit.

XIX.

XIX. *Hæc Ecclesia militans est invisibilis quoad homines.* Deus, qui ipsum hominis cor intuetur, novit, qui sui sunt, licet malis hypocritis immixti vivant 2. Tim. II, 19. At ita se res non habet cum homine, qui judicat de altero ex sermone, factis. Tale enim judicium subinde fallit. Qui membrum hujus Ecclesiæ est, ille in Spiritu cum Deo, Jesu Christo unitus sit oportet, ille scelera animitus detestatur; ille fidem habet veritatibus revelatis, ille secundum Spiritum ambulat & opera verè bona agit. At de his nullus hominum infallibile judicium ferre valet. Unde sequitur, illos se aliosque turpiter decipere, qui existimant, membra Ecclesiæ visibilis purioris esse quoque membra Ecclesiæ invisibilis. *Non qui in propatulo Judæus, (talis) est* &c. Rom. II, 28. 29. *In Christo neque circumcisio neque præputium, (non externum, per consequens non professio sola Religionis Reformatæ) aliquid valet, sed nova creatura,* Gal. VI, 15. *Deus non est personarum acceptor, sed ex omni gente, qui timet illum & operatur justitiam, gratus illi est,* Act. X, 34. 35.

XX. *Eadem Ecclesia errare nequit errores fidei Christianæ naturam subvertentes.* Sunt enim hæc duo ἀσύζατα. Nam qui membrum hujus Ecclesiæ est, ille cum Deo & Jesu Christo fide unitus, ille Spiritu Dei agitur, ille peccatum odit, diligit sanctum, non ergò committere

valet errorem, qui fidei Christianæ naturam evertit. Aliàs absurdum sequeretur, posse aliquem in unione cum Christo esse, nec tamen vel illum cognoscere, vel vinculum, quod fides aut studium sanctitatis. Attamen fieri potest, ut membrum quasdam veritates fundamento superinstructas ignoret, aut non satis clarè intelligat, aut etiam de illis minùs rectè judicet, 1. Cor. XIII, 11-14. Rom. XIV. Exemplum prostat in ipsis Apostolis ante effusionem Spiritûs S. à fermento Pharisæorum nondum purgatis, quando tamen procul dubio jam membra veræ Ecclesiæ erant. Nec mirum, quandoquidem notitia nostra imperfecta 1. Cor. XIII, 9. atque errores ab educatione, informatione &c. adhærere soleant, qui, quando in statum perfectionis transponemur, abrogabuntur, tum residuæ tenebræ luce clarissimâ dispellentur.

XXI. *Hactenus Ecclesiam consideravimus juxta communionem internam cum Christo. In posterum quoque considerabimus quoad externam.* Vult quippe Deus, ut illi, cum quibus ipsi communio spiritualis intercedit, nomen suum etiam externè profiteantur, Matth. X, 32. Rom. X, 9. Requirit id gloria Dei & Salvatoris, cujus neminem pudere debet, licet versetur inter illos, qui aliam fidem tenent l. c. Rom. I, 16. Ubi verò plures ejusdem fidei professores unà vivunt, rectè agunt, si, præterquàm

quàm quòd corde credant, unà conveniunt, Deum Salvatorem laudant, colunt, seque mutuò ad servitium stimulant. Ita olim sub V. Testamento ordinabat Deus, quam quoque ordinationem tenebat Gens Judaica. Etiam Apostoli cœtus passim instituebant. Hos secuti sunt Christiani ad nostra usque tempora. Et meritò. Facit enim ad gloriam Dei, ad propagationem regni Christi. Solet quippe Deus ordinariò populum suum peculiarem præconio Evangelii, quod in cœtibus prædicatur, colligere.

XXII. *Optandum quidem, ut omnes, qui communionem externam tenent & Christum caput profitentur, etiam spiritu conjuncti essent. At tristis experientia contrarium probat.* Dantur, qui membra communionis externæ, non item internæ 1. Joh. II, 19. Ecclesia externè considerata hinc accomparatur *areæ*, in qua & triticum & palea, Matth. III, 12. *Agro*, in quo bonum semen & zizania, XIII, 24. *Sagenæ*, bonos & malos pisces continenti ibid. v. 47. *Magnæ Domui*, in qua vasa ad decus & dedecus 2. Tim. II, 20.

XXIII. *Optandum præterea, ut cuncti, qui Religionem Christianam profitentur, eosdem fidei articulos crederent, eosdem probatos mores viverent, vinculo charitatis sibi conjuncti essent. At proh dolor! Christus divisus est. Unus dicit: Ego sum Pauli; Alter vero:* Ego

Apollinis. 1. Cor. I, 12. 13. III, 4. Mores verè Christiani, inter quos eminere deberet charitas, rariùs conspiciuntur.

XXIV. In tanta autem Ecclesiarum Christianarum varietate uni alicui nos associare solemus, debemus. Quoniam verò unusquisque salutis suæ cupidus, illi suum nomen dat, *quæ ad internam cum Deo communionem optimè ducit*, quæri solet nota, ex qua hæc ab aliis dignosci queat. *Dignoscitur inde, quando proximè accedit ad formam Ecclesiæ, qualem Christus & ex hujus voluntate Apostoli nobis reliquerunt. Quæ superstructa super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, existente lapide angulari Christo Jesu*, Eph. II, 20. 21.

XXV. *Forma verò Ecclesiæ, quam Christus & Apostoli nobis reliquerunt, his partibus constat.* א. Tenet illa in rebus fidei omnem Christi doctrinam eamque solam II. Joh. 9. 10. Joh. X, 27. Eph. II, 20. 21. ב. Dein officia erga Deum, proximum, seipsum, maximè charitatem, quæ Christianorum tessera, probè inculcat atque præstare contendit. ג. Præterea observat bonum externum regimen, quô cuncta ἐυτάκτως se habent, mali reprehenduntur, vel ad tempus vel etiam omninò excommunicantur. Ad hoc regimen referuntur legitimum verbi præconium, usus Sacramentorum. Hæc à Christo & Apostolis Ecclesiæ Christianæ commen-

mendata esse nemo ignorare potest. Etiam primitiva Ecclesia Apostolica præ quavis alia (licet non absque omni nævo fuerit) memoratis partibus insignis existebat. Porrò partes hæ ita comparatæ sunt, ut nulla abesse possit. Neque enim Ecclesia Christiana concipi potest absque veræ fidei professione, aut morum, speciatim charitatis exacta inculcatione exercitioque, vel etiam absque regimine. Si enim nulla societas absque regimine consistit, multò minus sacra.

XXVI. *Quò nunc Ecclesia has partes pleniùs refert, eò magis probata meritò habetur. Et quò magis ab iis recedit, eò minùs.* Unicuique incumbit, comparationem coram Deo instituere atque tum judicium ferre. Accuratum examen docebit infelicitatem temporum nostrorum, quibus vix una aut altera particularis Ecclesia, maximè secundæ & tertiæ parti, satisfaciet. Quare omnium, maximè illorum, qui cœtibus præsunt & Auctoritate pollent, officium est curare, ut etiam externa Ecclesia, quantum licet, *non habeat rugam aut maculam vel tale quid, sed ut sit sancta & inculpata* Eph. V, 27.

XXVII. *Non tamen omnium eadem ratio.* Nonnullæ magis, aliæ minùs partes exprimunt. Illæ laudabiliores purioresque. Rursum quædam particulares Ecclesiæ de prima parte, sive veræ fidei professione maximè solicitæ sunt.

Non item de adimplendis officiis Christianis, aut eorum necessitate urgenda, vel de sanctiori Disciplina Ecclesiastica. Aliæ aliter.

XXVIII. Procul dubio eorum sors felicissima, qui communionem colunt cum Ecclesia Apostolicæ similima: Attamen & illi, qui membra cœtûs articulos fundamentales retinentis, sed iisdem fœnum, stipulam &c. superinædificantis, aut qui alios nævos habet, sunt, salutis suæ spem habere queunt, tum maximè, quando in his dissentiendi libertas conceditur, quæ jure negari nequit. *Unusquisque in sua mente* πληροφορείσθω Rom. XIV, 5. *Quicunque perfecti, idem sentiamus,* καὶ εἴ τι ἑτέρως φρονεῖτε *& si quid aliter sentitis, etiam hoc Deus vobis revelabit.* Philipp. III, 15. Charitas & æquitas Christiana longè plus valet ad fratrem lucrandum, quàm nimius rigor, qui quoque lites, motus, tumultus plures excitat, quàm æqua tolerantia.

XXIX. *Probè tamen tenendum inculcandumque, externam communionem cum Ecclesia puriori, si sola, absque interna, ad salutem nihil facere, nisi quod exitium augeat.* Luc. XII, 47. Is longè felicior, qui membrum cœtûs Christianorum non ita puri, quique tamen cum Deo & Jesu Christo in Spiritu unitus. Etenim externa fidei professio Deo non placet. Christianismus non consistit in nudis veritatum speculationibus earumque nexu operosè tra-

den-

dendo aut confitendo, vel etiam fervore pro Ecclesia aliqua particulari. Is demum verum beatumque membrum, qui, quod ore profitetur, corde credit Rom. X, 9. cujus fides per charitatem aliaque opera efficax Gal. V, 6. Jac. II, 18. Qui baptizatus servit Deo Patri, Filio & Spiritui S. Qui S. Cœna fruitur atque magis magisque cum Christo conjungitur. Qui commodum cœtûs ore, opere promovet, defectus adimplet, aut saltem adimplere studet, qui concives observat εἰς παροξυσμὸν ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων. Hebr. X, 24. qui est ex מזכירים *commonefacientibus Dominum*, nec silet, donec Jehova reparaverit & posuerit Hierosolymam in laudem in terra Jes. LXII, 6. 7.

CAPUT XXVI.
De
ECCLESIÆ MINISTERIO.

Σύνοψις.

Quemadmodum omnis bene ordinata societas regimen habet, sic etiam sacra. §. I. *Huic tanquam Caput præest Jesus Christus.* §. II.

Isque

Isque solus, non ullus homo, per consequens non Pontifex Romanus. §. III.

Christus quoque tanquam Caput, Rex, Ministros misit, qui voluntatem suam prædicarent. §. IV.

Quosdam, quos immediatè & extraordinariò miserat, instruxit irrefragabilibus cœlestis missionis documentis. §. V.

Quales post Apostolorum excessum nullos misit, nec mittere necesse fuit. §. VI.

Non tamen omne in Ecclesia Ministerium cessare debuit. §. VII.

Licet posterius à priori admodum diversum, §. VIII.

Ministerium Ecclesiæ præsens vel latè vel strictè spectari potest. Ad illud pertinent omnes Christiani. §. IX.

Maximè Patresfamiliàs & similes. §. X.

Hocce ministerium publicum Pastorum, si floret, valdè juvat. §. XI.

Ministerium Ecclesiæ strictiori acceptione illud est, quo certæ personæ se totas Ecclesiæ commodis consecrant, atque ex jure speciali publicè docent, veritatem defendunt, &c. §. XII.

Proferuntur nomina Ministrorum primitivæ Ecclesiæ. §. XIII. XIV.

Uti sunt Pastores. §. XV.

Doctores. §. XVI.

Angeli Ecclesiæ. §. XVII.

Epi-

Episcopi. §. XVIII.
Presbyteri. §. XIX.
Duces. §. XX.
Diaconi. §. XXI.
Diaconissæ. §. XXII.
Subjiciuntur septem circa hos titulos notæ. §. XXIII.
Qui Ecclesiæ ministrant, sunt Pastores, Professores, Præceptores. § XXIV. XXV.
Pastorum qualitates, aliæ, quæ doctrinam §. XXVI. XXVII.
Aliæ, quæ mores spectant. §. XXVIII.
Et quidem vitia, à quibus immunes §. XXIX. XXX.
Virtutes, quibus præditi postulantur. §. XXXI.
Memoratarum qualitatum necessitas evincitur. §. XXXII.
Unde sequitur, illos, quorum est Ministros vocare, ad illas Candidatos examinare debere. §. XXXIII.
Jus vocationis Ministrorum ex jure divino Ecclesiæ competit. §. XXXIV.
Ejusdem est jus remotionis, si gravis causa adest. XXXV.
Qui nunc consentiente Ecclesia jure vocationis utuntur, illorum est, magna solicitudine cœtuum commodo prospicere. §. XXXVI.
Nemo, nisi ita vocatus, publicum Ministerium sibi arrogat. Excipitur immediata divina missio. §. XXXVII.
Species illegitimè vocatorum, aut potius sponte ad Munus Ecclesiasticum consequendum currentium. §. XXXVIII.
Observanda à legitimè vocatis. §. XXXIX.

Pasto-

Pastorum functio generalior absolvitur concionando & catechisando. §. XL.

Cavenda in stylo, gestibus, materia concionum. §. XLI.

Observanda circa eadem. §. XLII.

Observanda circa Methodum & modum Explicationis. §. XLIII.

Dein circa dogmatica, quæ primo tractanda. §. XLIV.

Quænam Dogmata præ aliis tractanda sint. §. XLV.

Errores, si prudentia requirit, etiam pro concione refutandi sunt. §. XLVI.

Pastoribus maximè incumbit moralia proponere. §. XLVII.

Resipiscentiam, fidem, obedientiam Christianam. §. XLVIII.

Nec in genere tantùm, sed in specie, ut major fructus redundet. §. XLIX.

Prudentiæ pastoralis est præprimis vitia in cœtu grassantia tollenda sibi proponere. §. L.

Altera functionis Pastorum generalioris pars est Catechisatio, cujus ostenditur utilitas. §. LI.

Modus. §. LII.

Sequitur specialior functio, quâ Pastor singulorum specialem curam habet. §. LIII.

Huc referuntur visitationes domesticatim institutæ, speciatim visitationes afflictorum, ægrorum. §. LIV.

Quæ multùm efficaciæ inde sumunt, si Pastores bonum exem-

exemplum præbent. §. LV.
Ministris Ecclesiæ insuper accensendi sunt Præceptores. §. LVI.
Eorum qualitates. §. LVII.
Si earum ratio non habetur, magna scholarum corruptio oritur. §. LVIII.
Tandem Ministris Ecclesiæ annumerandi Professores, præprimis Theologiæ. §. LIX.
Horum requisita. §. LX.
Functiones. §. LXI.
Quæ neglectæ ingens in Academiis damnum causantur. §. LXII.

§. I.

SI omnem Societatem, tum vel maximè sacram ἐυτακτον *regimen decet, ornat, juvat.* Nam societatis commoda absque regimine ritè promoveri nequeunt. Nequeunt incommoda, hostes tolli, abigi. Unde Ecclesia non semel sub similitudinibus, veluti *regno, exercitu, domo*, quæ à regimine commendantur, sisti solet. Et Paulus jubet 1. Cor. XIV, 40. πάντα ἐυσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. *Omnia decenter & secundum ordinem fiant.* Uti quælibet gubernatio habet caput, Ministros, Subditos, sic & Ecclesiastica.

II. *Caput est Jesus Christus.* Quod tum constat ex nominibus, qualia sunt *Caput*, Eph. I, 22. Coloss. I, 18. *Dominus*, Act. II, 36.

Prin-

Princeps, Act. V, 31. *Rex Regum & Dominus dominantium*, Apoc. XIX, 16. *Pastor*, imò *summus Pastor*, Joh. X, 11. 1. Pet. V, 4. Hebr. XIII, 20. tum ex attributis. Qui caput aliorum esse vult, oportet ut ritè constitutus sit: Dein, ut quæ capitis sunt, præstare queat: Tandem, ut membra subjecta sint: Denique, ut membra protegantur, bonis suis locupletentur, adversus hostes defendantur. Omnia hæc in Christum quadrant. *Primum*: Nam Deus Christum *dedit* κεφαλὴν *caput super omnia Ecclesiæ*, Eph. I, 22. cf. Matth. XXVIII, 18. *Secundum*: Christus omnipotens, omniscius, optimus, justus. Nihil itaque resistit potentiæ ejus: Nihil illum latet: Erogat abundè gratiam. Unicuique suum tribuit. *Tertium*: Præscribit leges, ad quas membra vivere tenentur vivuntque, 1. Joh. II, 4. 5. *Ultimum*: In tempore protegit, ne adversitates noxiæ sint. Tandem in æternam gloriam suam assumit, sed hostes damnat ad supplicia. 2. Thess. I, 7. 8. 9.

III. *Christus non solùm Ecclesiæ Caput est, sed solus.* (1.) Nam aliûs Scriptura non meminit. Meminisset procul dubio, si aliud præter Christum agnoscere deberemus. (2.) Aliud aliquod caput non necessarium. Nam Christus, licet in cœlo quoad humanam Naturam, quoad Divinam Ecclesiæ suæ semper interest, Matth. XXVIII, 20. XVIII, 20. & quæ necessaria, salutaria, curat. (3.) Memorata capitis attri-

attributa in nullum hominem cadunt. Cor maximè, quod præcipuam partem cultûs sacri & conjunctionis cum capite constituit, à nullo homine investigari, regi &c. valet. (4.) Ecclesia N. Testamenti κατ' ἐξοχὴν est *Regnum Cælorum* sive *Dei*, quod humano regimini non subest. (5.) Unde Caput Jesus Christus primariis, qui unquam extiterunt, Ministris omni dominatione interdixit, Matth. XX, 25-28. Hinc se *servos* Dei & Jesu Christi vocitant, Paulus Rom. I, 1. Jacobus c. I, 1. Petrus 2. Petr. I, 1. Judas v. 1. dominium fidei à se alienum affirmant 2. Cor. I, 24. 1. Petr. V, 1. 2. 3. 4, (6.) Licet Scriptura Ecclesiam nullibi monuerit, fore ut post Christi exaltationem caput præficiendum sit, prædixit tamen, fore ut Anti-Christus talem dignitatem impiè sibi tributurus sit, 2. Thess. II, 4. Qui itaque se Ecclesiæ caput venditat, obtrudit, potius Anti-Christi personam sumit. (7.) Ipsa quoque experientia satis superque comprobat, quàm egregiè Pontifices Romani talem personam sustineant, quorum plurimi alium quàm mundi Spiritum non tenebant, quod ipsi Scriptores Pontificii de nonnullis, maximè seculo X. & XI. diffiteri minimè audent. *Quale putas corpus Christi, si talia capita?* Rectius dixeris capita cœtûs malignorum, quàm sanctorum.

IV. *Quia verò Jesus Christus caput est, ille etiam Ministros misit, qui voluntatem*

suam prædicarent. Factum id tum ante mortem, tum, & quidem maximè, post mortem. Matth. XXVIII, 18. *Mihi omnis potestas in cœlo & in terra data est. Proficiscimini igitur, discipulos facite omnes gentes, baptizate illas in nomen Patris & Filii & Spiritûs S.* Eph. IV, 11. Jesus Christus, qui super omnes cœlos ascendit, *dedit quosdam quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores,* cf. Act. I, 8. Luc. XXIV, 47. 48. Act. IX, 15.

V. *Jesus Christus præterea Ministros, quos immediatè miserat, irrefragabilibus cœlestis missionis documentis instruxit,* Marc. XVI, 15. 17. 18. Luc. X, 17. Act. V, 16. *Vid. supra L. XVIII. Tum in proprium, tum quoque in illorum, quos adituri, usum.* Ipsi primò persuasi esse debebant de divina voluntate, quam evidentissimè intelligebant ex cœlesti clarissima luce in cordibus ipsorum exorta, potestate miracula patrandi concessâ. Dein & illi, quos adibant, ex sanatione ægrotorum, resuscitatione mortuorum &c. divinam missionem haud difficulter nosse poterant Joh. III, 2. Unde porrò concludere tenebantur, eorum doctrinam, si vel maximè captum superat, aut præconceptis opinionibus adversatur, tanquam veram amplexandam esse.

VI. *Tales verò Ministri post Apostolorum cessum ad Ecclesiam nulli mittebantur,* sicuti

uti historia probat. Unde eorum functio extraordinaria habetur. Ratio est: Subsequenti tempore alius longè erat Ecclesiæ status, quàm ab initio præconii Evangelici: Quippe nomen Christi jam prædicatum in Judæa, Samaria, & finibus terræ. Jam cœtus Christiani per celeberrimas mundi partes formati erant, sicuti ex Historia Apostolica constat. Hinc extraordinarii ejusmodi Ministri non erant necessarii, uti prius, ideò non mittebantur. Solent enim viæ Dei ordinariæ esse, si valent. Quamvis minimè negandum, quòd etiam sequentibus seculis missi, vel in posterum mittendi sint, qui peculiaris missionis peculiaria dona conspicua fecerant aut facturi sunt, scil. quando requirebat aut requiret corruptus Ecclesiæ status in meliorem transformandus. Attamen non videntur ejusmodi documenta, quibus Apostoli instruebantur, necessaria, quippe non nova doctrina, aut novum Evangelium proponendum erat aut erit.

VII. *At licet Apostolorum ministerium in Ecclesia cessavit, non tamen omne ministerium cessare debet.* Quod partim ex praxi Apostolorum, partim ex natura & moribus hominum, qui Ecclesiam constituunt, constat. Ipsi Apostoli Episcopos, Presbyteros Ecclesiis plantatis præfecerunt, qui illas docerent, regerent, variè juvarent. Act. XIV, 23. Tit. I, 5. Paulus regulas reliquit, ad quas examinandi,

qui cœtibus præesse deberent 1. Tim. III. Tit. I, 6. &c. Idem & Petrus curam cœtuum Episcopis & Presbyteris serió commendarunt Act. XX, 17. 28. 1. Petr. V, 1-4. Si verò Apostoli adhuc superstites præficiendos judicarunt Ministros, multò magis ab excessu eorum Ministrorum opera necessaria est. Juniores ad notitiam veritatum Evangelicarum aliorum nonnisi ministeriô & operâ perveniunt. Etiam adultiores, sive naturâ torpeant, sive negotiis præpediantur, viva Ministrorum manuductione indigent.

VIII. *Magnum tamen Apostolorum ministerium inter & horum discrimen est.* Eorum auctoritas longè major, ceu qui immediatè à Deo missi erant. Nova & inaudita, quæ proponebant, ut divina & vera recipienda erant. Quæ verò ab his proponuntur, neminem obstringunt, nisi ex Apostolorum sive Prophetarum Scriptis desumpta doceantur, aut conveniant cum cordis dictamine.

IX. *Ministerium Ecclesiæ considerari potest vel latius vel strictius. Illô modô, quô omnes Christiani, qui Spiritum Dei habent, proximum in fide informare, ad virtutes adhortari, Ecclesiæ commodum pro dono concesso promovere debent.* Quæ enim dona Deus unicuique membro largitus est, illa in commune commodum impendere debet, nec licet invidere, si officio suo defungitur, 1. Cor. XII,

14-f.

14-f. Unde fideles jubentur alii alios informare, ædificare, incitare, adhortari, increpare, lapsos erigere. *Sermo Christi diviter in vobis habitet, in omni sapientia docendo & admonendo vos mutuò* &c. Col. III, 16. *Quapropter adhortamini alii alios & ædificate singuli singulos, sicut & facitis*, 1. Thess. V, 11. *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliqua offensa, vos spirituales reconciliate hujusmodi hominem cum Spiritu lenitatis*, Gal. VI, 1. cf. Rom. XV, 14. 1. Thess. IV, 18. Hebr. III, 13. Præterea omnes veri Christiani sunt Sacerdotes, Præcones: *Vos estis genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus peculiaris, ut virtutes ejus, qui vos ex tenebris ad admirabilem lucem vocavit, enuntietis* 1. Petr. II, 9. Vel an hæc pertinent ad solos Pastores?

X. *Hocce ministerium maximè competit illis, qui in dignitate aliqua constituti sunt, alios subjectos habent, uti sunt Parentes, Patresfamiliâs & similes.* Ita jam olim Parentibus præceptum datum, ut notitiam & amorem Dei liberis inculcarent, Deut. VI, 7. שננתם *acutè inculcabis ea filiis tuis, & loqueris cum iis (aut de iis), quum sedes domi tuæ & quum ambulas per viam tuam, quum cubas & cum surgis.* Quod præceptum pii Parentes præstiterunt, Ps. LXXVIII, 4. Illustre exemplum in Cœna Paschali exstat. Id ipsum

officium non minus sub N. Testamento valet, quod ex natura præcepti constat. Et Paulus mandat: *Parentes, educate liberos vestros in disciplina & admonitione Domini*, Eph. VI,4. Accedit, quòd alii his partibus ita commodè defungi nequeant, uti Parentes, Patresfamiliâs, nam hi jugiter cum liberis, servis conversantur, defectus norunt, auctoritate pollent, disciplinam exercere valent, amantur, quæ cuncta institutionem promovent.

XI. *Atque hoc Ecclesiæ ministerium non nullo loco habendum est*, ceu quod publicum valdè juvat. Hinc fit, ut tempora & loca, in quibus opinio grassatur, Personarum Ecclesiasticarum nonnisi esse, de Deo & rebus divinis loqui, alios adhortari ad studium pietatis &c. sint longè infeliciſſima, ceu in quibus regnat veritatum Evangelicarum ignorantia, impietas, colloquia & conventus non alii habentur, quàm de rebus vanis, mundanis. Hinc quoque fit, ut publicum Ministerium apud plures vel nullum vel exiguum fructum relinquat, majorem relicturum, si Auditores animum notitiâ & amore sanctitatis per privatas institutiones probè imbutum tenerent. Quare omnium Pastorum, quibus gloria Dei & salus Ecclesiæ curæ cordiq; est, calidum votum esse debet, ut memoratum Ministerium inter nos florentiſſimum sit. *Utinam totus populus Jehovæ (essent) Prophetæ, indente Jehova Spiritum suum super illos.*

illos. Est Mosis votum, quô simul imprudentem Josuæ Zelum corripit, Num. XI, 28. 29.

XII. *Vidimus Ministerium Ecclesiæ in latiori acceptione: Videndum quoque alterum in strictiori, quô certæ personæ se totas Ecclesiæ commodis consecrant, atque ex jure speciali publicè docent, veritatem defendunt, vitia objurgant, virtutes commendant, Sacramenta dispensant.* Ministerium prius huic non adversatur, sed subordinatum est, & subordinata inter se non pugnant.

XIII. *Ut verò hac de materia clarius agamus, primò in specie de publicis primitivæ Ecclesiæ Ministris, quales in Sacris notantur; Tum vero in genere de Ecclesiæ Ministris, præcipuisque partibus, quæ legitimum & utile Ministerium constituunt, dicemus.*

XIV. *Ministri Ecclesiæ ordinarii, quales in Sacris notantur, diversimodè vocari solent,* veluti Pastores, Doctores, Angeli Ecclesiæ, Episcopi, Presbyteri, Duces, Diaconi, nec non Diaconissæ. De singulis breviter.

XV. (1.) Ποιμένες *Pastores* Eph. IV, 11. nominantur, quorum erat *pascere oves.* Hebræis dicebantur רעים Es. LVI, 11. al: LVII, 3. Rabbinis פרנסים. Vox satis commoda ad Ministrum appellandum, nam Ministri similem curam habent pro auditoribus, quam Pastores pro ovibus. An tamen pro ordinario Ministro

vox l. cit. accipiatur, disceptatur. Saltem verum est, quòd loca, in quibus ex professo ordinariorum leges exhibentur, hos *Pastores* non appellent.

XVI. (2.) Διδάσκαλοι *Doctores*, Eph. IV, 11. Idem videtur titulus, qui Hebr. רבי *Rabbi*. Appellabantur à doctrina, quâ excellebant, quamque aliis proponebant. An hi pro ordinariis Ministris habendi sint, ex eodem fundamento, ex quo de superiori titulo, disceptatio movetur? Hinc minus solidum argumentum petitur pro gradibus *Doctorum*, qui nunc obtinere solent. Quamquam vox, ut distinguatur ab antecedentibus, videatur tales significare, quorum labor maximè in docendo consistebat, non item forsan Pastorum.

XVII. (3.) Ἄγγελοι *Angeli Ecclesiæ*, quales Rabbini שליח צבור appellant, Apoc. II, 1. Videntur Præsides Ecclesiarum Asiaticarum fuisse, qui earum curam suscipiebant. Unde Epistolæ, quæ spectabant ad cœtus, aut saltem ad cœtus & Præsides simul, Angelis inscribebantur, quò publicè prælegerentur.

XVIII. (4.) *Episcopi*, credibiliter à Rabbinis חזנים dicti, nomen habent, eò quòd inspectio cœtuum ipsis commissa fuerit, Phil. I, 1. 1. Tim. III, 2. Distinguuntur à *Diaconis*, Philipp. I, 1. Episcoporum requisita recensentur, 1. Tim. III. Tit. I.

XIX. (5.) *Presbyteri*, Hebr. & Rabb. זקנים

זקנים. Vox quemvis Seniorem subinde notat, 1. Tim. V, 1. 2. subinde tamē ministrum ecclesiæ, sive extraordinarium 2. Joh. I. sive ordinarium Tit. I, 5. qui à Paulo videtur distingui in Seniorem, qui *præest*, gubernat, & qui laborat in sermone & veritate, 1. Tim. V, 17.

XX. (6.) *Duces*, qui aliis doctrinâ & exemplô præeunt, prælucent. Hebr. & Rabb. ראשים forsan dicti, Hebr. XIII, 7. 24.

XXI. (7.) Διάκονοι Hebr. משרתים, qui aliis operâ inserviunt. Hôc nomine in genere omnes, qui Deo Rom. XIII, 4. Jesu Christo serviunt, 2. Cor. III, 6. speciatim Apostoli veniunt, Tum quoque, qui cum Presbyteris Ecclesiæ præfecti erant, Phil. I, 1. quique mensis ministrabant Act. VI, 1-7. quorum leges memorantur 1. Tim. III, 8-14.

XXII. Tandem *Diaconissæ*, quæ erant viduæ sexaginta minimùm annorum, probatæ famæ, quæ operâ suâ, quantùm poterant, Ecclesiæ inserviebant, maximè peregrinis & pauperibus, 1. Tim. V, 9. 10.

XXIII. Titulis his productis, atque brevi explicatione expositis, restat, ut notemus (1.) illos probabiliter ex Synagogis Judæorum ortum traxisse. Conveniunt enim tituli. Primi Christiani & eorum præfecti plurimi Judæi erant, qui prudenter retinuerunt, quæ cum utilitate & salva conscientia retinere poterant. (2.) Et

quemadmodum tituli à Judæis mutuò sumti sunt, ita ipsa quoque munera, quæ tamen speciatim ad statum Christianorum accommodabantur. (3.) Non tamen putandum, tot fuisse distincta munera, quot tituli producebantur. Nonnulli videntur generales, æquipollentes, quorum plures uni subjecto competere queunt. (4.)Plenam historiam de titulis atq; ipsis muneribus à se invicem distinctis ex Sacris ita hauriri non posse, ut nullæ restent difficultates, veluti quinam Pastores, Doctores, Episcopi, Presbyteri, Diaconi &c. dicti sint, & quomodo à se invicem distincti fuerint, & quæ alia. (5.) Paulum vel alios Apostolos Ecclesiis subsecuturis nullas perpetuas leges de externa Ministesterii forma, Ministrorum nomine, numero, ordine, functionibus dedisse. Hæc potiùs prudentiæ & pietati uniuscujusque Ecclesiæ relicta sunt, ut ordinaret ea, quæ sibi maximè utilia videntur, aut etiam mutaret, statu mutatô. (6.) Esset alioquin nullus contentionum & controversiarum finis, utpote pauciſſimæ sibi in cunctis externæ Ministerii formæ partibus conveniunt. (7.) At licet externa hæc Ministerii forma in cujusvis Ecclesiæ arbitrio sita sit, non tamen interna Ministrorum, sive, quantum fieri potest, exactissimè observanda, vindicanda sunt Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum requisita in cunctis, quibus publica Ecclesiæ cura committitur, 1. Tim. III, 1-14. Tit. I-5-12.

XXIV.

XXIV. Hæc dicta sunt in specie de Ministris Ecclesiæ primitivæ Apostolicæ. Nunc alia dicenda sunt de Ecclesiæ Ministris in genere, eorum requisitis, vocatione, officio.

XXV. Qui Ecclesiæ ministrant, sunt vel illi, qui integrum cœtum, publicè concionando, catechizando, in Christianismo informant, regunt, quique etiam uniuscujusque ex auditoribus specialem curam suscipiunt, aut qui partem tantùm, veluti Juventutem in Sacris erudiendam, docendam sumunt. Ad priorem classem pertinent Pastores: Ad posteriorem Præceptores, Professores.

XXVI. *Quod nunc Pastores concernit, oportet sint instructi qualitatibus, quæ ad munus gravissimum cum utilitate gerendum requiruntur.* Si politico muneri non alii præficiendi sunt, quàm qui dotes, illo dextrè defungendi, tenent, multò magis hoc requiritur in munere Ecclesiastico, illo & graviori & præstantiori.

XXVII. *Requisita quædam spectant doctrinam.* (1.) Pastor oportet clarè & distinctè intelligat doctrinam in verbo Dei contentam, illam maximè, quæ fundamentum salutis tradit. (2.) Oportet dein convictus sit de veritatibus, quarum præco futurus. Unde Paulus à Diaconis requirit, ut habeant μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει *mysterium fidei in pura conscientia*, 1. Tim. III, 9. (3.) Oportet porrò

porrò potens sit τὸς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν *contradicentes redarguere*, Tit. I, 9. (4.) Oportet insuper διδακτικὸς sit, 1. Tim. III, 2. non solùm ut ipse veritates intelligat, sed & aptus ad alios docendum, & quidem unumquemque pro conditione, ætate, circumstantiis, si aliter informatio utilis esse debet. (5.) Oportet præterea polleat quadam Linguarum Originalium, Historiæ Ecclesiasticæ notitiâ, maximè uti nunc sunt tempora. (6.) Oportet denique sapiens, prudens sit. Quanta enim sapientia, prudentia in concionibus, visitationibus, Ecclesiæ regimine &c. requiritur.

XXVIII. *Alia spectant mores.* Priora minimè sufficiunt, si vel maximè magnâ mensurâ, (quod de quibusdam recensitis verum esse posse credere nequeo) in Pastore existerent, deessent verò morum requisita. Vel nullus vel exiguus fructus, si non longè majus damnum ex Ministerio ejusmodi profluet. Quod Paulus optimè novit, quare in his recensendis longè prolixior quàm illis, 1. Tim. III. Tit. 1.

XXIX. *Quæ mores spectant, vel respiciunt vitia, à quibus immunes requiruntur vel virtutes, quibus præditi postulantur.*

XXX. *Vitia, à quibus immunes requiruntue vel in genere vel in specie indicantur. In genere.* Requiritur Pastor ἀνεπίλημπτος 1. Tim. III, 2. ἀνέγκλητος Tit. I, 6. qui inculpatè coram hominibus vivit, qui propter crimen in jus vocari

cari nequit. *In specie* requiritur (1.) ne sit αὐθάδης Tit. I, 7. qui sibi nimium placet, sua admiratur, suis pertinaciter insistit. Tales causa dissidiorum sunt. (2.) Ne sit *iracundus*, Tit. I, 7. qui irâ dictante cuncta loquitur, agit. Is alios instituere, monére cum fructu nequit, aversos potius animos reddit. (3.) Ne sit πλήκτης *percussor*, Tit. I, 7. minax atque ad verbera pronus sed ἄμαχος 1. Tim. III, 3. (4.) Ne sit *vinolentus*. Vinolentia inducit contemtum, rixas, somnolentiam, lasciviam & alia carnis opera. (5.) Ne sit αἰσχροκερδὴς *turpis lucri cupidus aut avarus*. Tit. I, 7. 1. Tim. III, 3. Talis enim quæstum sequitur, animarum curam nullo loco habet, nisi lucrum ex ea. (6.) Ne sit δίλογος *bilinguis*, 1. Tim. III, 8. Tali enim non credunt aut ægrè credunt, si etiam verum loquitur. (7.) Ne sit νεόφυτος *novitius*, 1. Tim. III, 6. Solent enim novitii insolescere, rixas excitare.

XXXI. *Virtutes verò, quibus præditi Pastores postulantur, sunt sequentes.* Oportet Pastor sit (א.) ὅσιος *sanctus*, qui cogitat, vult, loquitur, agit quod cum sancta volunate Dei convenit Tit. I, 8. (ב.) δίκαιος, qui neminem lædit, unicuique suum tribuit. (ג.) ἐπιεικὴς *æquus*, 1. Tim. III, 3. qui etiam de stricto jure suo remittit, placidum erga alium se exhibet. (ד.) φιλόξενος & φιλάγαθος, *hospitalis & benignitatis studiosus*, qui peregrinos, maximè pauperes, hospitio excipit,

cipit, illis benefacit, amorem excitat, ut verbum promtius audiant. (ה.) σώφρων, qui sapienter res suas agit. (ו.) ἐγκρατὴς, νηφάλιος, *temperans, sobrius*, qui cupiditates suas naturales ritè gubernat, continet, ne ferantur adversus leges divinas. (ז.) κόσμιος, qui decorum servat in actionibus suis, fugit luxum, sed & rusticitatem pro pietate non habet. (ח.) *Vir unius uxoris.* Tit. I, 6. non polygamus, uti inter Judæos plurimi reperiebantur. (ט.) *Qui benè præest domui suæ, & cujus liberi morigeri sunt*, 1. Tim. III, 5. Qui enim paucos, quique specialissimè curæ ejus subjecti sunt, regere nequit, quomodo cum fructu reget plures? (י.) Tandem bonæ famæ etiam apud exteros. Ne Evangelium convitiis proscindatur propter indignum Ministrum.

XXXII. *Hæ sunt qualitates, quas Paulus in idoneo Evangelii Ministro requirit.* δεῖ *oportet* (non ornat, vel juvat tantùm sed oportet) *ut Episcopus sit*, &c. 1. Tim. III, 2. cf. Tit. I, 7. Quare? Procul dubio, quia ministerio ejus, cui memoratæ dotes desunt, cœtus non ædificatur. Quod inde constat. An is, qui mysterium fidei ipse non intelligit, alios informare potest? Vel an is, qui cogitata aliis distinctè proponere nequit, auditores ædificare valet? Sic quoque impius de pietate raró verba faciet, aut ad malæ conscientiæ satisfaciendum exceptiones in Evangelio non formatas magno cum damno excogitabit, imó nequit omnem pietatis

tatis naturam nosse, quamvis quædam generalia capita cerebro impresserit. Quo cum fructu loquetur de virtutibus aut vitiis, si auditores norunt illum virtutes odisse, vitia sectari? Plura sunt in Religione Christiana, quæ non ex lectione sed sensu & experientia cognoscuntur, quæque tamen in regimine Ecclesiæ subinde in usum vocanda. Sceleratus, impius nullo Ecclesiæ amore capitur, non Ecclesiam diligit, sed Ecclesiæ reditus, hinc piger & in officio tædiosus, & nonnisi horas statas ob mercedem observat. Curæ pastorales plurimùm benedictionis cœlestis habent, si ex pia mente oriuntur, fidelibus precibus Deo commendantur. At impio talis cura & preces nullæ sunt.

XXXIII. Quæ cum ita se habeant, clarè docent magna solicitudine illos, quorum est Pastores vocare, in subjecta his qualitatibus instructa inquirere, non suffragium præcipitare, aut leviter cujusvis, qui de rebus mundanis rectius judicium ferre valet, commendationi credere debere. Vocatio Pastoris res est longiore consultatione, imploratione auxilii divini digna. Agitur certa ratione de salute animarum, nam operâ fidi Pastoris, Deô benedicente, oves in ovile Christi colliguntur. At inidoneitate, incuriâ, malitiâ mercenarii oves *dissolutæ, disjectæ ceu quæ Pastorem non habent*, vagantur, Matth. IX, 36. *Rogate itaq; Dominum messis ut mittat operarios in messem suam.* v. 38.

XXXIV.

XXXIV. *Quæritur autem penes quem sit jus vocandi. Ex jure divino est penes Ecclesiam, cui Pastor præficiendus.* Ejus est fusis ad Deum precibus judicia de Candidatis Ministerii colligere, eos ritè examinare atq; determinare. Act. I, 23. VI, 3. 6. XIV, 23. 2. Cor. VIII, 19. Dein quod jus aliæ societates habent, id procul dubio etiã sacra. At aliæ plures societates eligunt, à quibus regi cupiunt. Maximè probabile est unicuiq; Ecclesiæ Christianæ Pastoris sui electionem præ quibusvis aliis curæ cordique esse. Atque ita vocatio ab Ecclesia facta & obligationem & amorem mutuum fortius producit & conservat. Denique hic mos per aliquot secula in Ecclesia Christiana valuit.

XXXV. *Quemadmodum Ecclesiae jus vocandi competit, ita quoque jus removendi, si justam remotionis causam praebet Pastor.* Eligitur enim, ut Ecclesiam doctrinâ, regimine, vitâ ædificet. Si non ædificat, si eam offendit, cursum Evangelii retardat, impedit, jure ab officio amovetur. Si dimittuntur à munere politico illi, qui eo non ritè defunguntur, multò magis à munere Ecclesiastico inutiles, scandalosi amoventur.

XXXVI. *Ubi verò ex consensu Ecclesiae, accedente â longo tempore consuetudine, vel Presbyterium, vel unus aliquis Pastores vocat, potestate coram Deo magna cum cura utendum.* Non licet obtrudere Ministrum, adversus

quem

quem cœtus justè excipere valet. Nec assistendum ejusmodi Ministro, quem gravibus causis amotum vult Ecclesia. Adstringit necessitas Presbyterium aut Patronum, cœtûs commoda promovendi, atque idoneum Pastorem dandi. Si negat, & negare instat, Ecclesia primo jure utitur, atque ipsa vocat Ministrum qualitatibus supra memoratis præditum. Ex quo capite tempore Reformationis Pastores à cœtibus ritè vocabantur.

XXXVII. *Absque vocatione publicum Ecclesiæ ministerium nemo sibi arrogare debet.* Superiùs Apostolicam praxin vidimus, secundum quam Seniores membrorum suffragiis eligebantur. Æquum quoque: Nam uti nemo alii corpori ritè præest, nisi vocatus, ita non corpori sacro. Aliâs timendæ essent plures confusiones & motus. Hæc intelligenda sunt de vocatione ordinaria. Qui verò immediatè à Deo vocatus est & hujus vocationis documenta edit, illum nulla Ecclesia respuere valet. Hæc tamen extraordinaria vocatio in Ecclesia constituta non necessaria, hinc nullibi promissa. Imò dum Paulus catalogum qualitatum Episcopalium reliquit, docuit, Episcopos sive Pastores ex suffragiis Ecclesiæ juxta illum eligendos esse.

XXXVIII. *Legitimæ vocationi obstant solicitationes, prensationes, personarum acceptiones ob consanguinitatem, officium vocan-*

tibus, veluti in liberorum informatione, præstitum, Simoniæ. Hi enim propriè *vocati* dici non possunt. Ipsi & aliquando etiam consanguinei currunt, munus ambiunt, pro eo serviunt, aut id emunt. In electione non gloria Dei & salus Ecclesiæ purè spectatur. Vix dici potest, quantum malum, ubi nemini ad munus sacrum aditus conceditur, nisi petat & emendicet. Subinde fit, ut importuni petitores & qui munus Ecclesiasticum minimè intelligunt, dignioribus præferantur. Fit quoque, ut qui in conscientia edocti sunt vocationem honestè exspectandam esse, contra conscientiam stationem Ecclesiasticam quærant, hinc eam onerent. Cuncti, qui dicunt aut cogitant, *quæso coopta me in unam ex functionibus sacerdotalibus ut frustum panis comedam* 1. Sam. II, 36. bonâ conscientiâ munere defungi nequeunt, in adversis solatium & præsidium à Deo sibi promittere non possunt. O quantopere igitur optandum, ut omnis materia & ansa illegitimo ad Sacra perveniendi modo præscindatur, atque verè vocentur nonnisi illi, qui Paulinis dotibus insignes sunt!

XXXIX. *Legitimè vocatorum hæ sunt partes. Primò* vocationem magno ovium Pastori committere, eam exspectare, atque interea se precibus, labore, vitâ Christianâ ad munus præparare. *Tum* vocationem oblatam ratione laboris subeundi aut aliarum circumstantiarum examinare & cum statu suo conferre. *Præterea*

diffi-

difficultates, quæ oriuntur, Deo, etiam Viris, qui Deum timent, proponere. *Tandem* coram Deo munus acceptare aut recusare, si graves rationes illud vel hoc jubere videntur. Caveat autem, ne ratio acceptandi vel recusandi sit lautum salarium, major honos vel tenue stipendium sive minor honos.

XL. *Qui verò munus oblatum acceptant, eorum præcipua cura esse debet, ut eo ritè defungantur. Functio autem spectari potest vel in genere vel in specie. Functio Pastoris in genere considerata est, quâ contendit omnes vel plures Auditores in rebus fidei & vitæ informare. Peragitur verò tum concionando tum catechisando.*

XLI. *Concionaturi cavere sibi debent ab omni ostentatione in stylo, gestibus, materia.* Absint verba phalerata, constructiones arte quæsitæ & obscuræ, vocabula peregrina. Absint gestus affectati, comœdis proprii, quique Ministrum Dei maximè dedecent. Nulla eligatur materia suis nonnisi studiis & inclinationi grata, ad eruditionem ostentandum unicè aut maximè comparata.

XLII. *Concionaturi stylo potiùs simplici, claro, affectibus, quos natura & animus excitat, utantur. Thema tractent pro ratione Auditorum necessarium, utile.*

XLIII. *In Textuum expositione eam teneant methodum, quæ naturæ rei intelli-*

gendæ maximè accommodata, aut pro circumstantiis utilis videtur. Nam ad unam aliquam methodum singulos Textus tractare velle, nimis coactum est. Quæ clara & explicatione non indigent, frustra, cum dispendio temporis, nec absque tædio explicantur. Quæ verò requirunt expositionem, succinctè, quantum fieri potest, exponenda, & cuncta ritè ad scopum referenda sunt. Sensus literalis etiam tum, quando Mysticus latet, probè eruendus est. Allegoriæ non fundatæ in textuum expositione rectè intermittuntur.

XLIV. *Quæ Concionatores publicè proponunt, vel doctrinam vel vitam & mores spectant.* Illa minimè negligenda, imò præmittenda sunt, nam verus Dei cultus dependet à vera cognitione.

XLV. *Doctrina in Sacris proposita licèt omnis vera sit, non tamen ejusdem utilitatis & necessitatis est. Quare dogmata necessaria & præ aliis utilia sæpius & cum majori cura tradi merentur,* uti sunt capita de Deo, ejus existentia, omnipræsentia, omniscientia, sanctitate, providentia, de Jesu Christo, veritate Religionis Christianæ, judicio ultimo, vita & morte æterna. Non item alia, quæ rarius tantum proponenda & data occasione, qualia quæ directè nos non concernunt & obscuriora sunt, uti status fidelium V. Testamenti, decreta divina. *Præterea omnia dogmata, quæ docen-*

centur, docenda sunt cum solido ad pietatem nexu.

XLVI. *Nec veritates solùm tradendæ, sed & errores, ubi prudentia requirit, refutandi sunt.* Atque hoc Concionatoris officium tum utilitatem præstat, quando error inter Auditores notus atque periculum seductionis existit. Alioquin imprudenter hæreses refellendæ sumuntur, quæ vel obsoletæ aut saltem ignotæ sunt, sive de quibus nullum periculum timendum est. Cui usui? Prudenter omittuntur opiniones minoris momenti, de quibus etiam fratres diversa judicia ferunt. In Elencho maximopere cavendum, ne Adversario nova affingatur mens, animi exacerbentur, Auditoribus studium litigandi commendetur. Errores refutaturi & veritatis & charitatis rationem habere debent.

XLVII. *Concionatores, licet officium ipsorum sit, veritates proponere, atque etiam vindicare, majus tamen studium in vita Christiana describenda, commendanda, ab hypocritica & scelerata distinguenda, collocare tenentur.* Si vel maximè Auditores in studio dogmatico & elenchtico exercitatos redderent, non pios, majus inde surgeret damnum quàm lucrum. Quare multoties inculcandum, cognitionem absque pietate non alium habere usum, quàm quod iram Dei aggravet.

XLVIII. *Præcipuus itaque labor verorum*

Pastorum versatur in resipiscentia, fide per charitatem efficaci, omni alia obedientia Christiana tradenda, inculcanda; horum necessitate non quidem ad salutem promerendam sed consequendam adstruenda. Habent hi præeuntes Johannem, Christum, Apostolos. Auditores, benedicente Deo, reddunt beatos, dignos communione Dei. Imò eosdem hac ratione ad veram sapientiam ducunt, nam *timor Domini est initium sapientiæ.*

XLIX. *Atque ut laboris certiorem fructum consequantur, non sufficit vitam Christianam in genere proposuisse*, atque uno alterove Scripturæ loco confirmasse. Unde plurimùm applicationes generales apud neminem aut pauciſſimos fructum relinquunt. *Præstat magis specialiter mores Christianos tractare, eorum gradus, causas, signa, media recensere, variis argumentis ad eorum praxin movere. Consimiliter se res cum vitiis habet.* Vitia non solùm externa, quæq; Magistratuum, Presbyteriorum censuris, judiciis subjecta sunt, sed interna, veluti ira, invidia, odium, superbia &c. atro carbone notanda sunt. Experientia quippe comprobat, innumeros dari, qui titulo Christiani satisfactum esse putant, si in Magistratus vel Presbyterii pœnam non incurrunt.

L. *Maxima Pastorum prudentia in hoc consistere videtur, ut probè observent vitia gras-*

grassantia, atque hæc omni ratione tollere laborent. Habet unaquæque ætas vitia quodammodo sibi propria. Ex hodienis non ultimum locum meretur vana præsumtio veræ felicitatis ex sola professione purioris Religionis, simplici usu Baptismi, S. Cœnæ, frequentatione concionum, lectione Verbi divini. Quæ quidem cuncta insignem usum habent, si ad finem ritè referantur, aliâs non. Grassatur quoque maximum in modum defectus κοινωνίας Sanctorum. Plurimi ex divitibus & qui in eminentia constituti sunt, nullum sanum Christianismi conceptum habent, pauperes & eos, qui Deo longè gratissimi, contemnunt, cum iis conversari pro ignominia habent, superbiunt, comessantur, sua quærunt, neque ita Christianismi regulas violari arbitrantur.

LI. *Pastorum non solum est concionari, sed etiam catechisare.* Conciones magis exercitatis prosunt quàm junioribus, vel etiam adultioribus sed inexercitatis, qui difficulter admodum doctrinam Christianam longis sermonibus addiscunt, addiscunt facilè quærendo & respondendo.

LII. Ut verò Catechisationes fructuosæ sint (1.) selectus materiæ habendus est. Tractanda sunt ex professo nonnisi necessaria & valdè utilia fidei & vitæ capita. (2.) Atque ita, ut ea Catechumeni rectè capiant, rationes clarissimas in Scriptura sive in natura noscant. (3.) Diri-

genda semper sunt ad vitæ Christianæ praxin, & quantum fieri potest, ad proprium, qui hac ratione informantur, aut circumstant, statum. Informandi speciatim sunt Catechumeni de vera & utili cultum externum, qualis est lectio Scripturæ, aditus concionum, cantus & quæ similia, exhibendi ratione. (4.) Quæstiones faciles, breves formandæ, variandæ, repetendæ sunt. Repetenda quoque responsio in singulorum ædificationem. (5.) Denique Catethumenorum memoria non est oneranda, nec nimis alligandi sunt certis verbis vel formulis. Ratio potius habenda est judicii. (6.) Comitati, quantum licet, Catechetæ studendum. Probanda quæ commodè respondebantur. Minus commodè dicta excusanda, & si fieri potest, in optimam partem interpretanda. Hæsitaturis rectâ responsione subveniendum.

LIII. *Hæc pertinent ad functionem Pastoris generatim consideratam. Sequitur altera particulatim spectata, quâ singulorum specialem curam habet.* Quô studiô, quâve solicitudine Pastor pro suggestu informat, monet, fieri tamen nequit, ut cuncta, quæ ad singulorum statum accommodata sunt, dicantur. Hæc ita subinde comparata, ut minimè consultum sit de iis publicè verba facere. Nec sciri possunt, saltem omnia, nisi ex familiari conversatione Pastoris cum ovibus suis. Ovis perdita, aut quæ peritura videtur, anxiorem curam,

curam, quàm omnes reliquæ, postulat. Luc. XV, 4. Unde curæ specialis præstantia & necessitas elucet. Sic etiam Paulus Apostolatu suo defungebatur, *unumquemque cum lachrymis adhortans* Act. XX, 31.

LIV. *Huc referuntur visitationes domesticatim instituendæ*, in quibus singulorum cognitio, vita, mores, fata examinantur & pro re vel laudantur, vel vituperantur, consilia suggeruntur &c. *Maximè afflictorum, ægrorum.* Non enim aliud tempus ita commodum hominem de mala vita convincendi, commovendi ad propositum melioris vitæ capiendum. Quare non satis prudenter facere illi videntur, qui afflictos, ægrotos promiscuè consolantur. Consolandi sunt solatio juxta criteria Scripturæ digni: Non indigni, scelerati, qui, si reconvalescunt, deteriores evadunt. Aut si moriuntur, ad profundam pœnitentiam, mentione scelerata vitæ non factâ, non ducuntur, quod longè tristissimum. Etiam, qui circumstant, ex solatio imprudentiori variè offenduntur.

LV. *Hæc Pastoris functio, sive generalior & publica, sive specialior & privata multùm efficaciæ exinde sumit, si ipse typus in sermone, conversatione, charitate, Spiritu, fide & castitate existit*, 1. Tim. IV, 12. Plurimùm enim exempla Pastorum penes oves valent.

LVI. *Ecclesiæ Ministris insuper accensendi*

sunt Præceptores, quibus pubes in principiis Christianismi non minus quàm aliis studiorum initiis informanda traditur.

LVII. *Hinc etiam Præceptores suprà memoratis qualitatibus instructi requiruntur.* Si enim juventutem concreditam in Christianismo informare eorum officium est, oportet doctrinam Christianam probè intelligant, sintque διδακτικοὶ. Nisi forsan Pastorum cognitio amplior, & dicendi παῤῥησία major postuletur. Etiam à vitiis immunes & virtutibus præditi esse debent. Alioquin informatio discipulis scandalosa, quæque maximum commodum intercipit. Inde quoque ingens periculum surgit, quod juventus non tam juxta regulas vivere soleat quàm exempla, & *quo semel est imbuta recens, servabit odorem, testa diu.* Tandem si præter Episcopos etiam à Diaconis, qui τὰ βιωτικὰ curabant, Act. VI, 2. simillima requisita olim poscebantur 1. Tim. III, 8-14 non minus hodiè à Præceptoribus, quorum functio Diaconorum gravior.

LVIII. *Quum verò rarius in Præceptoribus constituendis solidæ Christianismi cognitionis atque vitæ modestæ, piæ, ratio habeatur, non mirum, passim locorum de scholis hoc nostro tempore corruptis querelas moveri.* Parum vel nihil facit ad cultum divinum, si scholares unâ vel alterâ horâ per septimanam quasdam Catechismi quæstiones aut Scripturæ loca

loca memoriæ imprimunt, nisi eadem distinctè explicentur, ad proprium eorum statum identidem applicentur, atque adeò catechisandi modus, cujus supra mentionem fecimus, ritè observetur. Has verò partes illi soli rectè præstabunt, qui cognitionem veritatis secundum pietatem in animo tenent. Est profectò cura Scholarum Christianarum Curatoribus maximè digna atque præcipua. Si enim Scholæ nostræ Christianæ appellari merentur, etiam Christianismi exactior in illis ratio habenda est, Christi doctrina & mores non tam memoriæ quàm animo clarâ, sæpiùs iteratâ explicatione, prudenti applicatione, vivis exemplis imprimendi. Quam aliàs sterilis Scholarum usus, discere artem pingendi, legendi, canendi, loquendi Germanicè, Latinè, Græcè, Hebraicè? Quale hinc egregium commodum in Rempublicam Christianam? An de his in judicio ultimo, secundum quod pleræque actiones nostræ, etiam in juventute, instituendæ sunt, ratio reddenda erit. An ita multùm differunt Scholæ nostræ à Gentium? An seminaria veræ sapientiæ, pietatis? Annon Christianismus in Scholis obiter tractatus vel neglectus omnes status, Politicum, Ecclesiasticum, Domesticum inficit? Unde surgit maxima necessitas, Præceptores vivâ Christi cognitione & amore imbutos quærendi, constituendi, iisque solicitè præscribendi solidam in Christianismo informa-

mationem. Nec dubitandum, Deum, si hæc prima & præcipua Christianarum Scholarum meta præfigetur, etiam majorem aliis utilibus studiis tradendis benedictionem daturum.

LIX. *Tandem Ecclesiæ Ministris annumerandi sunt Professores, maximè Theologiæ.* Omnes bonæ literæ, aliæ magis directè, aliæ minùs, ad gloriam Dei & proximi ædificationem, commodum adeoque Ecclesiæ tendere debent. Quando verò Professores has literas ex professo tractant, atque in illis studiosam Juventutem erudiunt, Ecclesiæ servire dicendi sunt. Quoad Theologiæ Professores res clarissima est.

LX. *Quare etiam Professores, præprimis Theologiæ, qualitatibus Episcopi* 1. Tim. III. Tit. I. *insignes poscuntur.* Quæ enim ratio qualitatum in Episcopo, eadem in Professore Theologiæ, vide §. XXXII. Imò in hoc tantò magis. Nam informandi & docendi committuntur illi ipsi, *qui* suo tempore Pastores futuri.

LXI. *Functio horum in pluribus convenit cum Pastorum.* Explicanda est Christi doctrina, vindicanda quoque à corruptionibus, mores Christianorum tradendi inculcandique. Nisi quod cuncta hæc fusius, plenius dicenda, ex fontibus proferenda sint. Plura Theologiæ Cultoribus, veluti tot in Scriptura exponenda difficultates, controversiæ, conscientiæ casus, voca-

vocabula Græca, Hebraica prolixè examinata magno cum fructu proponuntur, quæ coram cœtu sine fructu, imò cum damno, proponerentur.

LXII. *Nec tamen omnis eorum labor unicè occupatus esse debet, ut Auditores eruditos, sed etiam pios, ad Ecclesiam regendam prudentes reddant.* Doctrina Christiana est doctrina ad pietatem ducens. Qui hæc disjungit, disjungit quæ Deus conjunxit. Theologiæ Studiosi tum in suum, tum quoque in cœtûs suo tempore ipsis committendi usum accuratam obedientiæ Christianæ, prudentiæ quoque Ecclesiasticæ notitiam poscunt. Morum Theologia neque adeo facilis, ut quibusdam videtur, neque sine labore & exercitio feliciter addiscitur. A Studiosis neglecta, plurima tum in vita Academica, cujus querelæ passim obviæ sunt, tum quoque in Ministerio Ecclesiastico causatur mala. Magnum quoque damnum in cœtum redundat, si prudentiæ Ecclesiasticæ Pastor expers est, quod & ratio & experientia clarè docet.

CAPUT

CAPUT XXVII.
De
SACRAMENTIS
IN GENERE,
N. TESTAMENTI
IN SPECIE.

Σύνοψις.

DEus more hominum gratiam fidelibus promissam signis, sive sacramentis munivit. §. I.

Quorum nomina sacra adducuntur. §. II.

Dein definiuntur. §. III.

Auctor est solus Deus. §. IV.

Materia est res in sensus incurrens. §. V.

Sub qua tamen latet res invisibilis, spiritualis. §. VI.

Inter quam & signum analogia esse solet. §. VII.

Et quidem ex voluntate divina, nam convenientia rei materialis cum spirituali sacramentum nondum constituit. §. VIII.

Unde patet, materiam fieri sacramentum accedente voluntate divina, attamen absque mutatione materiæ in rem significatam. §. IX.

Ma-

Materia nonnisi novam χίσιν sumit ad gratiam Dei significandum, obsignandum. §. X.

Unde illustrantur variæ phraseologiæ sacramentales. §. XI. XII.

His præmissis explicatur quid sacramenta non sint: Non miracula: Non medicamenta: Non causæ. §. XIII.

Sunt verò signa & sigilla. §. XIV.

Sacramenta dividuntur in sacramenta V. & N. Testamenti, quorum convenientia & disconvenientia monstratur. §. XV.

Sacramentorum Novi Testamenti natura definitur. §. XVI.

Sunt duo. §. XVII.

Ex quibus primum Baptismus. §. XVIII.

Baptismus tanquam ritus inter Judæos jam antea notissimus erat, speciatim Baptismus Proselytorum. §. XIX.

Quem Christus in sacramentum N. Testamenti sapientissimè convertit. §. XX.

Dicenda de Baptismo VI. partibus comprehenduntur. §. §. XXI.

Prima Historiam Baptismi recenset, & quidem Elementum sive aquam. §. XXII.

Nec non ritus, immersionem & recitationem formulæ. §. XXIII.

Uterque probatur. §. XXIV. XXV.

Judicium fertur, an eadem tenenda sint in Baptismo subsequenti tempore. §. XXVI. XXVII.

Altera

Altera agit de Mysterio Baptismi tum in genere. §. XXVIII.

Tum in specie: Ubi ostenditur, quod aqua sanguinem & Spiritum Christi præsignificet. XXIX.

Ostenditur porrò Mysterium rituum. §. XXX.

Tertia comprehendit subjectum, quod vel adulti. §. XXXI.

Vel infantes. §. XXXII.

Quorum Baptismus utilis, si Parentes promissorum coram Deo factorum memores liberos ad servitium Dei prima ætate ducunt & ritè instituunt de natura Baptismi. §. XXXIII.

Pædobaptismus itaq; minimè contemnendus. §. XXXIV.

Quarta docet necessitatem Baptismi hypotheticam, negat absolutam. §. XXXV.

Quinta tradit efficaciam Baptismi, quæ tanta non est, ut producat vel contineat in se gratiam Dei. §. XXXVI.

Sed significat & obsignat. Ultima probat Baptismi administrationem penes Ministros esse. §. XXXVII.

Sequitur S. Cœna, quæ definitur. XXXVIII.

Nomina allegantur. §. XXXIX.

Origo ex convivio Paschali panditur. §. XL.

Ostenditurque ejus institutio divina nec temporaria, sed ad adventum Christi. §. XLI.

Materia S. Cœnæ est panis & vinum. §. XLII.

Et panis in prima Cœna

Cœna infermentatus erat, quamvis nunc talis ex nulla lege requiratur. §. XLIII.

Ritus circa illum erant quatuor. XLIV.

Qui simplices, significantes &c. rectè etiamnum tenentur. §. XLV.

Alterum symbolum est Vinum, in prima Cœna, ut videtur, rubrum aquâ dilutum. §. XLVI.

Ejus ritus tres, qui quoque rectè etiamnum observantur. §. XLVII.

Probatur communio sub utraque specie. §. XLVIII.

S. Cœna mystica evincitur, speciatim constat ex verbis Christi: Hoc est corpus meum. §. XLIX.

Trifariam explicari solent hæc verba: De Transsubstantiatione. De Consubstantiatione. Et tandem, quòd panis sit symbolum corporis Christi. §. L.

Ad verum verborum sensum eruendum proponuntur regulæ explicationis genuinæ, quæque jure à nulla parte in controversiam vocari possunt. §. LI.

Postea tres illi explicandi modi juxta illas examinantur, ostenduntúq;, quòd tertius verus, duo priores falsi sint. §. LII. LIII. LIV. LV. LVI.

Unde sequitur, Christi corpus juxta naturam suam in S. Cœna non præsens esse. §. LVII.

Sed sub symbolo. LVIII.

Quæ symbolica præsentia & sufficiens

& salutaris est. §. LIX.
Tandem tres primarii Cœnæ fines proferuntur. §. LX.
Ultimò subjectum S. Cœnæ indicatur. §. LXI.
Præparationis & explicationis necessitas. §. LXII.
Et modus. §. LXIII.

§. I.

QUemadmodum *inter homines fœdera aliique majoris momenti contractus externis signis olim confirmabantur, ita quoque ordinavit Deus, ut gratia hominibus in Verbo suo promissa signis confirmaretur.* Constat ex omni consilii gratiæ Oeconomia.

II. *Signa hæc solent communiter peregrino vocabulo* Sacramenta *appellari.* Scriptura appellat אות σημεῖον *signum*, Genes. XVII, 11. Rom. IV, 11. σφραγίδα *sigillum*, l. c. ὑπόδειγμα, Hebr. VIII, 5,

III. *Sunt autem signa à Deo instituta, quæ partim fidelem de gratia Dei in Christo Jesu certum reddunt, partim obligant ad obedientiam.* Patet ex inductione Sacramentorum. Patet dein ex natura omnis gratiæ divinæ, quæ accipientem ad obediendum adstringit. Si verò non obedit, gratia in judicium commutatur. Res se adeoque consimiliter habet ac cum Ceremoniis in fœdere confirmando adhibitis, uti erat bestiarum dissectio, notans, illum

illum, qui fœdus violaturus esset, medium dissecandum esse; sin, fruiturum commodis fœderis.

IV. *Jus Sacramenta instituendi est penes solum Deum.* Sacramenta, quæ vel olim obtinebant, vel nunc obtinent, à Deo instituta sunt. Sacramenta signant, obsignant gratiam Dei in Christo Jesu: At signum gratiæ penes illum, cujus est ipsa gratia. Sacramenta sunt actus Religionis maximè solennes, qui à nemine nisi Deo toti Ecclesiæ imponi queunt.

V. *Materia Sacramentorum est res in sensus, visum veluti, aut etiam tactum incurrens.* Patet ex iride, sacrificiis, circumcisione, agno Paschali, Baptismo, S. Cœna. Quoniam enim signa esse debent boni invisibilis, de quo infra, placuit Deo sensibilia, visibilia dare. Atque ita condescendit ad infirmum hominum captum. Bona cœlestia ab illis concipi nequeunt, Joh. III, 12. Quæ in intellectu nostro sunt, sunt plurimùm ope & interventu sensuum nostrorum. Quæ semel novimus, sæpiùs oblivioni traduntur. Itaque Deus gratiam invisibilem sub materia visibili animo proponere, atque sæpiùs iterato Sacramenti usu menti firmiter imprimere voluit.

VI. *Sub signo externo visibili latet res invisibilis, spiritualis.* Ordinarius signorum usus est, ut aliam rem indicent. Quòd verò Sacramenta non propter se sed propter aliud

quid instituta sint, ex singulis juxta explicationem Scripturæ constare potest. Constat porrò, quod nihil Deo aut homine in cultu Dei occupato dignum continerent.

VII. *Hinc Deus ejusmodi signa elegit, quæ cum re signata commodam analogiam tenent.* Dantur alia signa, quæ cum signatis non conveniunt, uti hedera, &c. sed hæc adeò significantia non sunt. Significantiora longè illa, quæ ex se variam similitudinem cum re signata fundunt, uti v. g. Baptismus, S. Cœna &c.

VIII. *Attamen sola analogia inter signum & rem signatam Sacramentum non constituit. Oportet accedat voluntas divina, quæ vult, ut res visibilis signum esset rei invisibilis.* Hæc voluntas fundamentum est, nam aliàs innumera darentur Sacramenta. Absque hac voluntate aqua non est nisi aqua. Accedente voluntate divina aqua fit Sacramentum.

IX. *Licet Elementum sive materia accedente voluntate divina fiat Sacramentum, non tamen mutatur quoad substantiam.* Etenim si mutaretur quoad substantiam, Sacramentum miraculum esset, quale nunquam appellatur, nunquam promittitur, neque est. Postquam enim verbum ad Elementum accessit, eadem ejus natura, eædem proprietates manent. Quando verò res mutatur quoad substantiam, tum quoque aliam naturam, alias qualitates, virtute Dei

Dei omnipotente sumit, uti aqua in vinum mutata, Joh. II, 9.

X. *Sed nonnisi novam χίσιν sumit, quâ fit, ut qui dignè participat de Sacramento, non solum rem significatam clarè menti suæ proponere, sed & certus esse queat de consequenda gratia divina promissa.* Quamvis enim elementum elementum maneat, uti aliud aliquod, quia tamen Deus voluit, ut indicaret rem invisibilem, atque etiam fidelem legitimo usu de ea nanciscunda persuasum redderet, is, qui ex voluntate Dei Sacramento utitur, mentem excitat, in illo delineata intuetur bona spiritualia, ea menti imprimit, atque credit, se eorundem juxta promissionem participem futurum, aut in eorum possessione corroboratum iri.

XI. *Ex dictis rectè illustratur non una de Sacramentis loquendi ratio in Sacris usitata, tum propria*, juxta quam signum vocatur, quod revera signum est, Gen. XVII, 11. Rom. IV, 11. *tum impropria*, secundum quam vel signum rei significatæ Gen. XVII, 10. aut res significata signi nomine 1. Cor. V, 7. venit.

XII. *Hæc impropria Phraseologia est quidem etiam usitata extra materiam Sacramentorum*, v. Gen. XLI, 26. 27. Dan. IV, 17. 18. 19. al. 20-23. VII, 17. 23. 24. Matth. XIII, 37. 38. 39. Apoc. XVII, 9. 12. *maximè verò in illa.* Constat exemplo circumcisionis Gen.

XVII, 10. Paschatis Exod. XII, 27. Petræ 1. Cor. X, 4. Sacrificiorum Joh. I, 29. Baptismi, Tit. III, 5. Quô nunc jure excipienda sit sola S. Cœna, prudens facilè cognoscet. Scriptura multoties signo rei signatæ nomen tribuit: Tribuit in simillima materia. Quare non in Sacramento S. Cœnæ? An Scriptura alicubi ait, S. Cœnam & quidem solam excipiendam esse? An ita sensus clarior, facilior? An plures difficultates propriâ acceptione evitantur. Ex oppositio omnia se habent.

XIII. *Præmissis his, constat, quid Sacramenta non sint, & quid sint.* (1.) *Non sunt miracula*, v. §. IX. (2.) *Non sunt medicamenta propriâ virtute morbum depellentia.* Aquæ naturâ suâ non est vis sordes animæ eluendi. (3.) *Non sunt causæ, quæ ex se gratiam producunt.* Rationes sunt. (*a*) Sacramentum ut elementum consideratum est materiale quid. Jam quod materiale, producere nequit bonum spirituale. Qualis causa, talis effectus. (*b*) Scriptura Sacramentis in se spectatis hanc vim non tribuit, imò negat, 1. Petr. III, 21. (*c*) Gratiam Dei aliquando possidet is, qui de Sacramentis non participavit. Non possidet, qui sæpissimè de iis participavit, quod exemplis plurimorum flagitiosorum hominum toties S. Cœnâ utentium, unicuique, qui attendere vult, constare potest. (*d*) Res se cum Sacramentis quodammodo habet ac cum Verbo. Hoc gratiam

tiam Dei in nobis producit, quando illud attentè audimus, cordi imprimimus, juxta illud credimus & vivimus.

XIV. *Sed sunt signa & sigilla*, uti & nomen habent Rom. IV, 11. & analogiam cum re signata. Et signa quidem tum μνημονευτικὰ, quæ præteritum in memoriam vocant, Luc. XXII, 19. tum σημαντικὰ, quæ præfigurant bonum spirituale sub symbolo latens, Matth. XXVI, 26. tum *distinctiva*, quæ populum eodem signo signatum à quovis alio distinguunt, ipsum verò conjungunt 1. Cor. X, 21. 17. tum denique *obsignantia* ratione Dei & ratione hominum. *Illô modô*. Sacramento ritè utentibus quasi obsignatur gratia Dei promissa. Usus Sacramenti pignoris loco quasi est. *Hôc modô*. Communicans locô gratiæ, quæ ipsi offertur, promittit obedientiam, quam Deus stipulatur. Unde nulla gratia in indignè communicantem, infidelem, hypocritam redundat. Atque hoc solicitè tenendum inculcandumque, quandoquidem plurimi magno cum damno opinantur, Sacramenta nonnisi gratiam Dei promittere, non verò adstringere ad obedientiam.

XV. *Sacramenta plura sunt, & variè dividi possunt. Memorabimus unam nonnisi divisionem, quâ distinguuntur in Sacramenta Veteris & Novi Testamenti, quæ in quibusdam conveniunt, disconveniunt in aliis. Conveniunt* in generali signorum natura, Auctore,

re significata, quæ utrobique est gratia Dei in Jesu Christo, sicuti ex inductione exemplorum constat, cf. 1. Cor. X, 1. 2. 3. denique modo applicationis, qui spiritu mentis, fide peragitur. *Disconveniunt* in ipsis signis, quæ olim alia, alia nunc; in numero, nam sub V. Testamento plura; in objecti amplitudine, quippe nunc omnes Gentes baptizandæ sunt; usu facili, qualis in Baptismo, S. Cœna; modô significandi clarô, suavi, qualis rursum sub N. Testamento.

XVI. De Sacramentis Veteris Testamenti alibi. Nunc explicanda sunt *Sacramenta N. Testamenti, quæ signa sacra à Christo instituta ad gratiam in sanguine suo significandum obsignandumque, atque regni sui subditos obligandum, ut in servitio & communione ejus sancti viverent.*

XVII. *Suntque duo, Baptismus & S. Cœna.* Alia à Christo instituta non leguntur. Hæc sola in primitiva Ecclesia adhibebantur. *Vid. Acta Apostolorum.* Nec alia sacrorum signorum requisita habent. Duo hæc satis commodè vitæ Christianæ initium & conservationem præadumbrant. Initium Baptismus, conservationem S. Cœna. Ille Circumcisioni, hæc Paschati respondere videtur.

XVIII. Sacramentorum N. Testamenti primum est *Baptismus à Christo institutus, quô, qui baptizantur, immersione in aquam in servitium Dei recipiuntur, & confirmantur de reinis-*

remissione peccatorum, gratiâ Jesu Christi ad novitatem vitæ spiritualis. Instituti à Christo Baptismi habes testimonia Joh. IV, 1. 2. Matth. XXVIII, 19. & praxin Apostolorum, procul dubio ob Christi præceptum observatam.

XIX. *Non nunc demum Baptismus innotescere cœpit, quando à Christo ordinabatur N. Testamenti Sacramentum, sed jam dudum in Gente Judaica receptus erat.* Et quidem variæ immersionum species in usu, quarum notatu dignissima, & quæ huc pertinet *Baptismus Proselytorum*, quô, qui Ethnicam hactenus Religionem sectabantur, in gremium Ecclesiæ Judaicæ recepti erant, postquam renuntiaverant erroribus, articulos fidei Judaicæ professi erant, atque juxta illos vivere promiserant. Modus verò sic se habet. Baptizandi nudi in aquam immergebantur: Post immersionem quasi recens nati habebantur, & Judæis annumerabantur.

XX. *Placuit verò Deo hunc ritum in Sacramentum Ecclesiæ N. Testamenti instituere,* tum quia simili usui jam inservierat, tum quia statum impurum, qui ante professionem Christianismi, purum, cui Christiani studere debent, clarissimè depingit. Primus, qui à Deo ad baptizandum mittebatur, erat Johannes, hinc κατ' ἐξοχὴν Βαπτιςὴς dictus, Matth. III, 1. Tum quoque Apostoli ante & post Resurrectionem

Christi Joh. IV, 2. Matth. XXVIII, 19. mittebantur.

XXI. *Ad Sacramenti hujus pleniorem intelligentiam distinctè tradenda sunt I. Historia Baptismi. II. Mysterium. III. Subjectum. IV. Necessitas. V. Efficacia. VI. Ministerium.*

XXII. I. *Historia Baptismi continet primò Elementum, tum verò ritus circa illud. Elementum est aqua naturalis*, qua utebatur Johannes Joh. III, 23. tingebatur Christus Matth. III, 16. tingebantur omnes alii, quorum in Sacris mentio. Etiam Baptismi typus aqua erat, 1. Petr. III, 20. 1. Cor. X, 1. 2.

XXIII. *Ritus sunt maximè duo, immersio & pronuntiatio formulæ.* Qui Sacra Religionis Christianæ amplectebantur, pristinam verò vitam abnegabant, deducebantur ad copiosam aquam, in quam toti immergebantur, Ministris dicentibus, baptizari in nomen Patris & Filii & Spiritûs S., aut in nomen Christi. Brevi post ex ea ascendebant.

XXIV. Immersionem obtinuisse tum ex nomine βαπτισμῶ, tum ex exemplis Christi, Eunuchi, tum ex allegato Mysterio Rom. VI, 3. 4. tum ex more in Baptismo Proselytorum recepto, tum denique ex praxi veteris Ecclesiæ Christianæ constat.

XXV. *Formulam, quæ ritûs rationem comprehendit, recitatam fuisse, dubitare nos non*

non sinunt actus ipse. Si enim sacer esse debet, verbo quoque sanctificandus. Præceptum Christi Matth. XXVIII, 19. *Baptizate in Nomen Patris, Filii & Spiritûs. S.* Praxis Apostolorum, *baptizati sunt in nomen Domini Jesu*, Act. XIX, 5.

XXVI. Ex his constat, quomodo à Christo & Apostolis Baptismus administratus fuerit. *Quoniam* verò *administratio, quæ hodiè passim in usu, ab hac variat, quæritur, an etiam ritè se habeat vel non, vel quibus rationibus excusari queat?* R. Extra controversiam positum puto, rectissimè illos facere, qui etiam in ritibus, quantum possibile est, cuncta invariata tenent, quâ ratione plures litibus ansæ præscinduntur. Dein administratio Baptismi, uti primitùs erat, ita comparata, ut videatur passim locorum recipi posse. Hinc constat, in frigidis quoque regionibus, uti apud Moscovitas, immersionem usitatam esse. Præterea significantior longè est immersio aspersione, neque hæc satisfacit Mysterio, quod in Baptismo latere Paulus indicabat, Rom. VI, 3-7. Quare, si res integra adhuc esset, omninò modus administrationis primus sequendus videretur, aut etiam, si commodè fieri posset, præsenti missô introducendus.

XXVII. Quia tamen Ecclesiæ, quæ ritus mutarunt, aut olim mutatos etiamnum tenent, idem Baptismi Mysterium venerantur, constat quòd

quòd in rei ſubſtantia conſenſus ſit. Ubi verò hic eſt, abeſſe debent altercationes, charitati, cujus major ratio quàm circumſtantiæ in ritu habenda, inimicæ. Dein plura indeterminata in Baptiſmi adminiſtratione libertati Eccleſiæ Salvator reliquit, quæ per conſequens etiam nobis libera relinquenda, veluti an aqua tepida, an frigida ſumenda, an formula *in nomen Patris, Filii & Spiritûs S.* an altera *in nomen Domini Jeſu* dicenda, an unâ vice, an trinis immerſio ſive aſperſio faciunda? Præterea, qui aſperſionis ritum tenent, notant, aliam calidiorum, aliam frigidiorum regionum rationem eſſe. In illis immerſionem ſine damno, in his non item fieri. Notant porrò, Chriſti ævo communiter majorennes, nunc teneros infantes, qui effuſa frigida aqua faciliùs ſanitatis jacturam ſubeunt, baptizari. Tandem quod etiam res ſignificata aſperſione præadumbretur, uti olim obtinebat in aſperſionibus Leviticis, cf. Hebr. IX, 13. 14. XII, 24. Ezech. XXXVI, 25.

XXVIII. II. Alterum, de quo ordine dicendum, eſt *Myſterium Baptiſmi*. Chriſtum *immerſionem in aquam* non propter ſe ſed ad aliud quid ſignificandum inſtituiſſe, patet, tum ex eo, quia ritus in ſe nihil cultu ſpirituali dignum tradit, tum ex natura omnium Sacramentorum, tum ex explicatione in Scriptura paſſim exſtante, v. Tit. III, 5. Rom. VI, 3. 4. Gal. III, 27. 1. Petr. III, 21. 1. Cor. XII, 13.

XXIX.

XXIX. *Et aqua quidem tum sanguinem, tum spiritum Christi notat*, 1. Joh. I, 7. 1. Petr. I, 2. Jes. XLIV, 3. Ezech. XXXVI, 25. 26. 27. Quemadmodum aqua vim sordes corporis eluendi habet, sic sanguis & Spiritus Christi nos purgat ab omni peccato, sanctos reddit in cogitationibus, sermonibus, actionibus nostris. Docet simul, hominem in se impurum esse, uti is, qui illotus.

XXX. *Ipsi quoque ritus mystici in Sacris notantur*. Baptizandi deponebant vestes, immergebant se in aquam, & sub ea quasi sepulti manebant, tum verò emergebant, induebantq; vestes. Atque ita significatur, veterem hominem deponendum, immergendum, mortificandum, sepeliendum, novum verò induendum, in novitate vitæ ambulandum esse, Rom. VI, 3. 4. 5.

XXXI. III. Tertium agit *de subjecto Baptismi. Hoc vel adulti vel infantes*. Illi, quando prius aliam fidem profitebantur, postea verò præmissa institutione doctrinam Christi veram agnoscunt, ejusque voluntati se subjiciunt. Ex his, qui baptizati in historia N. Testamenti diserte memorantur, constabant. Ad hos evidenter respiciunt loca Matth. XXVIII, 19. 20. Marc. XVI, 15. quæ antecedaneam requirunt Evangelii annuntiationem, fidem. Tales erant, qui ante Baptismum pœnitentiam testabantur, Act. II, 38. 41. Et non mirum horum

horum mentionem fieri. Qui enim doctrinam Christi recipiebant, erant vel Judæi, vel Ethnici, adeoque necesse habebant sacra, in quibus educati erant, relinquere: Quod nonnisi ab adultis sive qui rationis usu pollent, fieri potest. Quod etiamnum valere debet, si qui à Religione Judaica ad Christianam transeunt. Quæ enim ratio olim, ea etiamnum. Præceptum temporarium non est, Matth. XXVIII, 18.

XXXII. At major difficultas est quoad infantes, de quibus in sequentem modum judicamus. *Primò* certum est, Pædobaptismum nullibi prohibitum esse. *Dein* certum quoque non absurdum esse. Si enim absurdus, tum vel ideo, quia infantes Sacramenti incapaces sunt, vel quia in natura Baptismi talia continentur, quæ cum infantum statu conciliari nequeunt. Neutrum dici potest. Non prius. Si enim non absurdum, circumcisos fuisse olim infantes, non absurdum, infantes nunc baptizari. Non posterius. Baptismo unum alterumve inest, quod cum statu infantum probè convenit. Baptismus præadumbrat ablutionem à sordibus animæ, purgationem ejus. At infantes absque imagine Dei, originaria corruptione infecti nascuntur. Baptismus significat communionem cum Christo & Ecclesia, largitionem Spiritûs S. Gal. III, 27. 1. Cor. XII, 13. Act. II, 38. An hoc in infantes non cadit? Baptismus est obligatio serviendi Deo Patri, Filio & Spiritui S. At

dices.

dices. Infantes non intelligunt officium. Quamvis non intelligant, possunt tamen statim ab ineunte ætate Deo in hunc finem consecrari, uti olim infantes circumcisi obligabantur ad servandum legem, atque Hanna Samuelem consecrabat. Verùm objicies, illos ab Apostolis fuisse baptizatos, qui valedicebant falsæ Religioni, qui Christianam prius edocti erant. At hæc in infantes non cadunt. Resp. Non necesse est, ut semper omnes fines actionis observentur, modò quidam. Si non alii quàm qui resignant falsæ Religioni baptizandi, neque Christus baptizari potuisset. Et licet doctrinam Christi actu non intelligant, non tamen etiam oppositam profitentur, ut necesse sit exspectare, donec argumentorum vi convicti Christianam amplectantur. Possunt itaque jam à tenerrima ætate in Nomen Patris, Filii & Spiritûs S. baptizari, quandoquidem ex Parentum voluntate ad doctrinam Christianam capiendum, quamprimum licet, destinantur. *Porrò* non quidem prostat speciale Pædobaptismi præceptum, attamen generale Matth. XXVIII, 19. At sub generali specie comprehenduntur nisi quædam excipiantur, & quidem tum multò magis comprehendendæ, quando eædem in simili casu includuntur. Similis casus est circumcisio, Sacramentum, quô infantes in Ecclesiam V. Testamenti cooptabantur. Similis quoque *Baptismus Proselytorum*, quô etiam tingeban-

bantur קטנים *minorennes*, v. Ligtfoot. op. T. II, p. 266. atque hi tum temporis in vulgus noti existebant. *Tandem* quorum est regnum cœlorum, benedictio Matth. XIX, 14. 15. promissio Act. II, 38. 39. (ubi minimùm infantes excludi nequeunt) iis quoque signum gratiæ divinæ datur.

XXXIII. Tum verò Pædobaptismus plurimùm fructûs quoad Parentes & quoad infantes habet, si illi sæpenumerò animo volvunt promissa Deo facta, hi verò ἀπὸ βρέφους de pia consecratione Parentum ita instituuntur, ut illum, in cujus nomen baptizati sunt, verè noscant, diligant, revereantur, actum sacrum in infantia circa illos actum nunc mente & ore probent, atque sic gratiam, cujus Baptismus signum est, plenè possideant. Alioquin negari nequit, Baptismum vitio Parentum aliorumque non tantum inutilem sed etiam noxium esse posse, qui memorata ratione insignem utilitatem adferret. Quod iis etiam dictum est, qui juniores informandos habent. Huic usui *confirmationem liberorum*, quæ in quibusdam Ecclesiis recepta, destinatam fuisse, admodum probabile, saltem huc Pastorum operâ referri posse evidentissimum est.

XXXIV. Ex dictis constat, Pædobaptismum non tantùm non prohibitum, aut absurdum, sed generali præcepto implicitum esse, atque variè Parentibus & infantibus prodesse, unde

unde sequitur illum rectè in Ecclesia Christiana teneri, atque nunc tantò magis, quoniam à tot retrò seculis valuit, nec sine Ecclesiæ, in qua quis vivit, motu & scandalo intermitti potest. Qui igitur eum contemnit, traducit, graviter peccat.

XXXV. IV. *Attamen Baptismi necessitas non est absoluta, adeò ut is, qui suâ culpâ non baptizatus, salutis aut cujusdam gratiæ divinæ jacturam subire debeat.* (1.) Etenim quod absolutè & necessitate medii necessarium est, illud semper necessarium atque cum fine naturalem certumque nexum habet, veluti fides, resipiscentia in adultis. Sed Baptismus neque semper obtinebat, neque etiam cum salute certum naturalemque nexum habet. (2.) Sic se habet cum aliis Sacramentis. Qui in V. Testamento non circumcidi poterat, veluti si ante octavum diem mortuus, aut puella circumcisionis naturâ expers, exinde nullum damnum habebat, 2.Sam.XII, 18.23. Quare non consimiliter cum Baptismo? (3.) Absoluta illa necessitas cum perfectionibus Dei minimè consistere potest. An omniscium, benignum, misericordem, justum Deum deceret infantem salute aut gratiâ aliquâ privare velle, qui vel non poterat baptizari, aut qui aliorum culpâ non baptizabatur? An infans, qui nihil intelligit, nihil recit ad omissum Baptismum, iram Dei concitare valet, ut eapropter salute aut gratiâ aliquâ divinâ excidat.

Hæc cogitata cum conceptu, quem de perfectionibus divinis habemus, nullatenus consistere possunt.

XXXV. V. *Nec etiam Baptismus vel in se continet aut producit remissionem peccatorum, mortificationem veteris hominis, regenerationem.* 1. Quod alius causa est, in illo requiritur vis ad effectum producendum. At in aqua nulla vis est ad memorata producendum. At dices: Licet ex se non habeat, habet tamen ex singulari Numinis operatione, quâ aquæ ejusmodi virtus inditur ad agendum in animam. Resp. Id probandum est. Nullibi id Scriptura clarè asserit. Potiùs contrarium, tum 1. Petr. III, 21. *Baptismus nos salvat, non carnis,* quæ aquâ tingitur, & est nonnisi ἀποθεσις ῥύπου *depositio maculæ, sed (uti) est interrogatio bonæ conscientiæ ad Deum,* tum quia resipiscentia, fides in Baptismo, baptizatis, quorum Scriptura disertè meminit, antecedit, Matth. III, 6. XXVIII, 19. Act. II, 38. Effectus verò causâ suâ prior esse nequit, tum denique quia quidam baptizati irregeniti manent, uti Simon. Neque credibile, ipsum Christum nunquam, Paulum rarissimè baptizâsse, si Baptismus produceret regenerationem, peccatorum remissionem.

XXXVI. *Est igitur Baptismus, quemadmodum alia Sacramenta, signum & sigillum gratiæ divinæ.* Penes adultos requiritur, ut resipiscentia & fides antecedat, Baptismus verò subsequa-

quatur. Qui in infantia baptizati sunt, illi de Baptismi Mysterio informandi, quamprimum licet: Illis injungendum, oportere vivere juxta voluntatem Dei Patris, Filii & Spiritûs S., si aliter gratia significata ad salutem frui velint.

XXXVII. VI. Tandem de Baptismi Ministris dicendum. Hi illi ipsi sunt, qui verbi. Quod constat tum ex Matth. XXVIII, 19. tum ex exemplis, Johanne, discipulis Christi. Requirit id ipsum ἐυταξία Ecclesiæ, quô cuncta ἐυσχημόνως se habeant.

XXXVIII. Sequitur alterum N. Testamenti Sacramentum, *S. Cœna, quâ fideles panem fractum comedentes, & vinum fusum bibentes mortem Jesu Christi commemorant, peccata remissa, seque in spiritu cum Salvatore ut & corpore mystico conjunctos credunt, quique Christo unicè vivere seriò constituunt.*

XXXIX. Variè in Sacris appellatur. א. Δεῖπνον Κυριακὸν, *Cœna Dominica*, 1. Cor. XI, 20. ratione ad tempus, auctorem & cibum, qui *Dominus*, habita. ב. ἄρτος καὶ ποτήριον Κυρίε *panis & poculum Domini*, c. c. v. 27. ג. Ποτήριον τ῀ ἐυλογίας καὶ ἄρτος ὃν κλῶμεν, *poculum benedictionis* (cum allusione ad כוס של ברכה poculum benedictionis ordine tertium in Cœna Paschali) *& panis, quem frangimus*, 1. Cor. X, 16. ד. Τράπεζα Κυρίε, *mensa Domini*, c. c. v. 21. Christiani quasi ad mensam à Domino vocantur, ut cœlesti cibo fruantur. ה. Sunt etiam plurima

Ecclesiastica nomina, ex quibus nonnisi nomino Græcorum ἀγάπη & Latinorum *Missa*, quorum hoc plurimorum judicio à Veterum dimittendi more *Ite, missa est*, ortum trahit.

XL. Quod originem S. Cœnæ attinet, ex Historia Evangelica constat Salvatorem morti proximum Cœnæ Paschali interfuisse. Qui tum panem azymum, qualis pro ratione temporis appositus erat, sumsit, benedixit, fregit, distribuitque inter accumbentes, dicens: *Hoc est corpus meum pro vobis traditum.* Præterea ex quatuor poculis, quæ juxta mores Gentis tum hauriebantur, tertium כוס של ברכה *poculum benedictionis* appellatum, convertit in novum usum, sumens illud & porrigens discipulis, *Hoc est poculum, Novum Testamentum, in sanguine meo pro vobis effusum.* Ex his constat quod Salvator consimiliter ac in Baptismo, morem Judaicum in Christianum converterit.

XLI. Non verò putandus est morem hunc pro brevi tempore instituisse, veluti nonnisi in discipulorum usum. Hujus opinionis nullum exstat in Evangeliis vestigium. Generale est præceptum, *Hoc facite* εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Luc. XXII, 19. Recordatio mortis Christi non solos Apostolos decet, sed & quosvis Christianos: Ad quos quoque bonum significatum spectat, v. c. & v. 20. Evidentissimè constat ex 1. Cor. X. XI.. ubi legimus primos quosvis Christianos

S. Cœnâ

S. Cœnâ usos fuisse, præscribi illis regulas genuinæ fruitionis atque speciatim c. XI, v. 26. legi *mortem Domini annuntiate, donec venerit*, quæ usum S. Cœnæ usque ad Christi adventum extendunt. Nec dari potest solida S. Cœnæ intermittendæ ratio.

XLII. *Materia Sacramenti est panis & vinum*, quæ tum in Cœna Paschali præsto erat, quæque commoda, nam parabilis & passim obvia, nutritionem spiritualem plenè adumbrat. Materia adeoque, quæ cum N. Testamenti simplicitate convenit.

XLIII. *Et panis quidem tum adhibebatur infermentatus*, non tamen lege aliqua posteriori tempore imitandus, sicuti nulla lex vel etiam ratio prostat. Modò panis, qui corporis Christi symbolum esse potest, adhibeatur.

XLIV. *Ritus, quos Christus circa panem observabat, quatuor notantur.* I. Manu apprehendit panem, illi benedicturus atque attentionem accumbentium excitaturus. II. Tum *benedixit*, Matth. XXVI, 26. vel quod idem est, *grates dixit*, Luc. XXII, 19. Deo, invocavitque eum, ut cibus comedentibus salutaris esset. Precatio procul dubio ad præsentem cibum accommodata erat. III. Postea *fregit* distributurus. IV. Tandem fractum *distribuit* inter convivas, qui singuli frustum acceperunt & ori ingesserunt, juxta dictum: *Accipite, edite.*

XLV. Memorati ritus, quos ordinarió Judæi comesturi tenebant, simplices, commodi, etiam significantes sunt, quique rectè etiamnum observantur. Quamvis illis, qui aliâs Mysterium agnoscunt, venerantur, sed unum alterumve mutant, nulla lis movenda sit. Christus recordationem mortis suæ ordinaturus ad omnes circumstantias subsequentes Ecclesias alligâsse non videtur. Licèt illi rectissimè facere videantur, qui cuncta primæ Cœnæ Dominicæ, absque superstitione tamen, exprimunt.

XLVI. *Alterum symbolum vinum est.* Ejus quoque usus in convivio Paschali erat. Bibebatur autem tum in honorem festi præstantissimum, sive album sive rubrum, quod illo videtur frequentius. Solebant illud communiter aquâ diluere. Qualè verò à Christo sumtum sit, certò dici nequit, licet non videatur improbabile rubrum aquâ dilutum haustum fuisse.

XLVII. *Ritus circa vinum sequentes observabantur.* I. Christus poculum manu apprehendit, illi benedicturus atque convivas ad attentionem excitaturus. II. Tum verò gratias egit, benedictionem, quæ credibiliter præsenti hausturi accommodata erat, implorans. III. Tandem consecratum omnibus bibendum porrexit. Qui quoque ritus inter Judæos recepti, simplices, commodi, significantes, qui itaque etiamnum ritè tenentur.

XLVIII.

XLVIII. *Ex dictis constat Christum S. Cœnam sub pane & vino instituisse, unde sequitur etiam subsequenti tempore Eucharistiam sub utraque specie celebrandam & singulis, quibus panis porrigitur, vinum quoque porrigendum esse.* Hoc *primò* requirit institutio Christi, qui discipulis præter panem etiam vinum bibendum dedit, & quoad vinum expressè exstat, *Bibite ex eo omnes*, Matth. XXVI, 27. *Biberunt ex eo omnes*, Marc. XIV, 23. Quô argumentô colligitur usus cœnæ inter omnes, eodem usus calicis inter omnes. Nam nulla datur discriminis ratio, vel in textu vel in re. *Secundò* requirit praxis Ecclesiæ primitivæ, 1. Cor. X. XI. Paulus provocat ad Cœnæ institutionem, vult ut Corinthii simillimâ ratione eâ fruantur, & de pane & de vino participent 1. Cor. XI, 25. 26. 27. & v. 28. *Exploret homo seipsum, & ita ex pane comedat, καὶ ἐκ τῦ ποτηρίυ πινέτω, & ex poculo bibat.* Quod verò Ecclesia Corinthiaca agebat & agendi licentiam habebat, id rectè agit & agendi licentiam habet omnis subsequens. *Tertiò* scopus S. Cœnæ institutæ est commemoratio mortis Christi. At hæc plenè commemorari nequit nisi sub pane & vino, quorum illud corpus fractum, hoc sanguinem effusum indicat. *Quartò.* Quorum est bonum significatum, eorumdem signum. At sanguis Christi effusus ad remissionem peccatorum omnium fidelium est. Matth. XXVI, 28, 1. Cor. X, 16.

XLIX. *Quemadmodum omnium signorum sacramentalium natura est, ut bonum spirituale referant, ita quoque panis & vini in S. Cœna.* Facilè unusquisque intelliget duo hæc Elementa non propter se Ecclesiæ Christianæ commendata esse, sed propter bonum latens. Tantò minor difficultas πνευματικῆς δηλώσεως est, quantò certius, quod sæpissimè S. Literæ bona spiritualia sub bonis terrestribus Ps. XXXIV, 9. XXII, 30. XXIII, 5. Cant. V, 1. Es. LV, 1. 2. Matth. VIII, 11. speciatim sub pane Luc. XIV, 15. vino Prov. IX, 5. sistant. Atque hoc quoad symbola S. Cœnæ evidentissimum, quippe Salvator expressè de pane ait: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur*, Luc. XXII, 19. de vino verò: *Hoc poculum est N. Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur*, v. 20. Et Paulus 1. Cor. X, 16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, annon est communio cum sanguine Christi? Panis, quem frangimus, annon est communio cum corpore Christi?*

L. Quantopere verò Christiani in explicatione hujus Mysterii dissentiant, tristis experientia abundè comprobat. Sunt, qui verba, *Hoc est corpus meum*, explicant de Transubstantiatione panis in corpus & sanguinem Jesu Christi. Alii de συνουσία, juxta quam corpus Christi in, cum & sub pane actu & realiter præsens est. Alii verò arbitrantur panem esse

signum

signum & sigillum corporis Christi, ita ut, qui in spiritu & fide communicaturus panem accipit, communionem cum Christo habeat, ejusque beneficiis per mortem suam partis fruatur. Antequam verò diversas explicationes examinamus, præmittemus claras, quæque nullô jure in controversiam vocari possunt, explicationis regulas.

LI. Sunt autem sequentes. א. Ille sensus genuinus, qui facilis, clarus, in simili materia usitatus, liber à contradictionibus. At falsus, qui obscurus, plenus contradictionum. ב. Ille dein sensus genuinus, qualis facillimè à convivis intelligi potuit. Falsus verò, qui difficulter & ut ex circumstantiis patet, planè non intelligi potuit. ג. Genuinus tandem, qui cum scopo S. Cœnæ optimè convenit: Sed falsus, qui ab illo recedit.

LII. Quod si nunc supra memoratos explicandi modos ad has regulas examinamus, constabit ultimum genuinum, falsos verò duos reliquos esse.

LIII. Nam sensus verborum, *hoc est corpus meum*, facilis, clarus, si talis datur. *Panis hic, quem oculis vestris cernitis, significat corpus meum.* Claritatem ne quidem Adversarius negabit, nec negare potest, voculam *est*, aut quod cum ea coincidit vel subintelligitur, in omni lingua pro *significare* accipi, speciatim in materia de Sacramentis, typis. Sed obscurus

& contradictionum plenus, qui verbis vel *transsubstantiationem* aut *consubstantiationem* affingit, quippe proprietatem corporis Christi tollit, repugnat sensibus & rationi. Quod quoque qui aliter sentiunt, non negant, unde confugiunt ad omnipotentiam Dei, ad arctos intellectûs nostri limites. At inter nos non est disceptatio de omnipotentia Dei, cui nemo pius limites ponit sed sensu verborum. Non enim sufficit ad sensum inusitatum & contradictionibus plenum probandum, subsidium quærere in potentia Dei, sed irrefragabilibus argumentis sensûs veritas primò evincenda est. Prudens unusquisque haud difficulter intelligit quemlibet absurdum Interpretem, si contradictionis justè accusaretur, hoc medio se juvare posse. Nec adversarii diffitebuntur se vel in hac vel in alia materia errores ob contradictionem refellere. Quare nobis non licitum? Et si quod ajunt, arcti intellectûs nostri limites sunt, quare sententias sibi adeò contradictorias tenent, quum illas in locis, iisque pluribus, quæ evidenter talem sensum continent, alium continere nequeunt, fundatas ostendere non valeant? Tum demum sensus captum nostrum transcendens admittendus, quando ejus veritas evidentissimè constat.

LIV. Dein mens verborum, quam dedimus, à Convivis facillimè intelligi potuit. Christus panem, qui tum aderat, manu prehendit, benedi-

nedixit, fregit, distribuit, dicens: *Hoc*, quod porrigo, *est corpus meum*. Cernebant Christum corpore præsentem, cernebant panem, qui ipsis dabatur, invariatum. Quid nunc facilius quàm cogitare, panem esse signum corporis Christi, tantò magis, quia hic loquendi modus & in Scriptura usitatus & in institutione Salvatoris, imò in ipsa Cœna Paschali. Agnus, qui tum comedebatur, dicebatur פסח πάσχα *transitus*, quum *transitûs* nonnisi signum. Vide etiam discursum in hoc convivio haberi solitum apud Maim. tr. חמץ ומצה c. VIII. 4. Absque difficultate itaque panem habebant signum corporis Christi, uti agnum, quem transitum vocarunt, transitûs signum. Ex opposito mens verborum, quæ panem in corpus Christi mutatum, aut quæ corpus Christi sub pane contineri, statuit, longè difficilior. Quomodo enim ex his verbis *Hoc est corpus meum* discipuli concludere poterant, quod concludunt Adversarii, quandoquidem Christum præsentem viderant? Quomodo illi, qui clariora non intelligebant, dubitabant de resurrectione Christi, licet multoties de ea informati erant, significatum difficillimum, sensibus, rationibus contrarium ita plenè intelligunt, ut nulla hæsitatio reliqua fuerit.

LV. Tandem ex scopo S. Cœnæ patet. Hic est recordari Jesu Christi crucifixi. Quemadmodum hactenus agnum comesturi recordaban-

bantur exitûs ex Ægypto, ita panem comesturi recordari debebant corporis Jesu Christi. Quorum verò sub symbolo recordamur, ea substantialiter aut in, cum & sub symbolo non adsunt.

LVI. Ad quæ præterea accedunt, quod etiam alia in eadem Cœnæ institutione impropriè accipienda sint, veluti Luc. XXII, 19. *Hoc est corpus, quod pro vobis traditur.* Atqui propriè loquendo nondum tradebatur. Sic v. 20. *Hoc poculum est Novum Testamentum in sanguine meo.* Quis dicet poculum esse propriè & secundum literam *Novum Testamentum*? Si igitur hæc figuratè accipienda sunt, quare non verba, *Hoc est corpus meum*? Ubi dixit Spiritus S. reliqua esse impropriè accipienda, hoc non? At dices: quoad posteriora impropriam acceptionem colligi ex natura rei, contradictione, absurdo. Benè. Ex eodem fundamento, quamvis non solo, concluditur pro figurata acceptione verborum. *Hoc est corpus meum.*

LVII. *Ex his nunc sequitur Christi corpus in S. Cœna juxta naturam suam non præsens esse.* Hæc enim præsentia contraria est Scripturæ, quæ Christi corpus in cœlo esse affirmat. Contraria est testimonio sensuum, quod in ejusmodi materia minimè rejiciendum. Contraria est proprietati corporis, etiam glorificati. Contraria est scopo S. Cœnæ, qui est recor-

recordari corporis Christi. Contraria est gloriæ corporis Christi. Vel annon contrarium corpori glorificato, statuere illud dentibus corrodi, in stomachum demitti, comedi ab innumeris sceleratis, aliquando etiam muribus, canibus? Nullum quoque usum per se præbet, nam licet quis panem Eucharisticum comedat, nec tamen credit, nullum inde commodum percipit. Spiritualis comestio, si salutaris esse debet, requiritur.

LVIII. *Præsens tamen est ex institutione divina sub symbolis, pane & vino & quidem sub illo corpus Christi crucifixum, sub hoc sanguis fusus.* Sive, quod idem est, instituit Christus panem & vinum, ut significarent corpus & sanguinem suum, atque illi, qui in fide communicant, receptione panis & vini certi essent animabus suis dari in alimentum fructum corporis fracti & sanguinis sui fusi. Hunc sensum poscunt verba *Hoc est corpus meum*, &c. Insuper 1. Cor. X, 16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, annon est communio sanguinis Christi? Panis, quem frangimus, annon communio cum corpore Christi?*

LIX. *Hæc symbolica præsentia sufficiens & salutaris est.* Sufficit in aliis Sacramentis, quare non in hoc? Symbola corpus & sanguinem Christi per passiones consummati menti clarissimè sistunt; Hinc mens, quæ non dubitat de institutione divina, sub pane & vino Christum

sibi

sibi ad vitam datum certò reputat. Salutaris est spiritualis manducatio Jesu Christi Joh. VI, 54. multò magis symbolica ex institutione divina. Etenim hæc non solùm spiritualis, sed adhuc plus est. Magis clarè, vividè sub symbolo, pignore divino Christum tanquam cibum animæ repræsentat, tradit, unit, maximè si attentius varia analogia observatur.

LX. *Finis S. Cœnæ varius est. Primò* quidem commemoranda mors Jesu Christi, Luc. XXII, 19. 1. Cor. XI, 24. Mors Salvatoris est fundamentum Religionis Christianæ. Unde Paulus nihil desiderabat nosse *nisi Jesum Christum crucifixum*, 1. Cor. II, 2. Itaque ordinabat Salvator mortis suæ signum perquam appositum. *Dein* communio Christianorum cum Christo publicè profitenda, 1. Cor. X, 16. Idololatræ communionem cum idolis testaturi sacrificiis in illorum honorem immolatis vescebantur. Christiani fidem in Christum testaturi pane & vino, symbolis corporis & sanguinis Christi, fruuntur atque ita declarant intimam cum illo communionem, Salvatorem animabus suis esse, quod corpori cibus & potus. *Insuper* communio Christianorum mutua testanda est. *Omnes de uno pane participamus*, 1. Cor. XI, 17. Prout inter convictores arcta societas esse solet, ita & multò magis inter Christianos eodem animæ cibo fruentes arctissima communio esse debet. Mitto alia plurima, quæ hinc deduci queunt.

LXI.

LXI. *Quorum verò sit S. Cœna frui, nunc investigandum venit.* Certum est solorum Christianorum privilegium esse; Non tamen omnium, qui Christiani audiunt, est. Primò necesse, ut mysterium intelligatur. Quomodo enim aliâs commemorari posset mors Christi? Excipiuntur adeoque infantes, amentes & similes. Dein requiritur, ut fruiturus verè fidelis sit. Est enim inter Christum & communicantem communio, quæ verò fidem poscit, 1. Cor. X, 16. Denique requiritur, ut pectus communicaturi fraterno amore flagret, ab odio alienum sit.

LXII. *Unde sequitur requiri præparationem & explorationem à communicaturo.* Non enim oralis manducatio sufficit. Si hæc sola, indigna est & accersit judicium 1. Cor. XI, 27. 29. 30. Qui olim de carne sacrificiorum comedere volebant, requirebantur puri. Qui de carne Filii Dei edere proponit, animo mundus sit oportet. Omnes actus sacri animo ritè præparato subeundi, per consequens etiam hic.

LXIII. *Præparatio & exploratio sui in sequentibus collocari potest.* Primò negotia mundana ad tempus mittenda sunt. Tum verò fruiturus in seipsum descendit, statum suum examinat, confert actiones suas cum lege, malas agnoscit, ingenuè deplorat, confitetur, earum remissionem in Christo Jesu implorat, firmiter credit in illo salutem inveniri, atque etiam ipsam

ipsam S. Cœnam eum in finem institutam esse, ut fideles & resipiscentes peccatores de venia peccatorum certos reddat. Hoc verò examen corde devoto, humili, Deum amante, peccata abominante instituendum. Qui se ritè præparavit, atque statum suum talem deprehendit, cui divina gratia promissa est, ille pensitatione totius Mysterii de morte Christi facta S. Cœnâ fruitur, hinc firmius Christo adhæret, atque in posterum majori cura præceptis Dei obedientiam præstare serió constituit.

CAPUT XXVIII.
De
DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

Σύνοψις.

Quoniam in Ecclesia externa mali bonis immixti vivunt, Disciplina Ecclesiastica necessaria est. §. I.

Cujus natura explicatur. §. II.

Probatur ejus necessitas, tum ex institutione Christi & Apostolorum. §. III. IV.

Tum ex praxi primitivæ Ecclesiæ. §. V.

Tum quoque ex natura

tura Ecclesiæ. §. VI.
Tum denique ex utilitate. §. VII.
Necessitate adstructâ ostendantur Disciplinæ abusus. VIII.
Usus. §. IX.
Jus Disciplinæ Ecclesiasticæ est penes totam Ecclesiam aut delegatos Viros. §. X. XI.
Objectum sunt singula membra cujuscunque statûs, conditionis, sexûs. §. XII.
Speciatim qui peccant vel in doctrina vel in vita. §. XIII.
Modus Exercitii Disciplinæ. §. XIV.
Circa quem notanda sunt quæ exercitium antecedere. §. XV.
Quæ comitari. §. XVI.
Quæ sequi debent. §. XVII.
Ultimò occurritur iis, qui arbitrantur ejusmodi Disciplinam impossibilem esse. §. XVIII.

§. I.

SUperioribus Capitibus considiravimus Ecclesiam juxta externam formam, annuntiationem voluntatis divinæ, administrationem Sacramentorum. Quod si singuli, qui Ecclesiam constituunt, juxta leges divinas viverent, aliud quid, quod Ecclesiæ necessarium, restare non videtur. Quia verò plures mali cœtibus immixti esse solent, porrò dicendum est quâ ratione hi coërcendi, tum ut ipsi emendentur, tum ut corruptioni in alios exundaturæ apex ponatur.

II. *Huic fini inservit Disciplina Ecclesiastica, quâ prudenti Ecclesiæ judicio peccatores, pro diversitate delicti, vel corripiuntur, vel ad tempus à quibusdam privilegiis arcentur, aut prorsus à cœtu excluduntur, donec ad meliores fruges redeant.*

III. *Disciplinam Ecclesiasticam probat Scriptura, Praxis primitivæ Ecclesiæ, natura Societatis sacræ, denique utilitas.*

IV. *Primò Scriptura.* Matth. XVIII, 17. Si frater, qui adversus te peccavit, neque tuæ privatissimè factæ increpationi aut quæ præsente unô alterôve teste instituta, *obsequium gesserit, dic Ecclesiæ. Si etiam Ecclesiam non audiverit, esto tibi ut Ethnicus & publicanus.* Hæc quidem respiciunt ad mores Judæorum, sed ita ut discipulis Christi imitanda proponantur. Dein totum quintum caput primæ Pauli ad Corinthios Epistolæ variis argumentis idem probat. Nam (1.) Corinthii increpantur, quòd incestuosum cœtu non ejecerint, v. 2. (2.) Redditur ratio: *Annon nostis parùm fermenti totam massam fermentare*, v. 6. (3.) Provocat ad judicium antea datum. *Scripsi vobis in Epistola ne commisceamini cum scortatoribus*, v. 9. (4.) Et v. 11. *Nunc scripsi vobis, ne commisceamini, sc. Si quis, qui frater nominatur, sit scortator, aut alieni avidus, aut idololatra, aut convitiator, aut ebriosus, aut rapax. Cum tali nequidem edite.* (5.) Vindicat Ecclesiæ judi-

judicium: *Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?* v. 12. (6.) Hinc concludit: *Tollite igitur improbum ex medio vestrum*, v. 13. Quid clarius? Noli dicere Apostolorum prærogativum fuisse, quâ sceleratos Satanæ tradebant. Hoc in medio relinquamus. Abundè tamen ex dictis constat Ecclesiæ esse sceleratos è cœtu ejicere. Insuper 2. Thess. III, 6. *Præcipimus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi ut subducatis vos ab omni fratre, qui inordinatè ambulat & non ex tradita doctrina, quam accepit à nobis.* Sic v. 14. 15. conf. 1. Tim. V, 1. 2. Tim. III, 5. Tit. III, 10. 2. Joh. v. 10. 11. Ex allatis clarissimè constat quod juxta Christi & Apostolorum doctrinam in Ecclesia disciplina requiratur. An hæc constitutio temporaria? An disciplinæ in natura sua consideratæ quidquam inest, quod cum statu Ecclesiarum subsequentibus temporibus consistere nequeat. An nunc Ecclesiæ nostræ à sceleratis purgatæ. Quoniam omnia aliter se habent, palam est Ecclesiam, quæ caret disciplina, non esse Ecclesiam ad institutionem divinam.

V. *Secundò praxis primitivæ Ecclesiæ.* Quod Christus & Apostoli ordinarunt, præceperunt, id quoque primitiva Ecclesia observavit, sicuti ex Historia Ecclesiastica constat. Verum quidem, quod non eadem semper disciplinæ ratio fuerit, extitit tamen quædam disci-

plina ad terrorem malorum. Circumstantiæ variabant, nec ob varias causas eædem esse valent, sed res ipsa erat. Atque hoc sufficit. Quod verò Ecclesia primitiva observavit, id etiamnum observandum, etenim præceptum quod prisca tempora obligabat, obligat etiam nostra. Tantò magis quoniam nostris temporibus Magistratus Christianus, qui tum Gentilis erat. Aliàs dicendum Ecclesiam sub Magistratu Christiano constitutionibus divinis non frui posse ut sub Gentili, quod minus rectè se habet.

VI. *Tertiò natura societatis sacræ.* Nulla societas absque disciplina consistere potest, multo minus sacra. Quò enim cives hujus societatis sanctiores poscuntur præ alia eò magis mali disciplinâ coercendi aut etiam segregandi sunt.

VII. *Quartò egregia Ecclesiæ utilitas.* Nam disciplinâ mali cohibentur, terruntur, aut etiam tanquam putida membra resecantur; Boni tranquilliorem vitam & sine scandalo agunt. Hinc regnum Dei apud exteros benè audit, amplificatur. Judicia Dei ab Ecclesia avertuntur, si seipsam judicat, nec cum aliorum peccatis communicat.

VIII. Allata satis probant Ecclesiam Christianam sine disciplina nullatenus esse posse. Progrediendum nunc & ostendendum, in quibus bona disciplina consistat. Negari enim

nequit

nequit non omnem disciplinam eam esse, quâ Ecclesia ædificatur. *Nos verò distinctius hac de materia judicemus, primò memorabimus abusus, tum ea, quæ genuinam disciplinam constituunt.*

IX. *Abusus sunt, primò* si disciplina quidquam continet quod legi & Evangelio adversatur. *Secundò* si subjectionem & reverentiam erga Magistratum tollit. Disciplina Ecclesiastica Magistratui minimè adversatur, sed potius eum variè juvat. Unde primi Christiani etiam tum eam exercebant, quando Magistratus Gentilis existebat. *Tertiò* si æquo lenior & solis admonitionibus objurgationibus constat. Hæc effectum salutarem non assequitur. Alia est quàm Christi & Apostolorum aut etiam primitivæ Ecclesiæ. *Quartò* si rigidior, qualis si gradus non observantur, aut si cum potestate externa coactiva aut opum privatione conjuncta est, vel si pœnitens in gremium Ecclesiæ non recipitur. *Quintò* si penes unum aut paucos stat. Talis facilè in dominium aut tyrannidem degenerat. *Sextò* si exercetur animo vindictæ pleno προσωποληπτως, præcipitanter & qui similes nævi sunt.

IX. *Recensitis nunc notantioribus abusibus facilè constat quomodo boni nominis disciplina comparata esse debeat.* Etenim oppositorum est opposita ratio.

X. *Dicenda de genuina Disciplina redi-*

gemus ad tres partes. Quarum prima tractabit personas, quarum est disciplinam exercere: Altera personas, adversus quas exercenda: Tertia modum & rationem exercitii.

XI. I. *Personæ, quarum est disciplinam exercere, Ecclesiæ nomine veniunt*, Matth. XVIII, 17. Etiam Paulus 1. Cor. V. excommunicationem incestuosi toti Ecclesiæ competere non obscurè indicat. Saltem quorundam tantùm jus esse nullo indicio patet. Hæc tamen certis prudentiâ, sapientiâ & pietate insignibus membris ad hunc finem selectis cognitionem, judicium, exemtionem, committere valet, cujus sententiam juxta leges divinas latam cœtus approbat.

XII. II. *Personæ, circa quas disciplina exercenda est, possunt esse singula membra cujuscunque statûs*, Politici, Ecclesiastici, domestici, *sexûs* masculini, fœminei, *conditionis* sive heri, sive servi, sive divites, sive pauperes &c sint. Juxta Paulum omnes, qui ad Ecclesiam pertinent, 1. Cor. V, 12. ab Ecclesia judicantur. Omnes fratres, Matth. XVIII, 15. Et ratio clara. Ecclesia ut Ecclesia omne hoc discrimen tollit, Jac. II, 1--8. An delictum tantùm in serva, ancilla, subdito? Annon in Domino, Domina, Magistratu? Vel an delictum pauperum, subditorum gravius, magis scandalosum, & quod alios potius ad imitationem trahit? Profectò non. Quâ igit ur

igitur lege, ratione in Sacris fundata quidam excipiendi sunt? Ecclesia prmitiva nemini pepercit. Disciplina tamen Ecclesiastica, si virum in dignitate constitutum ferit, illum potestate & auctorirate sua in Politicis non exuit.

XIII. *Speciatim sunt qui peccant vel in doctrina vel in vita. In doctrina*: Si qui doctrinam Christi non tenent 2. Joh. v. 10. aut postquam edocti erant, rursum repudiant, 1. Tim. I, 19. 20. vel tumultus, lites excitant, Rom. XVI, 17. Ubi tamen probè notandum, quod non omnis dissensus Disciplinæ Ecclesiasticæ subjicienda sit maximè quando dissentiens mentem suam modestè & rationibus proponit, nec constituit pacem Ecclesiæ turbare Phil. III, 15. sed qui contrarius doctrinæ Christi, fidei Christianæ, non verò opinioni unius aut alterius Doctoris 2. Joh. 9. 10. Philipp. I, 19. 20. *In vita.* Censuræ Ecclesiasticæ subjicienda sunt cuncta publica delicta, quæ scandalum præbent, & alios ad imitationem trahere possent. Mirum videtur, quod in quibusdam locis, ubi aliqua adhuc Disciplinæ Ecclesiasticæ ratio habetur, paucos tantum peccatores, scortatores veluti, Disciplinæ subjiciant, eximant verò alios non minus gravium delictorum reos. Aliter Paulus 1. Cor. V, 11. *Nunc scripsi vobis ne commiscearemini scil. si quis frater appellatur & est vel scortator, vel avarus,*

vel Idololatra, vel conviciator, vel ebriosus, vel rapax, cum tali ne quidem edite. Clarissima sunt Pauli verba, quæ etiam avaros, convitiatores, ebriosos, rapaces communione fidelium excludendos statuunt. Et quare non? Vel an sunt transgressiones, quas infirmitatum appellamus? Si hæc & similia excludunt à regno cœlorum, 1. Cor. VI, 9. 10. Gal. V, 9-22. an injuria vel an nimius rigor, si ejusmodi peccatores sanctorum cœtu expelluntur. Non arbitror. Illi potius videri possunt rigidi saltem perquam noxia lenitate, uti, qui eos membra Ecclesiæ Christianæ habent. Hâc enim ratione fit, ut plurimi judicent memorata scelera cum Christianismo consistere posse, se non esse scortatores, blasphemos, Christianorum nomine indignos. Alia tristia consectaria hinc fluunt.

XIV. III. *Modus Disciplinæ Ecclesiasticæ exercendæ. Ad quem intelligendum rursum tria notanda sunt.* א. *Quæ exercitium Disciplinæ antecedere debent.* ב. *Quæ illud comitantur.* ג. *Quæ tandem sequuntur.*

XV. א. *Exercitium Disciplinæ antecedere debent.* Antequam membrum publicæ censuræ subjicitur, magna prudentia opus. Non enim cuilibet delatori aures patulæ præbendæ aut accusationes, maximè Personarum Politicarum vel Ecclesiasticarum mox propalanda sunt. Minimè. Quare attendendum tum ad

ad delatorem tum ad accusatum. Si ille malæ famæ, delationi non prius fides habenda, quàm certis indicis veritas aut summa probabilitas constat. Si verò ἀξιόπιστος, vir probatus, tum quoque non onerandus aut deterrendus longis molestisque probationibus. Consimiliter circumspectione opus ratione accusati an malè vel benè audiat. Quando verò delatio fundata videtur reus primò privatim compellandus atque monendus ut Deo gloriam tribuat factumque confiteatur. Si hic confitetur & semel tantùm factum patravit atque id uni aut alteri tantùm innotuit, charitas poscere videtur, ut sub conditione vitæ immutandæ non detegatur. Si verò non confitetur aut etiam scelus publicum in quod accusatus sæpius prolapsus erat, tum publicæ disciplinæ subjiciendus est.

XVI. ב. *Exercitium Disciplinæ comitantur.* Primò quidem reus sceleris accusati convincitur. Tum pro ratione facti aliarumque circumstantiarum vel objurgatur tantùm vel vitatur à singulis Ecclesiæ membris 2. Thess. III, 6. 14. 15. 1. Cor. V, 11. 2. Joh. v. 10.

XVII. ג. *Exercitium Disciplinæ sequuntur.* Objurgatus qui malefactum agnoscit, deplorat, deprecatur scandalum Ecclesiæ præbitum, pro circumstantiis ab ulteriori disciplina liber habetur, vel prius certa pœnitentiæ indicia edere tenetur. Sic quoque quem Ecclesia vitandum censebat, cognitâ verâ ejus pœni-

tentiâ publicè recipitur. Durum & injustum esset illum perpetuò à cœtu segregare, qui ad meliores fruges rediit 2. Cor. II, 7. 8. Scopus Disciplinæ Ecclesiasticæ est peccatores emendare. Quare si tum assecuta est, tum rigor cessat.

XVIII. Antequam capiti huic finem impono, verbo illis respondendum est, qui ejusmodi disciplinam præsenti corrupto rerum statu impossibilem agnoscunt, optandis potiùs quàm sperandis annumerant. Ultrò fatemur varia esse sive in genere ad corruptionem hodiernam, sive in specie ad statum Politicum, Ecclesiasticum, domesticum respiciamus, quæ perfectionem Disciplinæ Ecclesiasticæ formam difficillimam reddere videntur. Attamen ex institutione divina evidentissimum est talem esse debere. Dein quòd in Ecclesia primitiva & ea, quæ sub Imperatoribus Ethnicis existebat in usu, simpliciter impossibile dicendum haud est. Annon sub Magistratu Christiano ea Ecclesiæ felicitas, quæ sub Ethnico jure speratur. Plurimorum judicio, non diffiteor, hodierna Ecclesiæ facies satis misera est, sed quò jure ea ita mansura ut florentiori locum non relictura sit. Precibus & prudenti Virorum, quibus Ecclesiæ curæ cordique est, labore plus efficitur, quàm manibus remissis & voce nonnisi querebunda, aut animo desperabundo. Nec is peccare censendus, qui ideam Disciplinæ

format,

format, qualis ex jure divina & natura Societatis sacræ requiritur, si vel maximè supra spem est. Aliquando votum pium sufficit.

CAPUT XXIX.

De

OPPOSITO STATU FIDELIUM ET INFIDELIUM POST HANC VITAM.

Σύνοψις.

HActenus de statu hominum in hac vitâ: Nunc de eorumdem post hanc vitam. §. I.

Omnibus Hominibus moriendum est. §. II.

Mortis causa peccatum. §. III.

Sed dispar longè inter mortis fidelium quâ infidelium. §. IV.

Quorum enim animæ statim Paradisi incolæ fiunt. §. V.

Sed horum angore & cruciatibus afficiuntur. §. VI.

Commentum est animas interire, aut dormire, vel igne purgari, aut necessitates nostras nosse. §. VII.

*Non tamen animæ semper â corporibus sejunctæ existent, verùm hæc aliquando excitabuntur & cum animabus suis conjungen-

gentur. §. VIII.

Quod variis argumentis adstruitur. §. IX.

Speciatim probatur universalis piorum & impiorum resurrectio. §. X.

Et quidem resurgent illa ipsa corpora, quæ ceciderunt. §. XI.

A resurrectione nonnisi illi excipiuntur, qui superstites futuri tempore resurrectionis. §. XII.

Resurrectionis causa Deus, speciatim Jesus Christus. §. XIII.

Qui mortuos excitabit rediturus ad judicium. §. XIV. XV. XVI.

Cujus reditûs modus panditur. §. XVII.

Tempus quod ratione Dei certum, ratione creaturarum incertum. §. XVIII.

Dantur tamen quædam signum illum antecessoria. §. XIX.

Notatur insuper reditûs finis. §. XX.

Qui est universale judicium. §. XXI.

Cujus veritas adstruitur. §. XXII.

Indicatur objectum. §. XXIII.

Quod tum Angeli mali. §. XXIV.

Tum homines boni & mali. §. XXV.

Nominantur Ministri qui Angeli. §. XXVI.

Ad judicium hoc pertinet causæ cognitio. §. XXVII.

Juxta quam cogitata, dicta, facta, secundum legem tum cordi inscriptam, tum externè rogatam cognoscuntur. §. XXVIII.

Præterea sententiæ pronuntiatio. §. XXIX.

Quæ

Quæ erit vel condemnatoria. §. XXX.
Vel absolutoria. XXXI. XXXII.
Insuper executio, cujus vi nonnulli morte, alii vitâ æternâ afficiendi sunt. §. XXXIII.
Quod ad mortem æternam spectatur, illa (I.) in se. §. XXXIV. XXXV.
Ratione boni, quo privandi. §. XXXVI.
Ratione dolorum quos animabus & corporibus ferent. §. XXXVII.
Unde constat pœnæ gravitas. XXXVIII.
(II.) Dein spectantur varii gradus. §. XXXIX.
(III.) Tandem æternitas. §. XL.
Quod ad vitam æternam, consideratur ratione absentiæ omnis mali, turpis & tristis. §. XLI. XLII. XLIII.
Ratione boni, quod summum, ceu quod ipse Deus. §. XLIV.
Redundabit illud in corpus. §. XLV.
In animam. §. XLVI.
Augetur felicitas amœno domicilio & dulci consortio. §. XLVII.
Gradus gloriæ erunt secundum opera fidelium. §. XLVIII.
Ultimò vitæ æternitas adstruitur. §. XLIX.
Votum. §. L.

§. I.

HActenus verba fecimus de statu hominum in hac vita. Ultimò hoc Capite dicturi sumus de statu post hanc vitam. Atque hæc meditatio plurimùm usûs habet.

Qui

Qui enim dignè meditabitur de fluxa vita ſua, de ſtatu poſt hanc vitam immutabili, felici aut infelici, plura & graviſſima reperiet argumenta vitam præſentem ſecundum voluntatem Dei ducendi.

II. *Omnibus hominibus moriendum eſſe veritas eſt teſtatiſſima.* Scriptura, Hiſtoria, quotidiana Experientia neminem dubitare ſinunt.

III. *Atque omnium ſive fidelium ſive infidelium mors à peccato ortum trahit.* Mors in neminem regnare poteſt, in quo non eſt peccatum Rom. V, 12. Quod ad infideles res clariſſima. Quia enim peccarunt & membra corporis ſui membra ad injuſtitiæ ſerviendum ſtiterunt, mortem pro ſtipendio reportant Rom. VI, 23. Major videtur difficultas quoad fideles ceu quorum obitus ipſis *lucrum* Philipp. I, 21. profectio ad Dominum, Chriſtum, vitam 2. Cor. V, 8. Joh. V, 24. Phil. I, 23. Attamen horum quoque mors fructus peccati eſt tum demum abolendus, quando Chriſtus de omnibus ſuis hoſtibus triumphavit. Aculeus quidem morti piorum demtus eſt & merito Jeſu Chriſti ad maxima bona aditum concedit.

IV. *Quamvis mors fidelem æque ac infidelem maneat, diſpar longè hujus præ illo mox poſt mortem ratio eſt.* Non quidem quoad corpus, nam utriusque ſeminis inſtar terræ committitur, ſed quoad animam. Fidelis quidem in Deo quieſcit ſed infidelis cruciatur.

V. *Quod*

V. *Quod animam fidelis attinet, illa mox post mortem Paradisi sive Cœli iucola fit*, quantum ex sequentibus Scripturæ locis colligere licet. *Hodie mecum eris in Paradiso*, Luc. XXIII, 43. At Paradisus est cœlum. Extraordinarium quid huic latroni obtigisse certo indicio non constat. Apoc. XIV, 13. *Beati qui in Domino moriuntur â nunc. Imò, ait Spiritus, ut quiescant ab operibus suis.* 2. Cor. V, 1. *Novimus, quod dissoluta domo tabernaculi terrestris ædificium habituri ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis.* & v. 8. *Malumus abesse à corpore & esse apud Dominum.* Phil. I, 21. *Mori est lucrum.* & v. 23. *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Act. VII, 59. Stephanus precatur. *Domine Jesu suscipe Spiritum meum.* Etiam David Ps. XXXI, 6. Idem vult Parabola Lazari Luc XVI, 22. Id quidem facilè concedi potest, quod anima nondum omni illa felicitate beetur, quâ beanda post resurrectionem corporis. Attamen loca allata statum felicem abunde probant, quod ex sola eorum lectione constare potest. Licet nonnulla certas personas spectent, alia tamen omnes fideles & quæ certas personas spectant ita comparata ut aliis fidelibus etiam competant.

VI. *Quod verò animam infidelis illa statim post excessum ex corpore horrore & cruciatu afficitur.* Hic quoque valet *oppositorum est opposita ratio.* Patet ex Parabola epulonis Luc. XVI,

XVI, 23. Attamen cruciatus, quem ante ultimum judicium impiorum animæ subeunt, alius ab eo quem tum subituri Matth. XXV, 41.

VII. *Commenta sunt plurima, quæ homines æquo curiosiores de statu humano post hanc vitam excogitarunt, velut quod animæ cum corpore intereant, aut dormiant, veligne purgentur, aut singulas necessitates nostras intelligant.* Quibus, quod Christus in simili materia ad Sadducæos dixit, respondemus: *Erratis, qui neque Scripturas neque potentiam Dei nostis*, Matth. XXII, 29. Circa hæc & similia non audienda est ratio, quæ ad ea cognoscenda progredi nequit, sed solum Dei Verbum. Quæ revelata non sunt, tutius ignoramus, quàm curiosius scrutamur. Tales potius juxta voluntatem Dei nos geramus ut indubitato ingentem felicitatem post hanc vitam in pios conferendam nobis promittere queamus.

VIII. *Atque hic erit tum fidelium tum infidelium, ut supra descripsimus, status usque ad universalem mortuorum resurrectionem. Primò in genere veritatem Resurrectionis, tum in specie impiorum æque ac piorum Resurrectionem demonstratam dabimus.*

IX. *Quod attinet Resurrectionis mortuorum veritatem, illa rejicitur vel quia impossibilis vel quia revelatione divina constat Resurrectionem non dari. Sed neutrum dici potest.* Non prius. Scriptura non solùm sed &

ratio

ratio clarè docet Deo nihil, quod ad gloriam ejus pertinet, impossibile esse, maximè humaniores limites potentiæ divinæ figere non posse. An is, qui omnia ex nihilo creavit, etiamnum conservat, gubernat, qui ex seminibus mortuis ad omnium attendentium admirationem & stuporem quotidie creaturas producit, an is, inquam, qui hæc cuncta operatur, hominum cadavera suscitare non valet, si vult. Velle autem evidentissimè tradit Scriptura V. & N. Testamenti. *Scriptura V. Testamenti*, veluti gratiosa formula *Ego sum Deus Abrahami* &c. vim argumenti monstrante ipso Salvatore & Sadducæos confundente Matth. XXII, 29-35. Dein Job. XIX, 25-28. Insuper Dan. XII, 2. *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt.* Ne dicam de visione Ezecheliana cap. XXXVII, 1-15. mortuis resuscitatis. *Scriptura quoque N. Testamenti* in qua non incidenter tantùm sed ex professo variis argumentis resurrectionis veritas adstruitur veluti à Christo Matth. XXII, 29-35. à Paulo 1. Cor. XV. passim. 1. Thess. IV, 14-18. Eandem veritatem probant resurrectio Christi, veracitas, bonitas, justitia Dei, conditio fidelium & infideliũ, speciatim corporum, quæ tabernacula Spiritus S. Rom. VIII, 11. Probant cuncta illa argumenta, quæ inferius proferentur ad probandam mortem & vitam æternam ceu quæ mortuorum resurrectionem prærequirunt. Tandem probat Veritas Religionis

Christianæ, quæ nulla, si non datur mortuorum resurrectio, hinc hæc rectè dicta *Christianorum fiducia.*

X. *Resurgent autem omnes, pii & impii.* Nam omnes judicandi; E. omnes è morte excitandi sunt 2. Cor. V, 10. *Pii: Deus est Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi* Matth. XXII, 32. Christus qui capiti, prmitiis accomparatur, resurrexit, resurgent ergo etiam membra, massa. 1. Cor. XV. & passim alibi. Sed non pii soli verùm etiam impii resurgent juxta loca Act. XXIV, 15. *Spem habeo ad Deum fore resurrectionem mortuorum, δικαίων τε καὶ ἀδίκων justorum & injustorum*, cf. Joh. V, 28. 29. Apoc. XX, 12-f. Dan. XII, 2. Poscit id justitia Dei 2. Thess. I, 6-11. Qui verò negant impiorum resurrectionem præterquam quod nihil solidi pro sua opinione vel ex natura vel ex Scriptura proferre queant, frœnum impietati laxant 1. Cor. XV, 32.

XI. *Ipsa illa corpora, quæ ceciderunt resurgent* (1.) Hoc vult vox originalis, *ἀνάστασις resurrectio.* Si aliud animæ adjungeretur, non esset resurrectio. (2.) Hoc volunt loca Scripturæ Job. XIX, 25. 26. 27. 1. Cor. XV, 53. 54. 2. Cor. IV, 10. (3.) Hoc vult exemplar resurgentis Christi, cui nostra resurrectio similis futura Phil. III, 21. (4) Hinc corpus nostrum semini comparatur quod ipsum terræ commissum progerminat 1. Cor. XV, 42-45. (5.) Hoc quoque vult judicium, juxta quod *quisque reportabit quæ in*

in corpore fecit sive bonum sive malum. 2. Cor. V, 10. Nec quidquam obstat, nisi quod ratio modum ignoret atque tot difficultates solvere nequeat. Sed quasi verò Deus nihil posset, nisi cujus modum nos intelligimus atque hoc quidem absque difficultatibus.

XII. *A resurrectione excipiendi sunt nonnisi illi, qui superstites futuri tempore resurrectionis.* Hi enim resurrectione non indigent. Attamen mutandi sunt, notante Paulo, 1. Cor. XV, 51. 1. Thess. IV, 15-f. Mutationis hujus modus nos latet. Quia tamen morti substituitur, eum in superstitibus effectum relictura, quàm in reliquis mors, ut communione, gloria Dei digni futuri sint.

XIII. *Causa Resurrectionis est Deus, speciatim Jesus Christus.* Patet ex magnitudine operis, nam ut nullus sibi vel aliis vitam dare potest, ita quoque non se vel alium ex mortuis excitare. Unde mortuorum excitatio tanquam miraculum notatur Matth. XI, 5. Deo quoq; sæpius attribuitur Joh. V, 21. 2. Cor. IV, 14. Matth. XXII, 29. Speciatim Jesu Christo Joh. V, 21. Joh. XI, 25. qui simul causa meritoria. *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur* 1. Cor. XV, 22.

XIV. *Coincidet mortuorum resurrectio in decantatum Jesu Christi adventum.* 1. Thess. IV, 16. *Ipse Dominus cum hortationis clamore, cum voce Archangeli & cum Dei tuba descendet*

det à cœlis & qui mortui fuerunt in Christo resurgent. Imò adventus hujus hic erit finis ut mortui excitentur & sententia de iis feratur.

XV. *Ad adventum hunc rectius cognoscendum notanda sunt* (1.) *Persona adventans.* (2.) *Modus.* (3.) *Tempus.* (4.) *Finis.*

XVI. (1.) *Persona adventans* est Jesus Christus in forma visibili humana, ut eum omnes oculis suis intueri queant. Act. I, 11. Jud. v. 14. 2. Thess. I, 10. Apoc. I, 7. Matth. XXIV, 30. Rectè qui prius venit pauper & abjectus, nunc quoque venit glorioſus & Majestatis divinæ symbolis insignis. Dein filius solus carnem assumsit, in qua conspici potest. Facit verò contemplatio ad gaudium piorum, terrorem impiorum, qui videbunt, quem transfoderant.

XVII. (2.) *Modus adventûs*, ad quem referimus (a) *Locum, quem Christus relicturus*: Hic est cœlum tertium, in quo nunc existit, Act. I, 11. (b) *Locum, quem tum occupaturus*, qui nubes, aër videtur. Apoc. I, 7. 1. Thess. IV, 16. (c) *Ministerium* constans ex Angelis potentibus 2. Thess. I. 7. Sanctis Luc. IX, 26. Myriadibus Angelorum Jud. v. 14. Omnibus Angelis, Matth. XXV, 31. (d) *Gloriam*, quæ quod ex dictis jam elucet, summa, verè divina erit Matth. XXV, 31. *Omnes tribus terræ videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli* μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς *cum potentia & gloria multa*, c. XXIV, 30. *Ipse Dominus descendet de cœlo*

cum

cum hortationis clamore, quô mortui resurgant *cum voce Archangeli* quâ se Archangelum docebit *cum tuba Dei* allusione ad priscum tubarum usum 1. Thess. IV, 16. *Sicut fulgur exit ab Oriente & lucet usque in Occidentem* Matth. XXIV, 27. Ex his constat quàm terribilis & glorioſus Christi adventus futurus sit consideratione nostra dignissimus, unde Enoch prophetans ait *Ecce* &c. Jud. 14. Hinc quoque Christianorum symbolum ad observationem præceptorum Christi compellens ortum habet μαρὰν ἀθὰ מרן אתא *Dominus noster venit*. 1. Cor. XVI, 22.

XVIII. (3.) *Tempus hôc variô respectu certum determinatumque, vel incertum. Priori modo ratione Dei*, qui fixit ἡμέραν, εἰς ἣν μέλλει κρίνειν τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ, *diem, quâ orbem in justitia judicaturus est* Act. XVII, 31. allusione ad diem judicialem, quem Judex præfigere solet. *Posteriori ratione creaturarum, de die illa & hora nemo novit, neque Angeli in cœlo, neque filius nonnisi Pater* Marc. XIII, 32. cf. Matth. XXIV, 44. Hinc adventus describitur inopinatus, instar furis nocturni 2. Petr. III, 10. 1. Thess. V, 2. Matth. XXIV, 43. 44. Vult autem Deus, ut dies hic nos lateat, quô omnes observemus. *Vigilate igitur*, Marc. XIII, 35. *quæ vobis dico, omnibus dico, vigilate*. cf. Matth. XXIV, 42. XXV, 13. Luc. XXI, 36. 1. Thess. V, 6. Et quoniam omnium nostrûm

dies emortualis ille eſt qui nos tales Chriſto adventanti ſiſtet, quales tum eramus, ratio ſalutis noſtræ poſcit, ut ſemper ſobrii ſimus & vigilemus.

XIX. *Quamvis præcisè tempus adventûs Chriſti incognitum ſit, attamen nonnulla ſigna quæ eum præcedere debent, notata ſunt* Matth, XXIV, 32. 33. *A ficu diſcite parabolam hanc: quando ramus ejus tener eſt, & folia germinant cognoſcitis, quod meſſis propinqua. Sic etiam vos, quando hæc omnia cernitis, cognoſcite quod propè abſit ab oſtiis.* cf. 1. Theſſ. V, 3. Luc. XXI, 28. Signa ſunt veluti ingentes motus in Eccleſia, bella, extraordinarii caſus in cœlo ejusq; luminaribus, ſecuritas & corruptio ſumma, præconium Evangelii per totum orbem. Anti-Chriſti deſtructio, Judæorum converſio, de quibus Matth. XXIV. Marc. XIII. 1. Theſſ. V, 3. 2. Theſſ. II, 8. Rom. XI, 25. 26. 27. Quæ quoque ſigna rurſum generalibus verbis indicata ſunt atque ideo modeſtum interpretem poſtulant.

XX. (4.) *Finis.* Adventus hujus finis eſt judicium ultimum. *Ecce Dominus venit cum myriadibus ſanctorum ſuorum* ποιῆσαι κρίσιν κατὰ πάντων *ut faciat judicium adverſus omnes* Jud. v. 14. 2. Theſſ. I, 7-11.

XXI. Judicii hujus conſideranda veniunt א. Veritas. ב. Objectum. ג. Miniſtri ד. Cauſæ cognitio. ה. Sententiæ pronuntiatio. ו. Executio.

XXII.

XXII. N. *Veritas Judicii ultimi, quô Jesus Christus resuscitatos per Angelos suos ex toto mundo colliget, bonos à malis separabit, & publica ac solenni sententiâ illos vitæ æternæ mox adeundæ hæredes declarabit, hos verò morti æternæ, statim etiam adeundæ, mancipabit.* Prostant in utroque Testamento hujus veritatis testimonia. In Vetere Enochus, cujus vaticinium ex Spiritus S. inspiratione Jud. v. 14. nobis reliquit. Salomo Eccles. XII, 14. Daniel c. XII, 2. Malachias III, 16. 17. 18. In Novo autem clarissimè Christus Matth. XII, 36. 37. 41. 42. XIII, 41. 42. 43. 49. 50. maximè XXV, 31--f. Paulus Act. XVII, 31. Rom. II, 4--11. 2. Cor. V, 10. 1. Thess. V, 2. 3. 2. Thess. I, 6-11. Hebr. IX, 27. Petrus 2. Petr. III, 10. 11. 12. Judas, Johannes Apoc. XX, 12-f. Omnes hi, inquam, Judicium ultimum tradiderunt. Id ipsum postulat Justitia Dei. Τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ *est, ut qui (scelera) patrant, morte digni sint* Rom. I, 32. *Justum penes Deum est afflictionem retribuere illis qui vos affligunt, sed vobis, qui affligimini, remissionem.* At experientiâ constat sæpius evenire ut mali toto vitæ suæ tempore, honore, divitiis, voluptatibus abundent sed pii calamitatibus premantur. Postulant porrò particularia judicia, quæ in tempore in individua aut integras rationes animadvertuntur, non animadvertuntur in alios eorundem scelerum reos. Quod cum justitia Dei facilè

cilè conciliatur statuendo superesse δικαιοκρισίαν θεοῦ Rom. II, 5. Postulat denique nexus resurrectionis & judicii. Ne dicam de conscientia, universali exspectatione piorum, consensu plurium Gentilium.

XXIII. ב. *Sequitur objectum, circa quod judicium versabitur.* Versabitur autem circa Angelos malos, homines bonos & malos.

XXIV. *Circa Angelos malos.* Hi quidem domicilio cœlesti jam dudum excluſi, nondum tamen ultimo judicio affecti sunt, sicuti Petrus 2. Petr. II, 4. Judas v. 6. tradunt. Præsens eorum status liberiori carceri, certo tamen & misero similis est, ex quo in die judicii ad pœnas commeritas damnabuntur. v. l. c. & Apoc. XX, 10.

XXV. *Circa homines bonos & malos.* Omnes enim coram tribunali Christi comparebunt reportaturi juxta ea, quæ fecerant sive bonum sive malum 2. Cor. V, 10. Rom. XIV, 10. Et Christus ovium & hircorum meminit, quos Angeli congregaturi Matth. XXV, 32.

XXVI. ג. *Ministri.* Illi ipsi Angeli, quorum supra §. XVII. mentio facta, Judici à manu erunt atq; excitatos ex omnibus finibus ad eum ducent judicandos, Matth. XXV, 31. 32. 2. Thess. I, 7. Jud. v. 14. Possent quidem cuncta omni potentia Judicis absque ministrorum operâ præstari, sed hæc facit ad Majestatem judicialem extollendam.

XXVII. ד. *Causæ cognitio.* Quoniam illud inter

inter homines judicium bonum haberi solet, in quo cuncta juxta acta & probata, juxta libros cognoscuntur judicium ultimum ceu perfectissimum sub tali schemate proponitur Apoc. XX, 12. 15. in quo tamen Judex omniscius libris non opus habet, & uniuscujusq; conscientiascelera, quorum causa damnatur, sponte fatebitur.

XXVIII. *Cognoscentur autem cogitata, dicta, facta secundum legem tum cordi inscriptam, tum externi revelatam.* Gentes, quæ legem externè rogatam non habebant, judicabuntur juxta legem cordis, non juxta Mosen & Evangelium, nam quod quis non novit, id non observatum causa condemnationis esse nequit. At Judæi, Christiani juxta utramque externam & internam legem Joh. XII, 48. V, 45. Judicabuntur autem juxta eam cogitata 1. Cor. IV, 5. verba otiosa Matth. XII, 36. speciatim dura, Jud. v. 14. omnia opera bona, mala, 2. Cor. V, 10. Jud. v. 14. maximè opera aut defectus charitatis Matth. XXV, 35.

XXIX. ה. *Sententiæ pronuntiatio.* Hæc causa cognitionem sequitur. Et quemadmodum causæ quæ cognoscitur vel bona vel mala ita pronuntiatio est vel condemnatoria vel absolutoria.

XXX. *Sententia condemnatoria* quâ Judex malos tanquam hœdos à bonis separabit atque ad sinistram collocabit, terribili forsan voce illos alloquens: *Abite à me, qui maledicti, in*

ignem æternum Diabolo & Angelo ejus paratum. Matth. XXV, 41. addita condemnationis ratione generali Matth. VII, 23. ſpeciali Matth. XXV, 42. adverſus quos condemnati jactatis externi cultûs operibus excipient atque ad cœleſtia gaudia intromitti petent ſed fruſtra Matth. VII, 22. 23. XXV, 12. 24. 25. 44. Quæ unumquemque dum in vivis exiſtit, prudentem reddere debent, ne ſtolide arbitretur jam ſufficere. ſi quis Jeſum Dominum agnoſcit, confitetur, in ejus nomine Evangelium prædicat, facta patrat, neminem lædit, talentum ſervat qui tamen omnes, ut ex locis allegatis conſtat, ſententiâ condemnatoriâ terrebuntur.

XXXI. *Sententia abſolutoria* quâ Judex homines fideles, bonos ad dextram collocabit aſſignaturus felicitatem æternam: *Venite benedicti Patris mei, hæreditate regnum paratum vobis à jactis mundi fundamentis* Matth. XXV, 34. laudatâ fidelitate, induſtriâ, charitate, c. c. v. 21. 23. 35.

XXXII. Quando verò operum patratorum mentio fit, minimè putandum vitam æternam cuipiam aſſignari ob meritum illorum, quod commentum jam alibi deſtruximus. Attamen id inde clarè ſequitur velle Deum non alios vitæ æternæ hæredes declarare quàm qui voluntatem ejus præſtiterunt, fidi erga Deum exſtiterunt, charitatem erga proximum exercuerunt. Vide inſuper 2. Cor. V, 10.

XXXIII.

XXXIII. ר. *Executio sententiæ.* Consilium Dei stat immotum, quare quoque sententia lata exequenda erit. *Et abibunt isti ad supplicium æternum; At justi ad vitam æternam* Matth. XXV, 46.

XXXIV. *De supplicio æterno notabimus* (1.) *Pœnam in se.* (2.) *Gradus.* (3.) *Æternitatem.*

XXXV. (1.) *Pœna in se considerari potest vel ratione boni, quo damnati privabuntur, vel ratione dolorum, quos ferent.*

XXXVI. *Bonum, quo damnati privabuntur.* Nullum bonum damnatis supererit. Fons boni est Deus, ex quo hactenus sua hauserant. Attum à facie ejus separabuntur Matth. VII, 23. ceu eâ indigni non supererit bonum animæ uti est pax, gaudium &c. non corporis. Hinc epulo sistitur etiam aquæ guttâ destituetur Luc. XVI, 23. 24. Omni luce privabuntur in extimis tenebris sedebunt. Matth. XXV, 30.

XXXVII. *Dolores, quos ferent, erunt* vel vel corporis vel animæ. *Corporis*: Hoc enim tanquam igne urendum sistitur, atque ita quidem ut ardor nulla affusa aqua restinguendus, nec corpus in cinerem redigendum sit, unde Marc. IX, 49. *Omnis igne salietur* ad perpetuitatem indicandum. *Animæ.* Quemadmodum in his terris de dolore corporis anima participat, sic etiam tum participabit. Insuper anima, quæ iram Dei fert propter inobedientiam, se om-

ſe omni felicitate excluſam videt, non poteſt non timere, angi, pudore confundi, deſperare.

XXXVIII. *Scriptura pœnæ gravitatem expreſſura variè loquitur. Ignis* Matth. XXV, 41. *Fornax ignis* c. XII, 42 *Flamma ignis* Luc. XVI, 24. 2. Theſſ. I, 8. *Stagnum ignis ardens ſulphure* Apoc. XIX, 20. *Tormenta* Luc. XVI, 23. *Ligatio manuum pedumque atque ejectio in extimas tenebras* Matth. XXII, 13. *Supplicium* c. XXV, 46. unde excitatur *fletus & ſtridor dentium* c. XXII, 13. Horum attentior conſideratio docet pœnæ infernali ineſſe cuncta, quæ eam graviſſimam ſiſtunt. At dices: Eſſe quædam impropriè dicta. Reſp. Licet hoc quoad unum aut alterum concederetur minimè tamen pœnæ gravitas extenuaretur. Impropriè dicta ſenſum ſæpius aggravant, quod ex ſcopo ſcire licet, qualis in præſenti themate eſt.

XXXIX. *Pœnæ infernalis gradus.* Quemadmodum damnatorum impietas major vel minor, ſic etiam pœna erit. Etenim pœna reſpondebit ſceleri. Clarè conſtat ex Luc. X, 12. 14. Videtur autem quod inter Gentes ſceleratiſſimæ fuerint Sodomitæ, Tyri, Tzidonii: Unde concluditur quod minus ſceleratæ etiam minorem pœnæ gradum ſubituræ ſint. Attamen differentia quædam ſpecialior in Sacris non notata eſt, E. etiam à nobis non rimanda.

XL. 3. *Pœnæ infernalis æternitas.* Dolores infernales non ſolùm acuti ſed etiam æterni, ſive

sive sine fine mansuri in Scriptura proponuntur. Quod probatur (a) nam ignis inferni ἄσβεστος, *non extinguitur* Matth. III, 12. Marc. IX, 44, 45. (b) Dein vermis damnatorum *non moritur* Marc. IX, 48. semper rodit, adeóque non deerit materia morsus. (c) Præterea ὄλεθρος αἰώνιος *exitium æternum* 2. Th. I, 9. est (d) imò κόλασις *punitio æterna* Matth. XXV, 46. (e) *Nec non cruciatus diu noctuque* εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων *in secula seculorum* Apoc. XX, 10. unde qui absque præjudicio allegata loca legit, aliam conclusionem ex vi verborum nectere nequit quam quod damnati perpetuis cruciatibus subesse debeant. Quod multùm inde confirmatur, quoniam qui aliter sentiunt velutuntur solis ratiociniis, quibus in ejusmodi materia nullus locus dandus est vel talibus Scripturæ locis, quæ nonnisi vi & per multas consequentias ad ζητούμενον eruendum trahuntur: quæ verò locis claris longè post ponenda sunt. Quis à partibus liber purgarium aliquod, liberationem aut malorum hominum aut diabolorum ex inferno, testimonio vel aliqua tum ratione stringente ex Scriptura probare valet. Exstat quidem phrasis ἀποκατάστασις πάντων Act. III, 21. Sed quis sapiens eam huc referet? Annon clarè conjungitur cum adventu Christi ad judicium, quo mali non liberabuntur inferno sed in illum detrudentur.

XLI. *Altera executionis pars est deductio ad vitam æternam quam* (1.) *in se.* (2.) *Dein quoad*

quoad gradus. (3.) *Tandem quoad æternitatem conſideraturi ſumus.*

XLII. *Vita æterna in ſe ſpectata illuſtratur abſentiâ omnis mali, præſentiâ omnis boni. quoad corpus & animam.*

XLIII. *Hæredes vitæ æternæ liberi erunt ab omni malo.* Primò quidem puri erunt ab omni peccato etiam immunes à peccati illecebris, mundo, carne, nec non adverſitate Satanæ, vel alius hoſtis *Abſterget Deus omnes lachrymas ab oculis ipſorum & mors non erit neque luctus neque clamor neque labor, nam prima abiverunt.* Apoc. XXI, 4. cf. VII, 17.

XLIV. *Præterea fruentur omni bono.* Deus eſt mare inexhauſtum omnium bonorum. Qui verò alterâ vitâ digni declarabuntur, Deum modo perfectiſſimo poſſidebunt nam *Deus erit omnia in omnibus* 1. Cor. XV, 28. *Deum videbunt* Matth. V, 8. Hebr. XII, 14. 1. Joh. III, 2. nam ea, qua nunc ratione dici poſſet, ſed nobiliori, quâ tanquam filii vel Angeli faciei ſemper in conſpectu Patris ſunt, ab illo amantur vera & conſummata felicitate beantur *Hæreditatem* ſuam adibunt. Matth. XXV, 34. Rom. VIII, 17. At hæc hæreditas Dei cœleſtis, cohæreditas Jeſu Chriſti, quæ cuncta bona comprehendit, quod nunc ex ſpeciali deductione clarius conſtabit.

XLV. *Felicitas quoad corpus.* Hoc vitæ reſtitutum immortale, incorruptibile, glorioſum, corpori Chriſti glorificato conforme erit. Quanta verò glorificatorum corporum Majeſtas futura noſſe poteſt ex Hiſtoria transformationis Chriſti. Præterea corpus abſque cibo ſuſtentabitur atque agilius erit membra ſua ad imperium mentis ſiſtendo 1. Cor. XV, 42-49. Phil. III, 21. Matth. XVII, 4.

XLVI. *Felicitas quoad animam.* Animæ noſtræ intellectus depoſita imperfectione magnum in modum perficietur, ſi quæ nunc minus rectè aut obſcurè vel

prorſus

prorsus non percipit novit, tum perfectè, clarè percipiet cognoscetque tum ratione Dei tum ratione operum divinorum in natura & gratia. 1. Cor. XIII, 10. Tum quoque voluntas nostra Dei in singulis multa cum lubentia obsecundabit Matth. VI, 10. Affectus nostri, amor, gaudium nonnisi in Deum resque divinas ferentur, atque plenè satiabuntur.

XLVII. *Auctior cognoscetur hæc felicitas, si porrò attendimus ad domicilium, consortium.* Domicilium erit cœlum, Paradiso quovis magis amœnus, unde Johannes verba, quibus loci amœnitatem exprimat, vix reperit. Consortes verò erunt ipse Christus, veræ deliciæ fidelium, Angeli boni, veri hominum amici; dein etiam sancti homines, quorum pectora jam in his terris aliorum amore incalescebant, tunc flagratura.

XLVIII. *Quamvis omnium, qui cœli incolæ declarabuntur, felicitas consummata futura sit, attamen gloria æqualis non erit, sed prout obedientia in suis terris variat, sic variabit gratiosa remuneratio.* Quod patet ex illis Scripturæ locis, quæ judicium Dei secundum fidelium opera formandum tradunt 2. Cor. V, 10. Rom. II, 6. Eph. VI, 7. 8. Hebr. VI. 10. Dei actiones nostræ semini diviter aut parcè projecto assimilantur. Quemadmodum verò messis copiosior semen copiosius seminatum sequi solet, ita quoque gratiosum cœleste præmium respondebit operibus 2. Cor. IX, 6 Gal. VI, 9. Præterea huc faciunt Dan. XII, 2. 3. Matth. X, 40-f. Parabolæ Luc. XIX, 16. 20. Tandem exemplis Abrahami, Isaaci, Jacobi, Apostolorum constare potest ceu qui majori honore conspici memorantur Luc. XVI, 23. Matth. VIII, 11. XIX, 28. Apoc. XXI, 14. Atque hæc veritas perspecta animum addit ad cursum pietatis tanto alacrius currendum, prout in hunc finem à Spiritu S. adhiberi solet 2. Cor. IX, 6. Hebr. VI, 10. Matth. X, 41.

XLIX.